

~~Pedag. 186.~~

Aus der Bibliothek
des St. Mathias-Stiftes
zu Breslau.

V
B J
C

5160/I
CIMELIA

Pedag. polska tom 1.
No ~~7~~

K X. 76.



INSTITVTIONIS LITERATÆ

Ex libris Siue Bibliothecæ

DE DISCENDI ATQVE DOCENDI

ratione

Hospitalis S. Matthiæ Wratisl. A° 1641

TOMVS PRIMVS,

STVRMIANVS.

Reposito: ss. Litt. M. Num. 2.



Quæ hoc primo Volumine continentur, sequens pagella indicat.

Torunij Borussorum

ANNO DOMINI

CIↃ. IↃ. LXXXVI.

D. Jacobo Monauio. Patritio Vratislauien: Virtute, genere et eruditione nobili uiro: dt Henricus Stroband. Thorunij Anno 1587.

IOANNIS STVRMII LIBRI,

hoc primo tomo contenti.

1. *De literarum ludis rectè aperiendis, Liber.* pag. 1.
2. *Classicarum epistolarum libri* III, *siue Scholæ Argentinenses restitutæ.* 75.
3. *Academicæ Epistolæ Vrbanæ: Liber* I. 165.
4. *Scholæ Lauinganæ.* 207.
5. *De educatione principum libellus.* 275.
6. *Nobilitas literata: Liber* I. 301.
7. *De exercitationibus Rhetoricis: Liber Academicus.* 355.
8. *De amissa dicendi ratione, & quomodo ea recuperanda sit. Libri* II. 402.
9. *Linguæ latinæ resoluendæ ratio* 499.

PRæter hos libros Dn. Sturmij extant etiam alij nonnulli, qui partim ab ipso, partim ab amicis editi prodierunt in lucem: cuius generis sunt illi, quos de Imitatione & Elocutione confecit. Cæterùm cùm pertineant ad Oratoriam, & aliquantùm absint ab horum, quos nunc damus, similitudine, non iudicauimus illos his esse coniungendos.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

Cim. Qu. 5160/I

IOANNIS

IOANNI STVRMIO V. CL.
PRAECEPTORI ET AMICO
VENERANDO S.

ETsi non sumus nescij: videri nos posse inuerecundiores: qui te, Vir clariss. præcipitata iam decursaq; ætate literis nostris audeamus appellare: tamen vindicabit nos, non modò tua singularis illa atq; admirabilis humanitas: verùm etiam genus scribendi: quod eiusmodi est: vt plus voluptatis, quàm molestiæ continere videatur. Primùm enim doceberis: nominis iucundissimam tui memoriam non tantùm alijs in regionibus: sed etiam in Borussia atq; in regno Poloniæ vniuerso in dies singulos magis magisq; celebrari. Deus namq; animos plurimorũ certè atq; prudentissimorum hominũ excitauit & accendit: qui & literis & literatis valdè cupiunt benè, & de scholarũ instauratione cùm priuatim tum publicè pulcerrimas suscipiunt deliberationes. Quibus sanè omnibus, vel præstantissimis ex omnibus eam, quam tu politissimis aliquot libellis ἐζωγράφησας, ludorum aperiendorum ideam maximè esse probatam intelleximus. Quocirca cum Thorunij duobus ab hinc annis & amplius

vetus schola instauranda, vel potiùs noua esset describenda: secundissima DD. Scholarcharũ, omniumq; rectè sentientium voluntate eam, quam tu ostenderas rationem, secuti sumus, & verò debuimus sequi. Te namq; vsu eruditum, quid in hoc genere vtilissimum esset, non dubitauimus & sapienter considerasse & eleganter explicasse. σοὶ γὰρ ἑνὶ μορφὴ ἐπέων, ἑνὶ δ' ἐ φρένες ἔσθλαί. Neq; parũ nos confirmauit doctissimorum hominum exemplum, qui in Gymnasiis aperiendis idem illud, quod tu præiuisti, iter sunt ingressi. Nec veriti sumus vestigijs insistere, impressis ab illis, quos iudicium his de rebus verissimum debuisse habere, & habuisse audiuimus. Liceat igitur Zeuxidi ex multis exemplis perfectam pulcritudinis imaginem exprimere: liceat fictoribus, liceat alijs, ex varijs ingenijs excellẽtissima quæq; excerpere: nobis in hoc genere vnus es tu instar omnium, & eris omnium intelligentium iudicio. Nec verò veremur, ne auribus seruire videamur tuis: cùm ea dixerimus: quæ luce meridiana appareat esse clariora. Neq; is es tu, qui, quid sis, ignores, quiq; non inuidiam potiùs esse putes, non laudari te laudatissimum virum, quàm assẽtationem, laudari. Sed redeamus ad propositum. Primum, quod diximus, voluptati fore tibi,

com-

commemorauimus. Veniemus deinceps ad alterum, quod non minùs te recreabit. Cum Scholam noſtram claſſicam, quemadmodum dicere cœperamus, ad exemplum à te propoſitum inſtituere, ſtatutum haberemus: exemplaria librorum, quos ea de re in lucem emiſeras, & à nobis & ab alijs non paucis deſiderata ſunt.

Quapropter cùm animaduerteremus, illa omnia eſſe diſtracta: rem gratam fieri putauimus quàmplurimis: ſi Typographicâ noſtrâ palingeneſiâ eadem in lucem remitteremus.

Etſi autem ſi celebriori in loco eſſent impreſſa: videamur cernere animo, quantò omnia gratiora futura fuerint: quod ſanè, ſi quisquam alius, nos magnopere optauimus: tamen quia verendum erat, ne vel mora longior interponeretur: vel ne omnia, aut illa, quæ imprimis cuperemus, non ederentur: non quid nobis optabile, ſed quid Reipublicæ literariæ cumprimis videretur vtile, ſpectantes, vno volumine, quæ de emendandis adoleſcentiæ ſtudijs in literas miſiſſes, complecti ſtatuimus, & fauente DEo complexi ſumus. Qua de re conuenerat quidem antè omninò te doceri, quàm editionem tentaremus: & ſtatueramus ſanè docere te, vel honoris vel officij cauſſa: ſed cauſſas, per quas ſtetit,

quò minùs fecerimus, quod facere decreueramus, longum esset percensere. Vtut sit, etsi nostram sententiam non explicauimus: tamen eam tibi non modò non molestam: sed periucundam fore auditu planè confidimus: partim quòd nobilib. hisce opusculis tuis, ipse quoq; magnã partem renascaris: partim etiam, quòd vtilitate publica nihil prius habes atq; antiquius. Tũ verò ea, quæ semel publici iuris passus es esse, excudi iterum posse sine offensione tua, non debuimus dubitare: præsertim cùm inde vsq; à prima ætate humanissimi sensus esse moderatissimiq; consueueris. Deniq; etsi irascerere: tamen potior erat communis boni ducenda ratio, quã voluntatis tuæ. Voluit Maro flammis aboleri diuinam poësim suam. Sed Augusti interuenientе fideli studio conseruata est: qui vt posteritati gratificaretur vniuersæ: vnius voluntatem negligere malebat: quàm omnium hominũ offensionem incurrere: vt vnius desiderio morem gereret. Sed quorsum ista? Quasi verò statuere debeamus: te, qui omni tempore in commune consulueris: ita nunc à teipso discedere: vt communicanda neges: quæ antea communicaueris: & improbes: quæ olim approbaris. Cuius quidem inconstantiæ in multis multa sæpè, in te

nulla

nulla vnquam vestigia fuerunt animaduersa. Quare certum habemus, te factum nostrum nō reprehensurū, cùm interuenerit etiam autoritas HENRICI STROBANDI, Senatoris & Scholarchæ: qui nō poterat conquiescere: nisi libris tuis quàm maturrimè recusis: quos scholis omnibus, ne de nostra duntaxat dicamus, vtilissimos maximeq; esse necessarios iudicabat. Huius consilio editio tentata, huius liberali benignitate promota est. Etsi igitur tibi eorum parenti posteritas omnis plurimùm, tamen & illi aliquid debebit. Vt enim ex te nati, sic illius impensis renati in lucē & scholas redierunt: quibus, vt & Ecclesiæ, Reiq; toti publicæ nec destitit hactenus, nec desistet imposterum benefacere. Nescit enim stare semel incitata uirtus: cuius admirabilem pulcritudinem vsus ipse commendatiorem facit. Sed quid opus est tam verbosa defensione? Quod factum est: haud mutari potest ampliùs. Est igitur sapientiæ, quæ huius sunt generis: ἐυσομάχως ferre: bonamq; in partem accipere. Vinci certè debent boni viri rationibus Reipublicæ, vt illis, nisi τοῦ ἀληθοῦς φαντασία interceserit, vel cum offensione amicissimorum hominum inseruiant. His victi sumus: his vincēris, Sturmi præstantissime: nos ad edendum: tu ad igno-

ignoscendum, si quid est offensum. Quanquam quicum loquimur? cum vno omnium humanissimo benignissimoq; viro, qui ita ad benè merendum à natura factus est, vt non modò libros suos, sed si res postulet, seipsum Reipub. consecraturus atq; impensurus esse videatur. Huic nos dum purgamus, iniuriam facimus manifestam, cùm benignitatem eius quasi in dubium vocemus: vt iam non tam nostrum factum, quàm purgatio purgationem desideret. Sed tempus tandem est aliquando finem facere cornicandi. Quod igitur reliquum est: cùm permagni referat, viros excellentis sapientiæ, dignitatis atq; authoritatis rebus humanis quàm longissimè superare: debemus & volumus tibi cum poëta exorare Parcarum fila breuesq; colos: vel potiùs DEum æternum, qui est vita & longitudo dierũ tuorum, vt te ducem & lucem scholarum & literarum, literis & scholis in hac venerabili senecta diu saluum atq; incolumem præstet, veris gemitibus frequenter & ardenter orare volumus & debemus, non priùs desituri, quàm exaudiamur: siue ad voluntatem nostram, siue ad salutem tuam. Vale. Torunij Borussi: Anno nati Filij DEI CIↃ. IↃ. LXXXVI.

Rector, Prorector, & Collegæ
Scholæ TORUNENSIS.

PRÆFATIO

PRAEFATIO
AD LECTOREM
DE SCHOLIS: ET LIBRIS
STVRMIANIS, QVI HOC
Primo Tomo continentur.

ETSI permagna rerum est, amice lector, humanarum confusio: quæ primorum hominum contracta lapsu, quasi calamitas quædam vel Pandora per omnes vitæ partes peruadit: Lernamq; malorum innumerabilium disseminat: tamen si diuinis erimus animi oculis omnia contemplati; perspiciemus id: quod sapienti obscurum est nemini; in hac plus quàm Cimmeria caligine permulta lucis diuinæ valdè illustria, nec pauciora concinnitatis & ordinis vestigia in miserabili ista perturbatione apparere.

Nam, vt omittamus cætera, quæ manifestiora sunt; quid in hoc mundo, in hac publica naturæ domo, in hoc augustissimo cœlestis sapientiæ theatro tam paruum reperiri tamq; abiectum potest; quod non vel conditum esse & directum ad finem, vel finem in actione quauis spectare videatur?

Quod sanè inter cætera non modò D. Paullum, sed nos etiam cæteros Christi nomen profitentes adducit; vt DEum manibus propemodum posse contingi, & ille & nos fateamur. Quidni autem fateamur, cùm ignari DEI homines omnia Numinis esse plena & senserint & dixerint: quemadmodum Aristoteles testatur: vel quisquis libri de Mundo fuit autor: in quo modò posita sententia magnificis verbis expressa est. Et quid, si DEorum nata sit hinc prodigiosa multitudinis opinio?

Etsi autem, vt est antea affirmatum, quælibet suscipiantur agenda boni gratia: idq; sit rebus in omnibus & minimis & maximis apertissimum: idem tamen clarius euadit: si naturam intueamur hominis; qui speculum est vel fuit diuinitatis. Hic enim etiamsi contumacia sua bonis illis, quibus erat initio ornatus, magnam partem exciderit: & radios diuinæ lucis, cuius in eum DEVS limpidissimos riuulos ex sua essentia transfuderat, miserandum in modum debilitauerit: certum est tamen; sicut Lunæ fulgor, in Eclipsi, cùm est in perigeo, ac proinde densissimam incurrit in vmbram terræ, non inuoluitur ita, prorsus vt aspectum effugiat: sic non esse omnia in natura humana adeò infuscata, quin vel in his reliquijs prouidentia DEI euidentiùs multò, quàm cæteris in rebus vniuersis eluceat.

Nam quid commemoremus? vt domos, pagos, vrbes, regna condiderit humana solertia: vt leges descripserit: vt artes inuenerit: inuentas excoluerit: excultas ad posteritatem transmiserit: an quisquam est ita crassi sensus, qui hæc & sexcenta alia sine ordine, sine luce ingeniorum, sine fine præscripto perfici potuisse, vel possit, vel debeat affimare?

Finem omnes propositum habere solemus & debemus, DEVM secuti & naturam: de quibus crebris sermonibus audiuimus vsurpari nobilem illam sententiam: ὁ θεὸς ἢ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν. Finis causa sunt hæc omnia & inchoata & politissima arte perfecta.

Omnis autem finis ex genere est bonorum: ipsaq; bona vel re vera, vel opinione talia sunt: qualia dicuntur. Vtq; in his: sic in appetitione distincti reperiuntur gradus. Itaq; bona magno, meliora maiori, optima desiderio maximo concupiscimus. Et quia secundum veterem versum:

Quod

Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido: ideò omnibus temporibus incensi sunt homines cupiditate vestigandi naturam non tam boni, quàm bonorum optimi: ad quod maximè omnium rapiuntur. Accidit autem, vt hîc quoq; videretur & esset pulcrum cuiq; suum. Aliud enim Christianis, aliud Ethnicis cœpit placere. Atq; inter hos quidem homines βάναυσοι & φορτικοὶ vel diuitijs vel voluptate: χαρίεντες vel honore vel virtute: Philosophi nescio quibus Idearum τερετίσμασι summum definiêre bonum. Adeò fœcundus est error & mendacium. Aristoteles, qui cornicum voluit oculos configere, veritatem propiùs secutus, non assecutus est: laudandus ille quidem, quòd θεόσδοτον id esse dixit: reprehendendus, quòd huius tantùm vitæ limitibus circumscripsit: non considerans, ex omnibus, quotquot aut sunt, aut fuerunt, hominibus vnum extitisse neminem, qui perpetua felicitate vsus ê vita excesserit.

Sed valere iubeamus Ethnicarum varietatem & vanitatem opinionum: & quid illi statuerint, qui Christo nomina dederunt, aperiamus.

His ergo in solo DEO κεφάλιον excellentissimi boni atq; illius agnitione certa constitutum est: sicut DOMINVS dixit: HAEC EST VITA AETERNA, VT TE SOLVM AGNOSCANT VERVM ESSE DEVM: ET, QVEM MISISTI, IESVM CHRISTVM. Neque ab ista sententia Psalmus est alienus: qui in Lege DOMINI & eiusdem meditatione diurna atque nocturna βραβεῖον solidæ beatitudinis fixum esse pronunciat.

Habemus, quo in loco collocari oporteat, & vbi gentium quæri atq; inueniri possit bonorum vltimum: nempe in DEI noticia salutari & sincera. Hæc

autem ex Verbo: Verbum ex Ecclesia: Ecclesia ex spacijs Christianarum scholarum efflоruit & efflоrescit: id quod poteramus exponendis rationibus & exemplis euidenter comprobare, nisi Lumen Soli videremur addituri. Quibus ergo curæ cordiq; salus est sua: non debent committere, vt scholæ intereant: quibus intereuntibus Ecclesia labefactatur: verbum corrumpitur: summum bonum amittitur.

DEVM immortalem: si hæc esse vera crederemus: vt sunt verissima: cuiusmodi essemus contentionem & studium adhibituri, in ludis literarijs aperiendis, ornandis, conseruandis? Quis enim adeò à se discessit unquam, vt incorrupto iudicio salutem suam nolle: perniciem velle visus sit?

Sed ô cæcas hominum mentes! ô pectora cæca! Quàm multi inueniuntur, qui specie eorum bonorum, quæ in oculos incurrunt atq; ante pedes sunt, capti vel potiùs decepti, æterna & prima bona postrema habent, & cum Glauco Homerico arma aurea æneis commutant miseri? Miseri profectò, nec minùs amentes. Quid enim à ratione potest alienius cogitari, quàm seipsum ire perditum? Id quod isti sanè faciunt: qui scholas dissipatas cupiunt: non animaduertentes, salutem suam, suorum liberorum, suarum omnium fortunarum, adhæc Ecclesiæ incolumitatem, verbi puritatem, perpetuam felicitatem, illis saluis, contineri: illis euersis, euerti. Nequaquam igitur vulgarem μισόμαθοι insaniam insaniunt, cùm bonum fugiant, quod captant: & malum captent, quod fugiunt. Mira sunt hæc: & perquam absurda: amare, quod oderis: odisse, quod ames. Mira profectò sunt, sed tamẽ vera. Bonum enim vltimum diligimus omnes: & isti quoq; diligunt: summum autem malum auersamur: & isti auersantur. Sed quia scholas & literas

detestan

deteſtantur; imprudentes illud negligere: hoc appetere conſpiciuntur. Ita DEVS hominum ingratitudinem ſolet vindicare, mente illis ademta, vt videntes & intelligentes nec videant nec intelligant: id quod omnium eſt malorum maximum.

Etſi autem plæriq; omnes eo ſint ingenio nati: vt quicquid fiat ſcholis, ipſi ſusq; deq; ferre conſueuerint; tamen & veterum & noſtra memoria heroica DEVS excitauit ingenia, quibus in hac re viſum eſt tàm vtili atq; neceſſaria aliquam induſtriæ partem conſumere.

Erat hoc quondam Regum officium & Principum, qui ardebant cupiditate incredibili ſcholas collapſas inſtaurandi, & condendi nouas. Quia uidebant ad Reipub. amplitudinem, ad lætitiam animi, ad memoriæ dignitatem, nihil eſſe aptius, elegantius, præſtantius; idq; experiebantur ſanè reipſa: exorientibus paſſim Viris doctiſſimis, qui illorum immortalia beneficia immortalis gloriæ fulgenti curru in toto orbe terrarum circumferebant, & noſtros etiam circumferunt Principes, ſi qui ſunt, qui pauci ſunt, qui volunt illas & Eccleſias defenſas. Sed hodiè in aulis propemodum refrixit ille nobis ardor antiquus & generoſus: cùm plæriq; inueniãtur partim ita imperiti, vt literarum merita non perſpiciant: partim ita inconſiderati, vt rationibus ſuis tum demum bellè prouiſum eſſe cenſeant: ſi Muſæ & Muſarum auiculæ conticescant.

Ab his igitur deſtitutæ miſeræ confugiunt ad ciuitates, quæ recipiunt eas & recreant, operamq; dant manibus pedibusq; obnixè omnia facientes, vt dignitatem ſuam retineant.

Summa profectò laude vrbium iſta ornatiſſimarum benignitas meritiſſimò extollenda eſt, præſertim in hac temporum aſperitate, qua res literaria errore quodam

vulgi deseritur,& in propinquum discrimen adducitur.

Ac videmus eas ferè omnes, quæ Scholas & Ecclesias beneficijs afficiunt, pace, rerum omnium affluentia, ingeniorum nobilitate, ciuium virtute, pietate, moderatione, beatissimè florere, & omnis generis elegantia affluere.

Ita diuina bonitas vel in hac vita glorificantes se glorificat, & vberrimæ compensationis aureo velut imbre eiusmodi liberalitatem remuneratur.

Sed neq; Musæ benefactorum sunt, imò ne possunt quidem esse immemores: cùm Memoriâ natæ sint, & Charitibus vti perhibeantur pediſsequis.

Quocirca quemadmodum Iouem aiunt reddidisse altrici suæ θρεπτήρια: sic illas fouisse constat & omnibus ornamentis amplificasse eos, à quibus sustentari, & in ore atq; amore haberi consueuerunt. Hoc modo Comates fuit nutritus ille Theocritæus: quamuis ab hominum officijs esset omnino desertus. Sic Homerum, sic Hesiodum, sic alios sexcentos aluerunt. Quinetiam defendunt defensores suos. Nam Pindari illius Dircæi oloris ædes, cæteris omnibus incendio & direptioni relictis, hoc periculo cum illustri illius laude liberarunt.

Quid dicam de sempiternæ gloriæ insignibus: quæ conferunt suis? quibuscum si ex cæteris rebus gestis quamuis amplissimis prouenientem laudem compares: omnis harum splendor illarum eximia claritate euanescat.

Mirum ni rideant ista Centauri: qui non genijs suis, cùm Virtuti nuncium remiserint, turpissimæq; Voluptati se addixerint: sed eruditis ingenijs & ingenuis artibus ἄσπονδον πόλεμον indixêre. Age rideant risum Sardonium: nos videamus: quemadmodum probemus

mus, quæ Bambalionibus istis ridicula: ignorantibus mira; intelligentibus explorata sunt atq; extra omnem posita dubitationis aleam. Cedósis quis vnquam maximis virtutibus splendidissimisq; victoriis Alexandrum illum Magnum superauit? At omnis illa tantis ex rebus gestis tanta tamq; illustris fama multis ab hinc seculis interciderat, deleta ex animis, ex memoria posteritatis: nisi literarum monimentis æternitati fuisset commendata.

Agnoscebat hoc ille præclarus Rex: ideò Musas & literas magnis muneribus & honoribus prosequebatur: sicut etiam pater eius fecerat Philippus: qui non tam lætabatur filio nato: quàm quòd natus fuisset diebus Aristotelis præstantissimi Philosophi: cuius in disciplinam indolis generosissimæ puerum tradere cogitabat.

Sed de ciuitatibus incipiebamus dicere: in quibus eadem cernas licet. Floruerint Athenæ, Massilia, Roma, atq; aliæ similes, potentia, fortitudine, victoriarum multitudine, & id genus alijs: quibus in admiratione esse potuerunt: vt largiamur: gloriam ex illis consecutam rebus permagnam fuisse: Fuit enim certè: etiã id confiteamur oportet, vrbium illarum vix ac ne vix quidem nomina, nedum res gestas posteris innotescere potuisse: nisi Scholarum celebritate obliuionis iniurias effugissent. Neq; aliter cum illis comparatum est, quæ nostrâ memoriâ dignitatis commendatione cæteris anteponuntur. Quòd enim ad hanc tantam nominis amplitudinem peruenerint: quòd gratia, quòd autoritate, quòd luce, quòd diuitijs augeantur: tergeminisq; splendescant honoribus: secundum DEVM Scholis & Ecclesiis benè constitutis acceptum ferre coguntur; à quibus magis illustrantur, quàm

annulus

annulus aureus preciosa gemma; vel cœlum fulgore lucidissimorum siderum.

Non igitur nulla fuit causa: quamobrem Musis exultantibus in multis Germaniæ vrbibus portæ patefactæ, & φροντιστήρια ad erudiendam iuuentutem magnificis operibus extructa atq; attributa sint. Nec fortuitò aut repentina voluntate celebris Thorunienſium Reſpublica fuit inducta, vt prudentissimi Senatus & Scholarcharum consilijs, cæterarum imitari exempla: literis fores aperire: sumtus decernere; παιδοτριβεῖα condere: præceptores accersere; & vt semel dicamus, nihil eorum, quæ pertineant ad ornamentum reuiuiscentium literarum, prætermittere decreuerit. Quis putet ornatissimã ciuitatem in hæc incidisse consilia sine consilio? Nimirum inflammata est excellente literarum dignitate, amplissimorum commodorum varietate, inuicta necessitate. His stimulis excitata, his arietibus impulsa, his facibus incensa fuit: his incensæ aliæ: aliæ incendendæ.

Etsi autem adeò duri oris, adeò ferrei cordis speremus fore neminem: quin argumentis vel singulis vehementer se commoueri profiteatur: tamen cùm vis vnita sit valentior, exponemus omnia fusiùs, partim vt elegantes elegantium disciplinarum patronos in pulcerrimo studio & stadio laudis perpetuæ retineamus: partim vt acerbioribus, quantũ nostra fert facultas, persuadeamus, præstabilius esse: cum literis in gratiam redire, conceptumq; odium plus quàm Vatinianũ deponere: quàm perenni earundem oppugnatione DEI æterni ac bonorum omnium offensionem contrahere.

Hac parte ad vmbilicum deducta: attexemus alterã: in qua de libris Sturmianis, quos hoc volumine comprehensos impræsentia tibi, Lector, exhibemus, quædam erunt dicenda: vt quid vtilitatis inde queat decerpi,

cogno-

cognoscatur: & eo cognito editionis susceptæ consilium bonis viris approbetur.

Dignitatem igitur scholarum quod attinet, existimamus ex quatuor præcipuè fontibus eam deriuandam esse: nempe ex consideratione autoris, alumnorum & patronorum: ex eorundem gloria: ex præsentia DEI & beatorum Spirituum: ex similitudine Paradisi & Academiæ cœlestis.

De his sigillatim balbutiemus potiùs, quàm dicemus, vt scholarum splendor clariùs eluceſcat.

Scholarum autorem, vt rerum omnium cæterarum, quæ quidem in bonis habentur, DEVM esse, non modò Christianorum, sed saniorum etiam Ethnicorum confessione palàm est. Sic enim Plato in Euthyphrone, οὐδὲν, inquit, ἐστιν ἡμῖν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μὴ δῶσιν οἱ θεοί: quibus verbis declarat, nihil hominibus esse boni: quod à DEO non acceperint. Dubium autem non est, quin in bonis, imò in optimis ducenda putauerit literarũ studia, in quibus gratam de DEO famam sparsam esse alibi docuerat.

Eandem quoq; sententiam placere sibi Aristoteles ostendit Platonicæ disciplinæ alumnus: cùm Summum bonum, vt antea dicebamus, θεόδοτον appellauit.

Quin & Apollonius apud Philostratum, cùm templum Iouis Olympij esset ingressus: Salue, inquit, bone Iuppiter, qui vsq; adeò bonus es, vt teipsum nobis communices. Præclarè & rectè Apollonius: si DEO vero, quem ignorabat, hoc præconium tribuisset. Sed etsi non ille quidem ad verum DEVM, ad DEVM tamen, quem esse opinatus est, tametsi non erat, referre, quicquid vspiam est bonorum, non dubitauit.

Sensère idem cæteri, quorum meliore luto præcordia Titan finxerat, vt Ethnici poëtæ verba de Ethnicis vsurpemus.

Atq; hoc isti luce rationis viderunt obscuriùs: cæterùm Christiani apertissimè: qui ex oraculis diuinis omnium demonstrationum certitudine certioribus, vt cunq; reclamet impius ille Galenus & Simplicius, DEVM non modò scholarũ inuentorem, sed ipsum quoq; primum fuisse Doctorem sciunt. Posteà enim quàm primi homines ab ipso defecerant: Filius DEI immensa misericordia deprecatorem se præbuit, & promisit fore tempus τῆς ἀμνησίας & σεσαχθείσης: quo assumta humana natura prosternere et obterere intolerabilia onera Legis, Peccati, Diaboli, & reconciliationes gratiarum inter nos & æternum Patrem suo sanguine sancire statuisset. Hæc antiquissima fuit schola: quam Christus aperuit circumfusa illustri sanctorum Angelorum corona, atq; apertam deinde ministerio beatorum Patrum curauit propagari: quibus in forma hominis aspiciendus semel & sæpius apparuit, ac doctrinam de restitutione generis humani, quam initio ex sinu æterni Patris protulerat, renouauit atq; illustrauit.

Nec tantùm in suo populo doctrinarum studia florere voluit, excitatis Leuitis, quibus quadraginta oppida assignauerat, quæ Academiæ erant & collegia ad religionis sinceritatem et liberalium artium ἐγκυκλοπαιδείαν custodiendam comparata: verùm etiam cæteris in gentibus huius prouidentiæ suæ manifesta vestigia reliquit, suppeditando viros insignes & sapientes, qui laborãtes literas respicerent, oblanguescentes reficerent, in squallore iacentes nitore afficerent, perficerentq;, vt ex mendicitate & situ emergerent, et noua luce donatæ refloresçerent.

Hoc beneficium à DEO proficiscí, si quis est, qui dubitet, is non minùs ineptit, quàm Anaxagoras, qui niuem aiebat esse nigram. Nam vt hic sensibus, sic ille experientiæ bellum facit, sicut olim gigantes Dñs.

Idem

Idem enim hac memoria seruat congregationes docentium & discentium, qui quondam. Quis autem in his temporum vitijs seruat præter DEVM? Numquid non res ipsa docet, fieri non posse, vt scholæ & Ecclesiæ sint saluæ, in tanta circumfusorum hostium multitudine, nisi eorum Sinonia consilia diuinitus comprimantur? Fateamur igitur DEVM non modò autorem & doctorem esse, verùm etiam propagatorem & defensorem scholarum.

Iam si res effectas ex autoris excellentia æstimamus: si Venerem ἀναδυομένην Apellis, si Iunonem Phidiacam Phidiæ, si Rhodiam tabulam Protogenis, atq; id genus alia aliorum gratia miramur & veneramur; porrò si Dionysij Areopagitæ vel Protei baculum, si Epicteti vel Malchi lucernam, si alias res nihili, magno precio rederunt homines, et quasdam earũ etiamnum asseruant et in delicijs habent: quo te quæso affectũ esse animo oportebit erga scholas, quarum initium & conseruationem ad DEVM reuocari audisti? qui, si maiestatem spectes, omnibus numeris venerationis est augustissimus: si sapientiam, sapientissimus: si potentiam, potentissimus: quid multa? abyssus est omnium maximarum Virtutum atq; omnis pulcritudinis. Nonne summi artificis opus summa laude extollendum putas? Quòd si DEVS is est, quem diximus, cur literarum tanta nos incessit despicientia? cur hederæ sine honore iacent?

Videant igitur, qui vel oderunt eas, vel impediunt, vel impuris maledictis obruunt, ne læsæ maiestatis crimen subeant: à quo non longiùs absunt, quàm clauus à pariete. Sanè qui Regis vel Principis decreta aut instituta, imò qui semissis hominem grauiori iniuria afficit: vix ac ne vix quidem animaduersionem potest effugere, sed pœnam tenetur sustinere lege sancitam: quę

considerata qualitate personæ Iæsæ, vel remissior est vel acerbior. Sic enim æqualitas Geometrica τῆς διαιρετικῆς requirit. Quomodo igitur ista Cyclopea soboles diuinam Nemesim euitabit? aut quomodo nõ maximi sceleris maximas pœnas pẽdere cogetur?

De autore Scholarum satis opinor dictum: sequuntur alumni & patroni, quorũ tam multi sunt, *Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ Laserpiciferis iacet Cyrenis: vt ait Catullus.*

Etsi autem omnium enumerationem afferre nequeamus: tamen principum duntaxat iuuabit meminisse. Atq; vt series illustrior sit, videamus, qui nam ante, quiq; in Monarchijs floruerint.

Ante illas igitur Adamus fulsit summus & Philosophus et Astrologus. Nam quia ὀνομαθέτης fuit, & omnes res nominibus appellauit suis, necesse fuit eum differentias earum penitus perspicere: quod summæ cuiusdam Sapientiæ fuisse in confesso est.

Deinde Iosephus scribit, eum prædixisse duplicẽ mundi interitum: vnde Plato sine dubio partes anni sui Magni κατακλυσμὸν καὶ ἐκπύρωσιν mutuatus est. Fuit etiam Theologus, Iurisconsultus et Medicus. Quia morborum causas, remedia, vires herbarum, rationemq; conseruandi valetudinem tantò perspectiora habuit: quantò propiùs abfuit ab ortu. Et quia Caini posteritas filios DEI acerbissimis iniurijs afflixit: vnde magnæ contentiones natæ sunt: eas ille tanquam Iudex aut Legum antistes ex Lege Morali, quæ fons est ciuilis scientiæ, cognouit, iudicauit, sedauit. Cumq; intelligeret, se præcipuè conditum esse ad gloriã DEI: ideò suos docuit de DEO, de lapsu, de restitutione, deq; cæteris Religionis capitibus: quæ duabus posteà columnis posteritatis caussa inscripta sunt, sicut etiam cæteræ artes, quas cum filijs inuenit.

Vbi iam est istorum εὕρηκα? qui alieno partam labore gloriam verbis in se transmouent: Vbi Phœnices? qui sibi Arithmeticam: Vbi Aegyptij? qui Geometriam:

Vbi Chaldæi? qui Astronomiam: Vbi Plato? qui nescio cui dæmoni literarum et aliarum artiũ inuentionem in Phædro adscribit: Vbi Græci? qui magnifica ostentatione, vt erant homines ventosi, modò non omnium disciplinarũ autores se profitentur. Sanè si excolere est inuenire: accedemus eorum sententiæ. Sed quomodo nobis hoc vt credamus persuadeant? Expolierunt, nõ repererunt. Nam omnis Phœnicum, Aegyptiorum, Chaldæorum & Græcorum sapientia ex fontibus Hebræorũ ad illos deriuata est. Sed age inuenerint Phœnices Arithmeticam: num ergo ante illos ea non fuit in vsu? Fuit. Quis, n. neget, cùm homo natura sit Arithmeticus? Si ergo fuit, non inuenerunt. Nam quod inuentum est, non inuenitur. Idem iudicandum est de Geometria. Quoniam enim homo speculum est sapientiæ DEI: DEus autem ἀεὶ γεομετρεῖ, vt Plato ait: ipsum huius quoq; artis radios in hominem sparsisse verisimile est: qui creatus est non tantùm, vt sit, sed etiam, vt benè commodeq; sit. Ergo & hæc ars primis patribus fuit nota, sicut etiam Astronomia & literæ: quia series annorum & mensium diligenter obseruata atq; annotata est. Quomodo autem obseruari sine Astronomia, quomodo notari sine literis potuit? nisi fortassè dicas, notis hieroglyphicis vsos esse.

De Græcis verò mirum. Quid enim isti, quos semper pueros ille esse dixerat sacerdos, quid quæso excogitassẽt nisi Aegyptiorum vitula arassent? Hos ergo omnes ad societatem huius laudis admittimus, quatenus artes expolitæ, non quatenus initio constitutæ sunt. Hanc enim partem totam et propriam esse primorum Patrum, q ui eas nobis pepererunt, iure omni confitemur.

In his igitur studijs animũ habuêre occupatũ sanctissimi illi Viri, qui quidẽ, vt ad Nimrodũ peruenias profectus ab Adamo, fulserunt ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, in illa, inquã, ætate, in

qua sapientia & autoritas paterna dominatum tenuit, quæq; proximè antecessit constitutionem quatuor principalium Regnorum, seu, vt vocant, Monarchiarum: in quibus τὸ θυμοειδὲς ἢ ἐπιθυμητικόν: illud quidem in tribus primis: hoc in quarta postrema invaluit.

Primæ caput fuit is, quem diximus, Nimrodus, Saturnus Babylonicus à nonnullis existimatus: cuius temporibus etsi non perinde, vt antea, cesserunt arma togæ, sed vi geri res & sapientia pelli ê medio visa est: tamen Noachus ἅμα πρόσσω ἢ ὀπίσσω λεύσων, vnde bifrontis Iani cognomen arripuit, is ergo & filij, qui rebus humanis id temporis adhuc superabant, patrimonium doctrinæ fideliter custodierunt: quibus eiusdem curæ socios Abrahamum, Isaacum, Iacobum adiungimus, & huius filios, atq; inter hos Iosephum, qui sapientiæ suæ riuis totam Aegyptum irrigauit: quinetiã Academiam condidit Heliopoli, quam multis priuilegijs ornauit & amplificauit. Hunc excepit Moyses, Aaron, Iosua, qui & Duces fuêre & Doctores, et Leuitis, sicut diximus, XL oppida attribuerunt, vt essent domicilia & collegia literatæ pietatis. Deinde secuti sunt Iudices, Reges, Prophetæ, quorum principes extitêre Samuel, Dauid, Salomon Oceanus ille sapientiæ cœlestis, Elias, Elisæus atq; alij quàmplurimi, qui omnes scholarum alumnos, doctores, Mecœnates sese præbuerunt.

Neq; Ethnicis defuerunt illis temporibus sua lumina, vt Atlas, quem cœlum humeris sustinere finxerunt: Perseus, qui scholam mathematicam condidit prope Parnassum, vnde vngula Pegasi fontem dicitur Musarum aperuisse: Leostratus Tenedius conditor ὁκτοετηρίδος: præterea Linus et Phœnix, ille Herculis præceptor, hic Achillis, et Achillis μεγάλη σάλπιγξ Homerus: nec nõ Hesiodus, & antiquiores Alceus, Museus, Orpheus,

Mercurius

Mercurius τρισμέγιστος: quibus addendi sunt Thales Milesius, Lycurgus, Dracon, atq; illud famigeratissimum Septem Sapientum collegium, ac plures alij, qui nostra memoria dilabuntur. Hi omnes claruerunt tempore primæ Monarchiæ, quam Auream vocant, non quòd ἀνήρωτα καὶ ἄσπαρτα omnia produxerit, sed quòd exemplis illustrium Virorum enituerit, quorum splendidissima fama fulgorem auri repræsentat, vel potiùs multis modis exuperat.

In Secunda Argentea seu Persica, Danielis, Ezechielis, Haggæi, Zachariæ, in Ecclesia clarissima fuit memoria. Extra Ecclesiam Pindari, Aeschyli, Simonidis, Phocylidis, Theognidis, & præter alios innumeros vafri illius Siculi Epicharmi, qui vtilia pueris dixit, & documentum reliquit memorabile boni Doctoris, cuius nõ est ostẽtatione sublimioris doctrinæ inanium rumorum ventos colligere, sed se demittere ad intelligentiam discipulorum, non obscurare omnia, vt Pythagoras aut ciniflones, qui Eleusynia sua sacra tegunt Mercurio, vt ille numeris. Excelluit etiã circa hæc tempora Socrates luscinia Attica dictus ob innocentiã, qui dixit, hoc solum scire se, quòd nihil sciret. Sed nostris moribus multi sunt, qui cùm scire omnia videri cupiant, vnum hoc nesciunt, se nihil scire, similiores Hippiæ vel Suffeno, quàm Socrati. Huius σύγχρονος fuit Isocrates, qui discipulorum nobilitate, existimatione, gratia, præter cæteros floruit. Quæ res grauem illi conflauit eorum inuidiam, quorum oculis obstruebat, Philosophorum, inquam, qui Rhetorem non poterant ferre honore superiorem. Ex his fuêre nobilissimi Plato, alterum cum Xenophonte Socraticæ amœnitatis lumen, & Aristoteles humanæ veritatis aquila cognominatus ob incredibilem diuini ingenij aciem; duarum in Philosophia sectarum

celeberri-

celeberrimarum progenitores Vt enim ab Epicuro Epicurea, à Zenone Cittico Stoica: sic ab Aristotele Peripatetica: à Platone Academica vetus instituta est. Est enim & noua seu adolescentior, vt ait Cicero, ab Arcesila procreata, quæ impudenti ore τὸ ἐπέχειν asseruit: sed plumbeo gladio leuissimisq; argumentis tutata est. In his omnibus plurimum est errorum: nec non tamen aliquid boni. Idcircò sicut Musæ ex Sirenum pennis coronas sibi contexuerunt; ita ex illis apicularum exemplo salutaria delibanda, venena relinquenda sunt.

Qua de re pluribus erat differendum, nisi tertiæ Monarchiæ, quam Aereã appellant, heroës, cœlo capita alta ferẽtes nos ad sui contemplationem festinare cogerent.

Quo ergo tempore Alexander Magnus orbem terrarum ad suam ditionem adiunxit, eminuerunt in Ecclesia Iaddus, qui eundem infestis armis aduentantem placauit: Eleazarus, qui LXX interpretes misit ad Philadelphum, inter quos etiam fuisse putatur S. Simeon, qui cùm hæsitaret in versione VII cap. Esaiæ, in quo scribitur, Messiam Virgine nasciturum esse: facta est ei promissio, quòd diem suum non antè esset obiturus, quàm Virginis illum aureum partum vidisset: Iesus Syracides, qui παναρέτου confecit: Mathatias, & filij, Iudas, Ionathas, Simon, qui furiosos conatus Antiochi fortiter repressérunt & fregerunt. Hi & alij in Ecclesia celebrantur.

Extra Ecclesiam Dux huius Monarchiæ Alexander, cuius si epistolam legas exaratam ad Aristotelem, meritò dubites, plurisne fecerit literarum an rerum gestarum gloriam. Dubium certè non est, quin fuerit & ipse literatissimus & literarum amantissimus, quod nisi alibunde, ex animalium historia cognoscas licet, in quam quadringenta octoginta millia Coronatorum impendit.

Hanc

Hanc munificentiam æmulatione generosa imitati sunt Philadelphus, Eumenes, Attalus, amplissimarum bibliothecarum conditores, imprimis tamen Philadelphus, qui αὐτόγραφα Homeri et Sophoclis quindecim talētis ab Athenienſibus redemit, maximisq; impensis Biblia in græcam linguam transfundi curauit, præclariùs multò de hominibus meritus, quàm antiquiores Aegypti Reges, qui in pyramidibus exædificandis incredibilem pecuniæ vim effuderunt, ſi fides habenda eſt Herodoto, affirmanti in apio duntaxat, cæpis & allio mille & ſexcenta talenta fuiſſe inſumta.

Sed ſtatuerunt iſti documentum infirmitatis hominum, quos plerumq; ſic videmus affectos eſſe, vt malint in res friuolas, inq; idolomaniam talentū conferre, quàm in Chriſti pauperes, in Scholas, in Eccleſias teruncium.

Quis noſtrūm ſine admiratione legere vel audire poteſt ſtupendam Crœſi liberalitatem in dæmonem Delphicum? à quo tamen indigniſſimis modis circumuentus eſt, ſicut euentus poſteà docuit. Vtinam huiusmodi noſtrorum hominum ſtudium extaret in veræ religionis conſeruatione, cuiusmodi illius in ſuperſtitione. Porrò floruit etiam ſub initium huius Monarchiæ Calippus, autor periodi Lxxvi annorum, & ante illum Methon Athenienſis, qui ἐννεακαιδεκαετηρίδα excogitauit. Huc pertinent Demetrius Phalereus, Callimachus, Apollonius, Aratus, Eratoſthenes, omnes hodiè celebres, & ex Latinis Liuius, Ennius, Plautus, Næuius, Terentius Poëtæ, & complures alij vsq; ad Iulium Cæſarem Quartæ monarchiæ anteſignanum, quæ luxu potiùs libidinibusq; nefarijs, quàm fortitudine atq; animorum altitudine nobilitata eſt. Ideò in Iulio ferè τὸ θυμοειδὲς reſtitit, in cuius locum ſubijt paullò poſt Chriſtum & Apoſtolos τὸ ἐπιθυμητικὸν, viam muniens Voluptati blandiſſimæ

dominæ, cuius naturam viuis quasi coloribus expressit Homerus in peruagato versu, πρόσθε λέων: ἔπιθεν δὲ δράκων: μέσσην δὲ χίμαιραν.

Vt autem hæc Monarchia, in quam incidit Mundi παραμυθία, multis nominibus inferior est superioribus: sic præ cæteris beatissima videri potest & debet: quòd in ea Messias fuit exhibitus, multis antè seculis promissus & expetitus. Qui non modò initio conditi Mundi Adamo concionatus est de secutura liberatione, eandemq; concionem sæpissimè repetiuit, atq; adeò Scholas ad summum dignitatis fastigium prouexit: sed etiã postea cùm editus esset ex Maria Virgine, non recusauit easdẽ exemplo cæterorum puerorum puer frequentare, & cùm adolescentiam virilis ætatis robur excepisset, docere ignorantes, errãtes ab errore ad veritatis agnitionem reuocare, viam salutis inobœdientia nostra intercluſam vicissim aperire, & viua voce referare nequaquam est dedignatus. Imò ideò venit in mundum, vt esset Doctor noster, & scholam à se appellatam Christianam Christianis hominibus constitueret: cuius illustria fundamenta in illius baptismo iacta sunt, cùm Pater æternus clara voce pronunciauit hunc esse Filium suum, & doctorem toti Mundo exaudiendum, ac Spiritus Sanctus in figuram habitumq; columbæ formatus se demisit, de quo Christus etiam alibi affirmat, quòd docturus sit Ecclesiam. Sic igitur tota Diuinitas docendi munere perfuncta est, cum summa laude docentium & discentium, quorum ordinem profectò comprobat, cùm illustri testimonio se eius autorem & sociam esse demonstret.

Cur igitur non exclamemus, & scholas omni honore esse dignissimas contendamus? quas DEVS condidit, in quibus docuit, quas adiuit, adiuuit, cohonestauit. O insignem scholarum gloriam: DEVS eas instituit, quis

quis impediat? DEVS propugnat, quis impugnet? DEVS ornat, quis deformet? DEVS curat, quis negligat? O magistrorum atq; discipulorum, dignitatem ingentem. Ecce DEVS docentis partes, atq; etiam discentis Filius DEI suscipere dignatus est.

Cur igitur nos earum pudeat? aut cur frangamur animo? cùm Cynici aspere & acerbè ordinem nostrum in vulgus traducunt, cùm nos καθάρματα, scholas ignauiæ officinas esse vociferantur, quemadmodum ille impius apud Aristophanem Strepsiades, eas iniusticiæ administras esse, ingenti opinionis errore persuasus est.

Huiusmodi iniusta iudicia, quæ neq; hominum neq; ad homines sunt, cognoscentes, non debemus animo concidere, aut Spartam nostram deserere: sed attollere oculos, et quid DEVS suprem' Scholarcha, quidq; cõsiderati et sapientes viri de nobis sentiant, non qd istud Vulcani satellitiũ garriat, attendere debemus. Sed progrediemur.

Christum secuti sunt Apostoli, et hos maxima sanctorum Patrum multitudo, qui scholas et Ecclesias rexerũt vsq; ad Gregorium Magnum, sub quo literarum gratia ferè extincta, linguarum studia intermissa, barbaries intromissa, et insequentium temporum caligine adaucta, ac per fratres ignorantiæ ad tantam molẽ producta est, vt propemodum orbem terrarum complexum esse hoc terribile monstrum videatur, quod tanquam Cerberus quispiam aconita sua latissimè diffudit, plaustra prodigiosarũ opinionum inuexit, decus omne purioris doctrinæ vitiauit, obtriuit, prostrauit. Nam quid dicã, vt compleuerit omnes angulos insulsâ Sophisticâ & ineruditis nugis Versoris, Iauelli, Tartareti, Canis et similiũ, quorũ τερατολογίας ἢ θαύματα ῥημάτων nemo sine stupore inspiciat: nemo nisi isti, imò ne isti quidem intelligant? Nempe vt est portentosa barbaries, ita portentosum dicendi genus peperit, credo vt dignum esset patella operculum.

Vide lector, quid literarum, quid scholarum, quid linguarum contemtus, quid ingratitudo parturiat & pariat monstri. Et vide mihi quoq; immensam DEI misericordiam, qui scintillam purioris doctrinæ ministerio Bernhardi, Tauleri, Gersonis & aliorum complurium in maximis tenebris conseruauit tantisper, dum lingua Græca, qua annos circiter 700 carueramus, sub exulibus Græcis: Hebræa sub Capnione, Förstero, Tremellio, &c. Latina verò, & reliqua humanioris Musæ studia sub Agricola, Hermolao, Erasmo, Budæo, Bembo, Sadoleto, Philippo, Camerario, Sturmio &c. denicq; Religio sub D. Luthero eiusq; fidelissimis socijs, quasi postliminiũ iure reuocata defecataq; & ad antiquum puritatis decus reducta fuit. O immensam DEI bonitatem, quæ hunc thesaurum mundo reddidit: O nos felices, si agnoscere, ô beatos, ô prudentes, si retinere tantum beneficium niteremur. Sed redeat, vnde digressa est, instituta oratio. Lumina, quæ fulserunt & docuerunt in scholis et Ecclesiis, nonnulla commemorare visi sumus, quib. subijciemus enumerationem præcipuorum Imperatorũ et Principum tam Ethnicorum quàm Christianorum huius Quartæ Monarchiæ. Quorum choragus est Iulius Cæsar, heros et armis & literis clarissimus. Quinquagies acie dimicauit, res maximas gessit, annum ordinauit: qua in re longè vicit Aegyptiorum Arabũ & Græcorũ inuenta, sicut ipse non iniuria gloriatur apud Lucanũ, Eudoxi fastos superari suo anno. Sed Augustus non minùs benè de scholis meritus est, qui Aeneida Virgiliũ nobis conseruauit, literas & literatos ipse literatissimus amauit et ornauit, et deposita maiestatis Imperatoriæ seueritate nõnunquã humanissimè cum illis est iocatus, sicut tunc acciderat, cũ se diceret sedere inter suspiria & lachrymas, festiuè innuens Virgiliũ & Horatium.

Quinetiam

Quinetiam Germanicus, Traianus, duo Vespasiani, Adrianus, Antoninus Pius, M. Antoninus Philosophus, studia iuuerunt: & hic quidem postremus, sub quo militauit illa celebris legio κεραυνοφόλος, egressus annum quinquagesimum, tantus vir, tantus Imperator, non est veritus accedere auditoria Philosophorum, quod Iulium quoq; Adrianum, Carolum Magnum, Carolum quartum Aureæ bullæ autorem, atq; alios feciſſe accepimus. Similes his fuêre Alexander Seuerus Vlpiani conseruator, Constantinus Magnus, Theodosius I. Theodosius II. Gratianus, Martianus, Iustinianus Iurisprudentiæ parens: & Germani plærique omnes, vt Caroli, Ottones, Lotharius Saxo scholæ Iustinianeæ instaurator, Friderici, Maximiliani &c.

Ex superioribus nonnulli etiã libros edidêre, vt Iulius historiam bellorum suorum, Germanicus Arati Phœnomena versibus latinis à se expressa: Antoninus Philosophus de Virtutibus principum, Alexander Seuerus vitas bonorum Principum: Carolus Magnus Ephemerides, & alĩ alia monumenta posteris reliquerunt.

Meritò autem referimus in hunc laudatissimum ordinem Alphonsum Hispaniæ, & Matthiam Vngariæ Regem, vtrumq; fortem & sapientem, alterum tamen rerum bellicarum gloria, alterum eruditione & tabulis Astronomicis clariorem.

Verùm ne videamur duntaxat esse laudatores temporis acti, nequaquam STEPHANVS silentio prætereundus est, Rex Poloniæ Sereniſſimus, Princeps tam bellicosus, vt antiquis heroibus, tam eruditus, vt viris eruditissimis æquandus videatur, Regum nostra memoria iubar pulcerrimũ, ac verè στέφανος deliciumq; et ornamentũ populi sui, vel potiùs orbis Christiani vniuersi.

Sic institui Regem oportet, quemadmodum Phœ-

nix Achillem, μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρα τε ἔργων. Vtrumq; in hoc Principe conſpici poteſt. Eſt enim, vt Thucydidæus ille Pericles λέγειν τε καὶ πράσσειν δυνατώτατος. Cumq; alijs in linguis ita ſit verſatus, vt excellat: Latinam tamen præ cæteris familiarem ſibi fecit, & ea libentiſſimè tantaq; eloquendi ſuauitate atq; elegantia in rerum grauiſſimarum diſceptatione vtitur, vt Viri ſubtilis et ſinceri iudicij, qui ſic eum ita perorantem intuentur et audiunt, quendã ex Annalium memoria aut è cœlo diuinum heroëm eſſe in Poloniã delapſum exiſtiment.

Amabilis eſt terribilisq; fortitudo: at amabilior terribiliorq; ſapientia. Aiax enim non tam erat Troianis, quàm Vlyſſes, formidabilis. Quòd ſi vnum aliquem beatit vtriusq; beata coniunctio: DEVS bone quàm mirabilem ille ſui apud ſuos amorem excitabit? Quàm verò horribilem inimicis terrorem incutiet? Hoc Regis noſtri exemplo clarè demonſtrari poſſe, ne Inuidia quidem ipſa inficias iuerit: præſertim cùm Maieſtas eius, et generoſa fortitudo ſapientiæ illuſtris acceſſione nobilitata non lateat in tenebris, ſed in oculis Poloniæ atq; in auribus omnium propè gentium et nationum poſita celebretur. Quis talem Principẽ Vir bonus non diligat & reuereatur? Quis hoſtiũ & improborũ non reformidet?

Scilicet in vulgus manant exẽpla regentum. Quod & olim Antigono viſum eſt Macedonũ Regi, & nunc ita nobis videtur, & reuera ſic eſt. Nam Ierobeam cùm ſuperſtitioni viam patefaceret, & ex Bethel Bethanen, ex domo DEI domum iniquitatis efficeret, an non populũ vniuerſum ad huius ſceleris ſocietatem pertraxit? Et Iulianus proditionem iniens à Chriſtianis quàm multa ſecum agmina leuiſſimorum hominum à veræ religionis caſtimonia auocauit? Dauid autẽ, Ezechias, Ioſias, Conſtantinus Magnus, Theodoſius, pij et eruditi Principes, qualibꝰ ipſi erãt ornati moribꝰ; tales ſubditis ſuis ingenerabant

rabant. Ad eundē modum STEPHANVS & heroica fortitudine et politiore humanitate literisq; florentissimꝰ Rex vniuersã Poloniã ad similia studia feliciter inflexit.

Atq; vt Alexander Macedo, sic ipse regnum πρὸσ εὐεργεσίαν datum existimans, omnibus modis populo suo prouisum consultumq; cupit, nulliq; parcit sumtui in conducendis nobilium ingeniorum operis: qua de re præclara extant summorum hominum testimonia; aulã porrò Regiam non Seianis, Plaucianis, Eutropijs, aut id genus Sycophantis, sed eruditissimis fortissimisq; Viris illustratam habet. Vtinam hunc nobis DEVS salutarē Principem diu conseruet, vt Regnũ eius à barbarie expiatum, armorũ scientia decoratum, literisq; ac legibus armatum ad omnes annos consequentes florere videamus Poteramus hîc etiã aliorum inijcere mẽtionem, quorũ nonnulli excesserunt, nonnulli adhuc supersunt.

Sed tempus est Primum dignitatis fontem, de autoribus, alumnis & patronis scholarum claudere, & aperire Alterum, in quo gloria eorundem aspicienda est.

Ac ne putemus leuidense hoc esse munusculum, non est ignorandum, gloriam opinione hominum in rebus optimis præclarissimisq; duci. Ideò omnes ad eam naturali quadam inductione desiderioq; rapiuntur, nonnulli ardentiùs, nonnulli remissiùs, generosissimus quisq; ardentissimè. Quare permagnum illa κειμήλιον est, cunctisq; hominibus & summis et infimis summopere expetitum. Nam quid accendit Herostratum, vt templũ nobilissimũ Dianæ Ephesinæ incenderit? gloria. quid Empedolem, vt in Ætnam præcipitem daret se? gloria. Quid Seuerũ, vt in Indiam cogitaret decursu honorũ ipsoq; ætatis flexu? gloria Quid. Pyramides, quid Colossum, quid Mausoleũ, quid reliqua mundi miracula produxit? gloria. Quid orbem bellis, Ecclesiam atq; religionem dissidijs repleuit? qd nisi gloria et inanis ambitionis occupatio? quæ quasi

facibus

facibus admotis inflammat istos inquietos, vt gladiatorũs animis inter se commissi, prorsus vt Hannibal atq; Alexander apud Lucianum, περὶ τῆς προεδρίας, cruenta contentione dimicent, nihil pensi habentes, quo iure quaue iniuria tales tragœdias commoueant.

Verùm enimuerò non est hoc idoneum comparandæ gloriæ aucupium: neq; sic itur ad astra. Alia via res aggredienda est, Hercules inspiciendus, Hercules exprimendus & sequendus. Quid ergo ille? Non voluptate, cæteri sue, de quib. dixi, rationibus, sed eruditavirtute illuminatus ad nominis immortalitatem adspirauit.

Vitruuius meminit templorum Virtutis & Honoris, quæ Romana solertia callidissimo artificio condidit, vt indicaret, nemini ius fore hoc adeundi, qui illud anteà non esset ingressus. Sic igitur & illa statuit, Honorem Virtute pariendum esse. Et quid est quæso, cur Poëtæ Euphemen Musis addiderint? An non eâdem fuisse in sententia existimentur? Literas igitur & Virtutem colat, non in castra se Epicuri conferat, non in lustra libidinum abdat, non alias tentet inconcessas vias, qui gloria florere vult.

Etsi autem Virtute quæsita laus magna est: tamen literarum accessione augetur in infinitum. Itaq; si Athletæ nobiles, qui in Olympijs, Pythijs, Isthmijs, Nemeis, palmam adepti sunt, splendidissimis honoribus afficiebantur: quid sentiemns de Viris literata Virtute fulgentibus? Illi corporis tantùm, hi corporis atq; animi viribus antecelluerunt: illi paucis, si tamen paucis, hi plurimis: illi suæ duntaxat ætati, hi multis seculis ad hoc vsq; tempus opportunitates attulerunt. Quare si illis marmorea, his aurea statua designanda: si illis magna, his maxima iure omni gloria fuit tribuenda. Vt iam non dicam, quòd omnis illorum prædicatio, quanta quanta

ta quanta sit, iampridem ad nihilum ventura fuerit, nisi diuinus Pindarus Musis eam suis ab obliuione vindicasset. Literarum verò gloria ipsa suŋpsius conseruatrix est perpetua, & perpetuam conciliat alumnis & patronis suis honestissimi nominis memoriam.

Quod illi doceant βεκκεσέλινοι Atlas, Orion, Hercules, Perseus, stellis insiti, vt semper essent in conspectu: ac reliqui paulò antè positi diuini homines, omnes mortui nec tamen mortui. Nam dignos laude viros Musa vetat mori: quod noster etiam approbat politissimus Tibullus, cùm inquit:

Quem referent Musæ, viuet, dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

Tantæ gloriæ parens est Virtus literis exculta. Hæc autem Scholarum filia est. Vnde earum dignitatem non obesæ naris homines satis, opinor, clarè perspicient.

Nunc ad Tertium fontem gradus est faciendus, ex quo, non aliter atq; canis è Nilo, pitissare cogimur, id est, bibentes & fugientes. Vrgent enim nos sequentia.

Præsentia ergo DEI & Angelorum, quæ in eo tanquam in speculo relucet, infinitam scholis gloriam communicat. Omitto iam alias vias, de ea sermo est, qua Ecclesiis, qua scholis adest, qua Doctores & discipulos curat, alit, tegit, protegit. Mirè sibi placent gladiatores, si Princeps quispiam eorum certamina sustineat intueri, et Cæsarem Regemue aliquem hospitem habuisse in magna felicitatis parte duci solet. O vanitas vanitatum. Finge hæc esse magna, vt non sunt, cedò quid ponderis habent comparata cum scholarum dignitate, quã creat eis DEVS supremus Scholarcha, & inspectores beati Angeli. At hîc aqua hæret. Quippe non ego firmus in hoc, non tanta potentia nostra est, non ea dicendi vbertas, quæ possit hanc gloriam exprimere. O ad-

mirabilem DEI φιλανθρωπίαν, interuisentis alueolos nostros cum suis castis Angelis, nec tantùm interuisentis, sed benignissima sua præsentia fouentis & tanquã pupillam oculi sui clementer custodientis. Hæc pertinent ad consolationem præceptorum & discipulorum, qui etsi vt ἐκτρώματα abiiciuntur & despiciuntur: sciunt tamen se curæ esse DEO, imò hunc mundum & istos impios Aloidas sui gratia conseruari sciunt. Et quamuis, vt sunt eius παίγνια, interdum cum illis ludit, premendo, mergendo, turbando: tamen ita premit, ne opprimat: ita mergit, ne submergat: ita turbat, ne perturbet, seruatur eos, vt fractus collabatur orbis, simul cum Scholis et Ecclesiis in perpetuũ defensur atq; ornatur.

Fuit hoc velut ἐπίσαγμα Tertij fontis, insigni consolatione nobile: à quo digressi ad Quartum vltimumq; proficiscemur, in quo amœnissima Paradisi & cœlestis Academiæ recordatione reficiem deficientes spiritus.

Paradisus græcis, Hebræis Eden, hortus est Voluptatis: quem DEVS verbo potentiæ suæ plantauit, & omnis generis plantis, interq; cæteras arboribus vitæ et scientiæ boni maliq; conuestiuit, et quatuor pulcerrimis maximisq; fluuijs irrigauit. Hoc erat futurum domicilium hominum & fuisset, nisi auersi essent à DEO, qui eos expulit concepta admissaq; culpa. Sed vt fuit semper benignus pater, speciem Paradisi in Scholis conspici voluit. Ideò illas quoq; arbore vitæ & cognitionis, nimirum Verbo suo, decorauit, quod viam ad vitam munit pijs, & æra à lupinis, candida à nigris, euidenter docet discernere. Adiunxit etiã quatuor flumina, PHILOSOPHIAM, MEDICINAM, IVRIS PRVDENTIAM, THEOLOGIAM: quibus irrigatæ Scholæ fructus vberes & diuturnos profundunt, & in omnes mundi angulos effundunt. Vt autem delicijs Paradisi

radiſi excidebant primi homines, qui illum violata arbore ſcientiæ boni et mali ignominia affecerãt: ita violatrix Scholarum maledicentia, ſibi ignaua, DEO inuiſa, bonis maligna, ſimili pœnæ generi ſe aſtringit, excluſa atq; excludẽda in æternũ Paradiſi amœnitate atq; cõmodis.

De Paradiſi cum Scholis ſimilitudine dictum eſt: dicendum porrò de Academia cœleſti, quæ cognatione eas pari attingit. Id quod confido breui fore manifeſtũ. Apparet autem Academiæ cœleſtis nomen & in hominem, & in mundum, & in illam, quæ mundi finem excipiet, beatam DEI, Angelorum & hominum communionem, pereleganter conuenire.

Homo fuit cùm primùm exiuit è manibus artificis, et eſt etiamnum Schola ſibiipſi, in qua clara diuinitatis veſtigia ſunt impreſſa, ac non modò diuinitatis, verùm etiam mundi vniuerſi, vt μικροκόσμου cœleſtisq; Scholæ dignus nomine iure omni habeatur.

Quàm venuſta Trinitatis imago fulget in mente, in cogitatione, in ſpiritib⁹: quàm ſuauis fidelium Eccleſiæ Doctorum in malleolo & incude aurium: quàm admiranda Politiæ in ratione & affectibus, sanæ quidem illius atq; florentis, ſi parent hi illi: ægrotæ verò & afflictæ, ſi non parent. Vt autẽ in vita ciuili obœdientes præmijs, inobœdientes pœnis afficiuntur: ſic in homine cor lætitiam capit, cum affect⁹ rationis imperium ferunt: triſtitiam, cùm excutiunt. Qua in re mira vis eſt conſcientiæ, quæ iniurijs ab vnoquoq; factis vſa pro furijs, & practico Syllogismo ſuo tanquam fulmine aut Gorgone facinoroſos perterrefacit immanè quantum: Illis autem, qui nullius fuerunt ſceleris aut conſcij aut ſocij, murus, eſt aheneus, inexpugnabilis & ſalutaris. Vides Politiæ formam in hac Schola. Videbis et Oeconomiæ, ſi ventriculi, epatis & partium cæterarum officia conſiderabis,

quod debes vel dicam debemus facere omnes, primùm, quia τὸ γνῶθι σεαυτὸν ad omnes pertinet: deinde, vt muniamur aduersus Pyrrhonios, qui prouidentiam negant, sicut Galenus, cùm ista vidisset aperta & patefacta, munitus fuit. Prodest etiam suiipsius consideratio ad valetudinem. Nam Qui benè se nouit, sanior esse potest. Prætereo pulcerrimarum Virtutum imagines in nobis lucentes, vt Iusticiæ, vt Beneficentiæ, vt Modestiæ, vt Communicationis, quæ quidem postrema cùm in omnibus membris, tùm in venis & arterijs valdè illustris & admiranda est. Hanc ideam intueamur, & scholas atq; Ecclesias, quantum cuiusq; fert facultas, conseruare studeamus, quemadmodum partes corporis nostri & minimas & maximas quasi amica facta conspiratione, ad alendam in se natam Academiam contendere certatim experimur.

Difficile est ab his abire tam iucundis cogitationibus, sed abimus tamen, vt alterius veniamus in cognitionem scholæ, quæ per omnes mundi partes latè distributa est. Quid enim de quatuor omnia gignentium corporum natura, quid de terra, quæ ad vniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinet, quid de zonis, quibus ipsa tanquam cingulis quibusdam redimita est atq; circumdata? quid de florum, herbarum, arborum, animalium, &c. delectabili varietate, quid de aquis & aquarum incolis piscibus, quid de animali igneaq; parte, quid de auium, quid de impressionum generib⁹ dicemus? Sunt hæc omnia libri à DEO de DEO viuis spirantibusq; literis perscripti.

Sed præter hos alius adhuc & amplior est & augusti-
or, stellarum quasi aureis notis exaratus. Is est cœlum pictum stellis, illustre & clarum, cuius contemplandi caussa dati sunt nobis oculi & erecti corporis gloria,
quam

quam diabolus cogitauit imminuere, producto ex inferis nescio quo pisce, quem Galenus hoc nomine οὐρανοσκόπον appellauit. Sed hoc tralaticium est, &, vt aiebam, commentum Dæmonis, inuidentis humanæ excellentiæ. Cœlum igitur adeamus, & hoc aureum monumentum τῷ θείῳ ψυχῆσ ὄμματι propiùs aspiciamus. Plato cœlum fieri cupiebat, vt Stellam suũ stellas intuentem pluribus luminibus cerneret. Idem nobis, si quid vota valerent, erat in optatis. Sed est aliquid prodire tenus, si non datur vltrà. Etsi autem, vt in terra vel leuis est cespes, qui probet esse DEVM: ita in cœlo nihil tam exile appareat, quod numine vacet: tamen id in corde Mundi, vt sic dixerim, in Sole, Sole ipso clarius est. Hyeme is et citerior nobis videtur et celerior, insigni prouidentiæ argumento, vt radiorũ debilitatem vicinia compenset, & frigoris inclementia maturiùs dispellatur. Contrà verò æstate remotior est, ne fruges exurat, & lentior, vt eas ad maturitatem perducat, aut vt Reges Principesq; exemplo suo ad quandam animi temperantiam modestiamq; reuocet. Quid dicam de Zodiaco? Nam quæ dicta sunt, eueniunt ex parte Eccentrici, vt vocant. Factus ille circulus est mira arte obliquus, vt calor Solis & Borealibus populis & Australinis æqualiter communicaretur. Porrò cursus contrarij, qui voluuntur in diuersis axibus, vnde Plato putauit Mundum figura literæ X coagmentatum esse, quàm vtiliter eruditi illi nos, vt in fatali imperiorum ruina sapientum leniter occurrente moderatione multa mitigari posse sentiamus. Plena sunt hæc omnia immensæ cuiusdam sapientiæ, vt & sequentia de Solis via per XII signa Signiferi. Aquarium flatibus & frigore valentem, ac Pisces Aries consequitur, qui terram molliendam subigendamq; præparat arationi. Hunc Taurus excipit cum

Pleiadibus atq; Hyadibus, faciendæ sementi accommodatus. Deinde Gemmorum prosper et salutaris ille calor herbescentem ex semine viriditatem amplectitur, quæ fibris nixa suis adolescit, culmoq; erecta geniculato vaginis quasi pubescens includitur, ac deinde frugem fundit spicæ ordine structam. Mox sub Cancro iterum rigatur. Sub Leone maturitatem adipiscitur. Virgo caloris molestias sedat. Libra rursum humida nouæ sementi viam dat. Scorpius humectat sata. Sagittarius temperator est frigoris et humoris. Ad extremum Capricornus gremium terræ constringit, vt sata calore cõfirmato potentiùs foueantur, & in Vere posteà relaxata terra proueniant feliciùs. Vides illustrem prouidentiæ Scholam.

Taceo de Planetarum erga Solem & inferiorum & superiorum obseruantia. Superiores cùm ei sunt coniuncti, perpetuò in summa sui epicycli parte inueniũtur: crederes reuerẽtia tanti hospitis in extremos ditionis suæ fines progressos, quasi loco cessuros regi, aut mãdata ab eo viresq; accepturos.

Deinde digrediente ipso descendunt de arce sua, deducentes & sequentes regem, donec quatuor Signorum interuallo ab eo remoueantur. Tum demum quasi satisfecerint officio, dies aliquot inhibito cursu veluti consistunt, perinde ac si regi valedicere, & longiùs progredientem respicere cupiant.

Postea sedato nisu paullatim regrediuntur, & ad imam epicydi sedẽ se deñciunt, vt regis, qui tunc eis ex aduerso oppositus est, absentiam lugere & præsentiam eius quadam supplicationis specie desiderare videantur.

Mox tamen iterum aduentanti adhuc contra signorum ordinem ab ima parte epicycli ascendentes cum festinatione occurrũt, et quarta parte circuli adhuc distantem, salutabundi excipiunt, aliqua dierum statione habita. Inde recto itinere, secundũ signorum successionem Regẽ

appropinquantem præcedẽtes, omnibusq; lætitijs incedentes ad arcis suæ fastigium enituntur, tanquã Soli iam iam affuturo locum concessuri.

Agnoscis, Lector, in hac imagine multarũ virtutũ lumen refulgere, sicut etiã in Veneris et Mercurij inferiorũ Planetarũ theoria, quos putes esse Solis custodes atq; Celeres, si animaduerteris, vt iam accedant quasi mandata capessere promti, iam recedãt velut speculandi gratia emissi. Mox tamen ne longiùs à Regĩ corporis custodia declinent tanquam reuocati ad Regem festinabundi redeunt, sicut ea de re diuin⁹ Præceptor in Physicis diuina suauitate philosophatur. Adeo autem ea concinnitas recreauit Pythagoreos, vt planetis singulis Musas fidesq; singulas affinxerint atq; affixerint, non illi quidem ineleganter, nec tamen admodum scienter, si reuera quoddam in cœlo ἑπτάχορδον esse statuerunt.

Nonnulli quoq; Politiæ speciem ex ista planetarum admirabili harmonia elicũt, in qua Saturn⁹, quia lõgæuus, et ob id sapiens credi possit, regni Cancellari⁹: Iuppiter æquitatis nomine Iudex: Mars propter ardorem, Præses belli: Sol maiestatis commendatione Dux et Imperator luminum reliquorũ: Venus ob humidam fœmineamq; molliciem Materfamilias: Mercuri⁹ quia sagax, Scriba: Luna quia velox & promta, Nuncia Regis habeatur.

Erudita sũt ista humanissimæq; voluptatis plena, quæ si interi⁹ inspiciemus, de multis nos maximisq; reb⁹ cõmonefieri sentiem⁹. Sol certè de fine nos hui⁹ mundi nõ obscurè admonet, si audiẽdi sunt in sua arte, ut omnino sũt, nobiles et probati artifices, q 9967 milliarib⁹ ipsũ hodie propiorẽ terræ, quã Ptolemæi tẽporefuit, esse repererunt.

Sed mitto hæc & infinita alia & venio ad illam tertiam cœlestem & æternam Academiam, vno alteroq; verbo attingendam, cùm nullius eam sensui in hac vita patere cernam⁹ quæ et ipsa, sicut humana et mundana, similitudine quàm proximè accedit ad nostra gymnasia.

Vt enim erudimur in his & erudimus: sic in illa, quæ intelligentiam nostram in hac miseriarum valle fugerunt, summa voluptate omnia percipiemus mysteria, docente nos ipso DEO, qui erit omnia in omnibus.

Non te fugit, Lector, posse ista multò & copiosiùs & magnificentiùs tractari: tantum abest, vt hyperbolas admiscuisse videri debeamus. Cæterùm vellit mihi Cynthius aurem, & illud, Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt, iam diu videor mihi audisse. Quare de scholarum dignitate atq; claritate verbum non ampliùs addam. Sed vt animo contineamus eam inclusam, renouemus oportet oratione, quæ in quatuor fontib⁹ ideò fusiùs exposuimus, vt vulgi opinionẽ pernicioſam, quod scholas nullo admodum habet in honore, minueremus.

In primo itaq; DEVM scholarum autorem, & summos homines alumnos & patronos earundẽ inuenimus, tum ante Monarchias Adamum cæterosq; deinde Patres vsq; ad Nimrodum: tum in Monarchijs, atq; in I quidem Noamum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Atlantem, Homerum, Hesiodum &c. In II Danielẽ, Zachariam, Pindarum, Socratem &c. In III Iaddum, Eleazarum, Alexandrum M., Philadelphum &c: In IIII Christum ipsum, Apostolos, Patres, Imperatores propè omnes, addo principes & reges, & inter hos nostra ætate abundantem doctrinæ elegantia bellicisq; laudibus Poloniæ Regem STEPHANVM.

In secundo gloriam eorum, non voluptate, non incendijs, non infesta præliorum dimicatione, sed vera virtute partam, literisq; amplificatam, ac nulla tot seculorum obliuione extinctam, aspeximus.

In tertio præsentiam DEI & beatorum Angelorum considerauimus, in qua, incredibile dictu est, quanta fiat ad scholarum dignitatem accessio,

In

In quarto affinitatem earum cum Paradiſo & Academia cœleſti triplici, humana, inquam, mundana et æterna, ſpectauimus, et in his quidem omnib⁹ longiùs quàm voluimus, breuiùs quàm debuimus, commorati ſumus.

Hi ſunt illi quatuor nobiles limpidiq; fontes, quorum aqua hauſta et ſumta non abſtemios, vt Clitori⁹, nec marmoreos ſenſ⁹, vt is, qui fuit in Chio, fõs, facit: ſed μισομισίαν delet ex animis, quãuis altè inſedit ac inueterauit, delet tamẽ, atq; ex inimicis amicos, ex iniquis æquos ſcholis homines, modò ſint homines, dulci μεταμορφώσει efficit.

Eadem vis & Vtilitatis eſt & Neceſſitatis, illius copioſiſſimæ, huius valentiſſimæ: de quibus deinceps eſt agendum, vt præfationis noſtræ partem priorem (duas enim, ſi meminiſti, fecim⁹) tandem aliquando finiam⁹.

De VTILITATE dicturis incõmodorum quoq; facienda mentio eſt. Cõtraria enim iuxta ſe poſita lucidiora fiunt. Tanta verò amplitudo huius partis eſt, vt nos noſtræ ioculariſ pudeat pœniteatq; audaciæ, in ſuſcipiendo argumento, cui decem Demoſthenes et adhuc decẽ Ciceroneſ vix ac ne vix quidẽ pares eſſe videantur. Sed noſtrarum tamen viriũ, quamuis exiguarũ, periculum faciem⁹, ſiquidem in magnis & voluiſſe ſat eſt. Neq; Timanthes anguſta in tabula Cyclopis magnitudinẽ oculis ſubiȝcere potuit: itaq; vt ille Satyros pinxit obambulantes circa monſtrum vino ſomnoq; ſepultum, et Thyrſo pollicem illius dimetientes, vnde aſpicientib⁹ de immani corporis mole coniectura fuit capienda: Ita nos in his infantiæ anguſtiȝs, quia vniuerſã vtilitatis vim ex ſcholis profluentẽ exprimere non poſſumus, aliquas eius duntaxat partes adumbrare conſtituimus, cætera tam magna quàm multa intelligentiæ ſapientum æſtimanda relicturi. Sed vt ordine noſtra progrediatur oratio, quid Oeconomiȝs, Politiȝs, Eccleſiis, primùm vniuerſis, deinde ſingulis proſint Scholæ, breuiter eſt aperiendum.

Ac principio quasi datũ atq; concessum esto, vitam humanam trib⁹ illis implicatã esse atq; cohærere, quæ ruere non possint, vt hæc non eodem labefactata motu cõcidere videantur. Non possunt autẽ illa se profectò tueri sine scholis. Quæ .n. Ecclesia, quæ Politia, quæ Oeconomia, vel floruit vnquã, vel vnquã sine literarũ adminiculo durauit? Est igitur hoc generale, et per omnes hasce vitæ humanæ tres velut animas fusum beneficium, quòd à scholis seruentur et custodiantur, ornẽtur et stabiliantur

Iam verò difficile explicatu est, qd singulis cõmodent. Ad Oeconomiã afferenda est prudentia, parsimonia, liberorum liberalis institutio, operarum domesticarũ descriptio, ratioq; gubernandi familiã, ac via augendæ atq; tuendæ rei familiaris, omitto ut ædificia, si necesse sit, noua construi, ut uetera, si uitiũ duxerint, refici, ut rationes subduci conficiq; oporteat. Hæc et his similia quàmplurima, si ad veritatem reuocauerimus rationem, ex ludis literarĩs deriuanda esse nequaquam negabimus.

Deinde in Politiæ sinum, Deũ immortalem, quàm beatam uberẽq; maximarũ utilitatum copiam infundunt: quæ euidenter cõspiciuntur, cùm Respub. gerenda: patria defendenda: bella administranda: seditiones comprimendę: leges in pace cõficiendę sunt atq; promulgandæ: item in consilĩs capiendis probãdisq;: in legationib⁹ obeundis ac renunciandis: in ærario locupletando diuitĩsq; cõgerendis: in ædificationib⁹ suscipiẽdis: in omnib⁹ Reipub. negocĩs expediẽdis: ad sũmã in illi⁹ salute felicitateq; promouẽda atq; tuenda, scholarũ opportunitates in dies singulos sũmæ perpetuæq; conspiciuntur. Quæ cùm sapientib⁹ pateãt, efficiendũ est, vt rudiorib⁹ etiã appareãt.

Ac in republica quidem regẽda, virtutem requiri prudentia sapiente ornatam planè affirmandũ est. Nam sine uirtute quid geri potest prædicatione dignũ. Hæc verò neq; esse quod est, neq; nomẽ suũ tueri potest sine prudẽtia. Et quamuis posset tueri, tamen min⁹ fructuosa, ac sa-

pè pernicioſa fieret deſtituta duce & luce ſua. Quare ſi eſſe id quod eſt, ſi nominis dignitatem retinere, ſi ſalutaris debet eſſe, prudentiâ ſapiente fulcienda atq; dirigenda eſt. Sed vbi quæremus eam rerum Dominam & Reginam virtutum? nempe aut in ſcholis, aut vbi cerui cornua abñciunt, id eſt, nusq;. In ſcholis illa cum Salute, cũ Aſtrea, cũ cæteris virtutibus nata, educata, quæſita, inuenta eſt. Has igitur adeat oportet, his Magiſtris excolendũ perpoliendumq; prębeat animũ, qui ſe ad Rempub. resq; magnas gerendas accommodabit.

Deinde in patriæ defenſione & bellorũ tumultu literarum vſus admirandus eſt. Nam Syracuſas qs protexit aliquãdiu feliciùs, quàm Archimedis Geometria, & ingenioſa θαυμασοποιικὴ? Vn' tùm ille vir valentior certè fuit, quã centũ bellatores vnde etiã Centiman' eſt vocatus. Huius exemplo Proclus cauis ſpeculis, incẽſis ab aduerſi Solis radñs, naues Vitaliani cõbuſſit ſolus, quod copioſus exercitus vix potuiſſet perficere. Quid Tyrtęum dicam, cuius Martiæ et generoſę Muſę Meſſenios magis quàm Lacedęmonũ arma ſuperarũt. Vidit hoc ſapiẽs Agamẽnon, vidit arma foræ foris imbecilla, niſi ſit conſilium domi. Quare non decem Achillis, ſed totidẽ Neſtoris ſimiles ad bellũ Troianum cõficiendũ deſiderauit. Nam *Pectora ſunt potiora manus vigor omnis in illis.* Ac apparet huc reſpexiſſe Imperatores, qui literatos duplicato ſtipẽdio merere voluerunt. Omnino igitur ſiue patriæ propugnatio, ſiue bellorum adminiſtratio ſuscipienda eſt, priores, Sapientiæ partes, quàm Fortitudinis eſſe, nemo ſanus dubitabit.

Idem ſentimus in ſeditionibus ſedandis. Quid. n. à patribus olim Romanis diſſentientem inſanientemq; plebem reduxit in gyrum rationis, in viam, in ciuitatẽ? nonne ſapiens Menenñ facundia? quid conſenſum extinxit coniurationis Catilinariæ? Nonne flumina vel potiùs fulmina Tullianæ eloquentiæ. Omitto plura exempla. Sunt enim in promtu.

Porrò in pace cùm Respub. inſtitutis & legibus temperanda eſt, ſapientis prudentiæ lumen inſigniter enitęſcit. Neque enim leges condere mediocrium ſiue indo-

ctorum hominum officium est: sed eorum, qui præstantibus ingenijs diuina studia coluerunt, et in Philosophorũ officina accuratè politi atq; limati sunt. Huiusmodi extiterũt Dracon, Solon, Lycurgus, Charondas, Zaleucus, nomina ad omnem posteritatis memoriã consecrata. Horum vestigia qui tenere volunt, rebꝰ debent ac disciplinis ijsdem, quibꝰ illi fuerunt, parati esse atq; eruditi, vt omnes et morbos et rationes Reipub. perspectas habeant, cuius imaginem ac notionẽ totius animo tenere depictam atq; inclusam oportet, si leges, quibus iuris inter omnes æquabilitas proportione retineatur, adeoq; cõmunium rerum incolumitas custodiatur, ferre cupiamus.

Diximus scholarum in consilijs quoq; commoditates & capiendis & comprobandis peruideri. Quamuis enim multi naturæ ipsius habitu propè diuino & consuetudine in hoc genere excellunt: tamẽ ars certior dux est, quàm natura. Ideò eruditi Senatores τὸ ὕπαρ, hoc est, rem ipsam, sicut est, intuentur: rudes siculneo baculo nixi similitudine ducuntur, in qua permultum sæpè est erroris. Nulla enim similitudo vacat dissimilitudine. Ac videntur isti mihi inelegantibus valdè affines esse Medicis, qui eodem collyrio omnibus medicinam facere cupiunt. Quamuis autem interdum non longè absunt à scopo: tamen mirè frigent eorum aliqui: quando consilium sub manu nasci, & ex re atq; ex tempore debet constitui: aut quando id excogitatum stabiliendũ est rationibus. Vtraq; in re magna literarum vis est. Nam naturam in celeritate inueniendi & confirmandi consilij potenter adiuuant. Ideò non frustrà dixit Philosophus, Dialecticam prodesse πρὸς τὰς ἐντεύξεις. Ergo literis dedat se necesse est, qui in consilijs quocunq; tempore tam dandis quàm firmandis excellere desiderat.

Adhæc in legationibus gerendis renunciandisq; liberalis doctrinæ excellens est vtilitas. Videas hîc trepi-

dare

dare ruditatem, desponderе animum, si quem habet, semper stare post principia: adeò enim turpis est, vt se prodere erubescat, cùm tamen prodat semper. Interim veneranda cum Virtute sapientia excelso magnificoq; impetu causſam suscipiens Reipublicæ, disertam et prudentem ei vocem suam accommodat, ac sæpenumero impetrat, quod totius ad ciuitatis diuturnam stabilemq; felicitatem referatur. Erat igitur gratæ Reipub., eam eiusq; parentes Musas & Scholas remunerari. Sed hîc dormit Gratia somnum Epimenideũ. Interim Christus in scholis, in Ecclesiis, miserè esurit, non rarò audiens illã antiquam cantilenam: θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδοῦσ, aut siliquis vel pane secundo pasci cogitur. Superstitio verò & barbaries velut in rosa viuunt vigentq;, omnibus deliciis circumfluentes. O tempora, ô mores. Reperiuntur tamen aliquot honestæ & florentes ciuitates, quæ Christo cum suo dulci & reuerendo comitatu, Scholis & Ecclesiis de hospitio accommodant. Inter quas suprà quoq; & nunc referimus Rempub. nostram THORVNIENSEM, quæ sine dubio florebit, quoad Christum & pias Musas nutrierit. Ah quantũ est hunc DOMINVM dominantium fouere? quanta felicitas hunc hospitij iure deuinctum habere? Nunq; esuriet, qui hunc esurientem recreauerit: nunq; iacebit, qui iacentem erexerit. Hæc videmus, nec tamen videmus, quia non facimus, quod deberemus facere, si viderem⁹. Miseria miseriarũ est ac profectò pœna ingratitudinis, nolle cernere, quod cernas: nolle credere, quod credas.

Præterea in ærario augendo, cùm variæ ineantur rationes, ea sine hæsitatione, quæ specie honestatis commendatior est, cæteris anteponenda est. Quæ autem est ea? Hîc quot capita, tot sententiæ sunt. Quidam exactionibus & vsuris, quidam pagis & id genus possessionibus ei prouisum putant. Hi omnes hirudines sunt thesauri

publici, atq; inter hos illi maximè, qui parcè faciunt sumtus in scholas & Ecclesias. Quod cùm certum exploratumq; sit, tam nos esse occæcatos, vt non cernamus, quod vel cæcus videat, vtiq; dolendum est.

Quæ est ergo vera via? Necessarios sumtus decidere cùm scholis atq; Ecclesiis, tùm alijs ad salutem communem requisitis. Hæc est explicata atq; salutaris diuitiarum comparandarum ratio, & hìc quò largiùs seres, eò largiùs metes. Quid autem? Messem verè auream: messem talem, qualis perhibetur esse in regione Troglodytica, aut qualis in horto Alcinoi, inq; palma perpetuò virente expressa est: Messem nunquam deficientem, semper fœcundam atq; fertilem: & quam tandem, inquis? Iuuentutem, inquam, moderatam: ciues bonos & iustos: Philosophos eruditos: Medicos elegantes: Iurisconsultos, atq; Senatores prudentes: Theologos sinceros & quietos. Ecce tibi messem: ecce thesaurum: ecce ærarium ciuitatis primum atq; præcipuum, quod si floret, alterum quasi coloniam ex se profectò deriuabit. Hoc Thaletis & laudatissimarum ciuitatum exemplis ostendi potuit, si res verba desideraret, ac non potiùs pro se ipsa loqueretur.

Iam, Lector, te iudicem appello, vtros putes lautiùs ærario consulere, hosce posteriores, an priores. Hi serunt beneficium, & metunt fructum, hoc est, salutem ciuitatis: illi serunt spem in mari, metentes eius pestem atq; exitium: vtq; olim Spartanus in muris ferreis, sic isti in argenteis & aureis, id est, in grandi pecuniarum vi salutem ponunt Reipublicæ: sed amici literarum in literis & literatis. Ah nimis manifesta decisio est. Negari non potest, vt salutem afferunt rebus communibus ὁ φιλόμισοι: sic eos hostes & pestes esse, &, vt dixi, hirudines, qui magis respiciunt

ad

ad pecunias cumulandas, quàm ad Scholas & Eccleſiam. Nam quantum in ipſis eſt, illud primum ærariũ, in quo verè ſalus ſita ciuitatis eſt, euertunt, eoq; euerſo hoc alterum. Hoc eſt Rempublicam ἐξ ἀφαιρέσεως curare ſcilicet: hoc eſt teruncium quærere: talentum perdere. Doleo non licere nobis iſta probare, ſi probare, quod in luce, in oculis, in auribus omnium eſt, quod verum, cognitum, indubitatum eſt, oporteat. An non imprudens eſt paterfamilias, qui parcè conſerit agros? An non imprudens Magiſtratus, qui parcè ſumtus facit in Scholas? Sanè. Vt enim ille vberiore frugum prouentu, ita hic infinitis commodis & ſe & ſuos priuabit. O ſeculum inſipiens & infacetum. Quid eſt deſipere, ſi hoc eſt ſapere? Ærarium quemadmodum ditetur ex literis, patefeci: volui certè. Cognoſce nunc reliqua.

Quinetiam architectura doctrinæ eruditæ operam omnibus locis requirit. Nam, vt Vitruuius ait, literatus ſit oportet, peritus Graphidos, eruditus Geometria, Optices non ignarus, inſtructus Arithmetica, hiſtorias complures nouerit, Muſicam ſciuerit, Medicinæ non ſit ignarus, reſponſa Iuriſconſultorum nouerit, Aſtrologiam cœliq; rationes cognitas habeat. Hæc ille: quæ deinceps ſic probat, vt omnium aſſenſum legentium intelligentiumq; mereatur.

Ad extremum ſi posueris tibi ante oculos publicorum temporum negociorumq; ciuilium varietatem, ſi animo & cogitatione omnes Reipub. partes, rationes, officia percurreris: perſpicies id, quod apertũ eſt, Scholas eſſe promas condas inſignis cuiusdam prudẽtiæ, qua præeunte, quamcunq; ad rem te contuleris, ex ea cum laude diſceſſurus videare: ſed oleum & operam ſis perditurus, quicquid ſine ea conſtitueris expedire. Rudes enim

enim etsi corporis vtantur oculis, tamen quia Græ-
rum carent oculo, id est, scientia literarum, Hypsæa
cæciores nullam habent veri peruidendi facultatem, &
in rerum ambiguarum dñudicatione ὥσπερ ὢν ἐκγενετῆσ
τυφλὸσ versantur, sæpè labuntur, sæpè peccant in con-
silñs, sicut illis vsitatum est accidere, qui sine luce va-
gantur in tenebris: nec mirum, cùm opinione & affe-
ctu, consiliarñs pessimis, non ratione, non lege regantur.
Quare necesse est misera fieri naufragia, si tales cla-
uum teneant in puppi Reipub. ὄνοι πρὸσ λύραν, qui
non sapiunt pueri instar, quinimò sapientiam & sa-
pientes vi & impressione euersos cupiunt, sicut olim
Caligula, Nero, Domitianus, Bassianus & huius fa-
rinæ tetra generis humani νοσήματα & carcinomata:
aut confugiunt ad nebulas Aristophanicas, vt spar-
sis calumnñs persuadeant vulgo, literas & literarum
studia vana, sterilia, inutilia atq; ea re abñcienda esse.
Quid quæris Lector? Nonne isti tibi videntur Æsopi-
cæ vulpis æmuli, quæ amissa cauda eius incommodita-
tem cæteris persuadere cupiebat, hanc summam habens
orationis, impedimento & oneri, non honori esse, ac
proinde præcidendam. Sed neq; hæc vulpibus, neq; illi
nobis, nisi amentes sim', persuaserint, vt sapientiæ nobi-
lia instituta deseramus, cuius tanta vis est, vt hominem
supra humanam conditionẽ ad Dei similitudinẽ quàm
proximè adducat. Quid enim diuinius est, quàm inge-
nium habere ad omnes res appositum, ad omnes tempo-
porum mot⁹ vicissitudinesq; stabile et paratũ, ad omnia
pericula subeunda, munia suscipienda, iudicia exercen-
da, præsens, promtum, expeditum? quid diuinius, quàm
memoria comprehendere præterita, præsentia sapienter
constituere, præcipere cogitatione futura, & quasi ex
specula, quæ impendent, prospicere? Quid multa? diui-
ni hominis hæc esse & similia nemo nisi excors inficiabi-
tur

tur. Huius autem diuinitatis literarum sapientia conciliatrix est. Sapientiæ mun⁹ est, vt similiores DEO videamur, quàm hominibus, omnia perspicientes acutissimè, perficientes celerrimè. Nimirum igitur verè dixit Menander διπλοῦν ὀρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα: Verissimè et ille, qui sic: παύσασι διπλοῦν οἱ μαθόντες γράμματα. Imò verò diuturna liberorũ euolutione hoc sibi sapientes peperêre viri, vt eorum omnium autorũ oculis videre, quę videnda, & manib⁹ gerere, quę sunt gerenda, videãtur. Sed quid pluribus opus est? vel ex his, quæ attigimus, scholarum & literarũ emolumenta, quæ magno numero redundant in Politiam, omniũ, opinor, oculis animisq; clarè patuerunt.

At, inquis, quid ad Ecclesiam inde redit? Expediam paucis. Ecclesiæ opus est verbi diuini doctorib⁹ atq; interpretibus, qui ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, & populo salutarem doctrinam vtiliter & intelligenter possint inserere. Atqui tales non subitò nascuntur, vt fungi, aut Iasonis aduersarij: sed fingendi sunt & formandi in Scholis. Opus est Ecclesiæ doctrina, non hausta ex triuijs, vel circulis, sed ea solida atq; necessaria, quę non nisi in Scholis imbibi percipiq; potest: in quibus Verbũ DEI (de Christianis enim scholis loquimur) & Christiana Philosophia inde vsq; ab initio fuit retenta.

Sed finẽ facim⁹ de Vtilitate dicẽdi, dicturi iam de incõmodis, quę ex scholis neglectis et collapsis manãt in illas aliquoties positas totius vitæ humanæ tres velut animas.

Nam in Oeconomia & Politia quid miserius est imperitis hominibus? qui tum sibi, tum suis exitio sunt. Sibi quidem, quia affigunt humi diuinæ particulam auræ, & extincto rationis lumine per insciti̇æ tenebras, sensibus degunt duntaxat, vt pecudes, neq; præterita neq; præsentia rectè intuentes, neq; consulentes in longitudinem. Iam primum hoc quanti? At alterum non leuius, infamia, inquam, & ignominia quam non

vltima Thetys Nec genitor Nympharũ eluat Oceanus. Ita nobiles euafere ſtulticia ſua Coroeb', Margites, Sannyriõ, Anthemion: ita is, quem ſemel atq; iterum nominaui, Strepſiades, qui putauit cœlum eſſe furnũ, et de generatione pluuiarũ, deq; nubib' et Scholis mirabiles et perridiculas habuit opiniones, rectiùs ligone, quàm Timõ, philoſophaturus. Quis in hac perſona non agnoſcit imperitorũ hominum expreſſam imaginem? Ita Alphonſini iſtius aulici memoriã, qui Principem non decere literas ſcire contenderat, quis non cum execratione deteſtabilem vſurpabit? Omitto illum egregium Medorum Regem apud Philoſtratum, qui importunè interpellans ſapiẽtiſſimas Iarchę et Apollonij diſputationes, verè fuit ὄνος ἐν μελίτταις, et perpetuam ex inſipientia ſua maculã ſibi ſuscepit. Quare et hoc damnũ non eſt modicũ. Sed grauiora ſunt, quæ reſtant: nẽpe conſcientiæ vulnera et pœnarũ cruciat' æternarũ, qui certò excipiet nõ tàm ἀμύσσω, quàm μισομύσσω. Vide quãtas pœnas ſibi ipſi accerſant iſti: nos, ſi ſapiam', tanti nõ emam' pœnitere.

Sed ſuis non minora creant pericula. Tales enim eos, quales ipſi ſunt, exemplo faciũt ſuo: cumq; in omnib' propè hallucinentur, tamen in liberorũ educatione, et conſiliorum ineundorũ ac legum deſcribẽdarũ ratione error eorũ & offenſio, Socratici Platonis iudicio, grauior eſt homicidijs, ſiquidem cõiungitur nõ cum vni' alteriusue, ſed pluriorũ et liberorum et ſubditorũ et poſteritatis, ſi nõ interitu, certè miſerabili grauiſſimaq; plaga: vt ita primùm ſibi, deinde ſuis liberis et ſubditis, denicq; poſteris ingẽtia fortunarum, corporũ, animorũ pericula miſerâ inſaniâ attrahant. Ac tales quidẽ fruct' edit inſcitia in Oeconomia et Politia.

In Eccleſia verò cuiusmodi malorum Lernam euomuerit, mens meminiſſe horret, luctuq; refugit. Repetamus memoria ſuperiorum temporũ miſeriam: et aperiet ſe longa calamitatũ multiplicium tela, lachrymis mœſtior Simonideis, Quàm multos vidit illa ætas ἀνοσίως θεολογοῦντας, qui

quoniam

quoniam ignorabant literas, atq; vt διὰ δόλων, sic illi in vineam DOMINI partim vi irruperant, partim Sinonijs artibus irrepserãt: quis obsecro verbis consequi poterit, quantam clarissimæ religionis luci caliginem obduxerint? Vnde posteà nati sunt præter alias malorum myriadas, pernicioſarũ opinionũ labyrinthi, et horrẽdæ dubitationes, quæ velut Erinnyes pios animos affligebant, omnẽq; doctrinæ puritatẽ, cùm in Scholis, tùm in Ecclesiis, plus quàm Ægyptijs tenebris inuoluebant, vel potiùs sepeliebant. Et quod permirũ est: barbaram cõfusionem et cõfusam barbariem istam sic adspiciebant homines, vt omnia eius dicta factaq; pro oraculis ducerẽt. A deò densas nebulas portentosa bellua offuderat, omnemq; rationis vim cum sensu eliserat, vt facilè agnosceres γοργείην κεφαλὴν δ'κνοῖο πελώρου. Harum miseriarum causas alij in astris tanq; in fati tabula quærebant: alij vt imperia, sic disciplinas κατὰ τινὰς τεταγμένας περιόδους, posteaq; aliquandiu floruissent, subeunte paullatim barbarie, inobscurari delericq; statuebant, amplexi Platonis sententiam, qui mutationes accidere, cum fundus sesquitertius quinario aggregaretur, iudicabat. Non improbaueris has eruditas cogitationes, sed veriorem eam esse causſam, quæ aliquoties significata est, Scholarum, inquam, & Ecclesiarum despicientiam, & ingratitudinem nostram credideris. Hinc illæ lachrimæ, hinc istæ ἀμυχαὶ, hinc ista Pandora profluxit, hinc istæ malorum faces accensæ, hinc vastitati omnia addicta sunt. Quare, si est *felix, quem faciunt aliena pericula cautum*: debemus nos quidem, qui has pestes effugimus, & Christum salutãtem nos osculo pacis, id est, Euãgelio suo et luce purioris doctrinę, recepimus, summo studio cauere, ne inconsiderata parsimonia, & tenacitate in Scholas & Ecclesias eum arceamus, sicut insulsi Gadareni: qui pluris faciebant immundas pecudes, quàm DOMINVM. Horum beluniam incogitantiam nequaquam imitemur, sed annitamur, vt hunc

thesaurum amplissimorum cõmodorũm spe, et incõmodorum ingentiũ metu adducti atq; excitati retineamus.

Ad quod nos ipsa quoq; compellat Necessitas. Thales, vt in eius vita meminit Laërtius, rogatus, quid esset in rebus potentissimum? respondit, NECESSITAS. Idem Plato sensit, cùm fusum Necessitatis ex adamante, ipsamq; Reginam, & coronatã esse indicauit. Quare Ethnicis persuasum fuit, ne Deos quidem cum ea in certamen descendere. Cuius igitur dementiæ fuerit, si nos ei resistere vermes imbecilli audeamus? Nolumus autem subtiles de gradibus Necessitatis scholasticorum argutias persequi: sed ex doctrina Aristotelis alia ἁπλῶς, alia ἐξ ὑποθέσεως necessaria, & hoc posteriore modo scholas pronunciamus necessarias. Nam si vita humana, si Oeconomia, Politia, Ecclesia, sana & salua esse debet, literas atq; literatos ali, coli, promoueri oportebit, id quod ex illis, quæ commemorata sunt, potuit poteritq; planè ac plenè cognosci. Vetus verbum est, Solem è mundo tolli sublata amicitia. Quo veteres eam necessariam, necessarioq; tuendam esse docere cupierunt. Enimuerò verum est hoc de amicitia, sed verius de Scholis, quæ Cœlo, Sole, Luna, cæterisq; igne, aëre, aqua, terra, magis necessariæ inueniuntur. Etsi enim illorum omnium vsu carere nequeamus: nam quid sine Solis et Lunæ et reliquorum luminum benignitate foueri potest atq; procreari? vt lucis & cætera beneficia taceamus: sine quibus viuere non est viuere: quid enim dicam de igne, cuius opportunitatem omnibus locis experimur? quid de aëre, quo ne vestigio quidem temporis carearius? Aquæ necessitatem non tantùm culina, sed omnia animalia, omnes officinæ demonstrant: terra nostrũm omnium mater est et domicilium. Non enim homines in aëre vt aues: aut in aqua vt pisces, sicut Lucianus somniauit in veris illis scilicet narrationibus suis, sed terram à

Domino

DOMINO incolẽdam acceperũt, vnde etiam Esía et Vesta, teste Platone in Cratylo, appellata est. Hæc igitur omnia etsi summè necessaria sunt, minùs tamen aliquantò ac multò minùs, quàm Musarum domicilia. Hæc enim pluribus prosunt, & non tantùm corpori, sed etiam animæ inseruiunt: atq; cùm ad alia, tùm ad summũ bonum aperiunt iter. Ex scholis enim Ecclesia: ex Ecclesia Verbũ: ex Verbo noticia DEI: ex noticia DEI bonum bonorum promanat.

Ita redĳt nobis labor actꝰ in orbem. A summo bono cœpimus: in summo bono resistimus. Neq; enim necesse est plura de Necessitate dici, cuiꝰ ea vis est atq; potentia, vt nõ tam persuadãdi, quàm cogendi facultatẽ obtineat.

Sic igitur priorem dictionis nostræ partem absolutam dedimus: in qua fontes quatuor aperuimus, vbi augustã Scholarum dignitatis speciem eminus ceu per transennam aspeximus, vagando animis per imperium Adami & Patriarcharum paternũ, summaq; quatuor mundi regna: per præmia & honores amantium literas: per DEI atq; angelorum beatissimam custodiam, per amœnitatem Paradisi, et cœlestes trium Academiarum delicias. Longa fuit hæc peregrinatio, longissima futura, nisi filũ abrupissemus. Deinde spectauimꝰ Vtilitates immanè quot & quantas: annexa incommodorum recensione in omni vitæ genere. Addidimus deniq; potentissimam Dominã Necessitatem. His tribus machinis nisi θεόμαχοι & μισόμουσοι expugnari arcem odĳ & acerbitatis suę passi fuerint: *Flumen habent Cicones, quod potum faxea reddit viscera*, ex eo eos potasse dicas: Pythagoras si viueret, in bestias, Ouidius in lapides, vt Nioben vel Battum, crederet abisse, nos asini auriculas, si liceret, iustiùs eis, opinor, multò, quàm Midæ adderemus. Sed relinquemus hanc σινομωσίαν excruciandam mactandamq; sibimet ipsi. Est enim quemadmodum inuidia, bestia seipsam deuorans.

Nunc veniamus ad ALTERAM orationis partem, quam, ne libru scripsisse videamur, non præfationem, paucis perstringere cogemur. Ea verò mentionem continebit librorum Dn. Sturmij, quorũ nobilitatem tum aliunde, tum ex argumento, æstimandam esse ab Aristot. docemur. Id verò PIETAS est LITERATA vel PIETAS & LITERAE. Galenus dixerat, Medicinã insistere duob. cruribus, Rationi scilicet & Experientiæ. Scitè ille, nec nos malè, si statuamus, pietate literisq; tanquam duobus vel crurib. vel columnis vitã nostrã sustineri, quas si subuerteris, hominem ex homine tollas oportet, iusq; omne communitatis labefactes. Itaq; sicut *Sidera suppositio vertice fulcit Atlas*: ita hæc duo terram, &, vt posui, societatem hominum. Cùm igitur in Pietate erudita tantum sit momenti, vt vita se humana sine ea tueri non possit, efficitur profectò, & Pietatem & Literas omni precio pretiosiora esse: & proinde libros hosce Dn. STVRMII nobilissimos vtilissimosq; iudicari oportere: in quibus ille lumina præferre nobis ad superiora duo voluit. Nam quicquid in hoc est Volumine, id eò pertinet, vt in scholas, & ex scholis in omnes vitæ partes reducantur exulantes cum Pietate literæ. Et quia reductionis istiusmodi variæ, partim inuiæ, partim explicatæ sunt viæ, præscripsit nobis eam, quam vetustas præiuit, vsus comprobauit, ætas nostra admirata ac secuta est, cum tanta doctissimorum hominum approbatione, vt ad finem eum, quem dixi, consequendum, breuiorem reperiri posse nullam aliam arbitrentur. Nequaquam verò hæc exaggeramus: Inspiciantur libri, & sine præiudicio, accurata lectione excutiantur: aut fallimur, aut ea, quæ posuimus, ipsa veritate veriora reperientur. Sanè vino vendibili non opus est suspensa hedera: neq; indiget Dn. Sturmius, aut libri eius, aliena laude vel patrocinio. Artificem commendat opus. Verùm enimuerò non potuimus sine ingratitudinis suspicione, quod in confesso est, silentio præterire. Quod igitur antea diximus, iterum atq; iterum dicimus, omnium candidorum & intelligentiũ consentiente calculo, in his præclaris opusculis ad eruditionẽ vera pietate cõmendatam definiri commodũ atq; expeditum iter. Quare & alij ineundũ illud esse duxerunt magni nominis clarissimiq; Viri, & nos, quoad fieri potuit hoc tẽpore et loco, iniuimus ex cõsilio DDDnnn. Scholarcharum, ad quorum autoritatem nos oppidò libenter contulimus: & nunc gaudemus contulisse: cùm euentus & eorum prudentiã, & nostrã obœdientiam felici studiorum puerilium successu coronarit.

coronarit. Ac planè confidimus, his libris lectis multos eadem vestigia esse secuturos. Nam quæso te, duabus propositis viis, quarum altera sentibus horrida, aspera, longa: altera plana, mollis, compendiosa appareat: quis nostrûm est, qui non hanc potius, quàm illam capiendam putet? Quis docuit animantes consilij expertes, vt in quadranguli quopiam angulo collocata esca non per duo oberrent latera: id enim longius futurum erat iter: sed lineam diagonalem, vt vocant, sequantur, quæ recta ac proinde breuissima est. Hoc nobis, hoc alijs, hoc omnibus faciendum est: nisi brutis inferiores haberi cupiamus.

Nihil dico de autoris excellẽtia, qui in hoc genere meritissimò videri debet Artifex, tot iam annos & sapientia & vsu eruditus. Quis autem non malit, cùm licet, Ducem sequi præcellentẽ, quàm ignobilem? sapientẽ, quàm fatuũ? eloquentem, quàm balbutientẽ, deq; grege vulgariũ literatorũ abreptum aliquem? Certè in his libris, lector, videbis, passim sapiẽtiæ Sturmianæ illustres expressasq; notas, tanquam gemmas in sententiarum grauitate & varietate lucentes.

De genere dicendi famæ communis, quæ Veritatis vox est, testimonium audiatur. Id est eiusmodi, vt latinæ linguæ castimoniam atq; elegantiam in Sturmianis myrothecijs sedem & vallum aduersus barbaram infantiam sibi delegisse inueniamus. Callimachus optauit, Charites manus suas fragrantibus succis delibutas in scriptis suis abluere, vt fierent perennia & suauia legentibus. Sed Sturmiana dictio cùm pura sit, tanta venustate insuper atq; gratia perfusa est, vt Gratias aliquid admiscuisse suarum Venerum & deliciarum, aut eam ipsæ finxisse non iniuria censeantur. Sed quid huius Viri summi, summisq; iucundissimi, laudes nostra balbutie obterimus? quas, vt Macrobius de Virgilio sensit, nullius commendatione crescere, nec decrescere vituperatione vllius putamus.

Redeamus ad eius libros, quos vt imprimeremus, non vanæ cuiusdã vel gloriæ vel gratiæ, multò minùs lucelli cupiditate illiberali incensi sumus, permissuri Typographis, quoties libuerit, eos vt recudant: sed desiderio flagrantes vtilitatis publicæ illos cum cæteris voluminibus, è quibus SECVNDVM penè iam absolutum est, publicare statuimus: gratificari cupientes in vniuersum omnibus, æquis, iniquis, apertis, clandestinis, literarum & patronis & hostibus: illis quidem, vt perseuerent in eo, quod faciunt: his autem, vt flectamus eos ad æquiora iudicia, & hortemur nõ nostra, sed Sturmij, imò non STVRMII, sed Veritatis, sed Naturæ, sed DEI voca-

quibus sine grauissimo conscientiæ vulnere incõmodisq; maximis opponere se nõ debent, nec possunt) ne amplius animũ inducant πρὸς τὰ κένζρα λακτίζειν, sed amabiles Musas cum scholis & Ecclesijs, tantæ Dignitatis, tot Cõmodorum conciliatrices, à Necessitate ipsa adductas, suis officijs amplecti, & amore, quo par est, vero atq; liberali comprehendere incipiant: Quod precamur eis ex animo. Quare cùm hoc nostrum fuerit consilium, à bonis id omnibus probatum iri ita persuasi sumus, vt speremus, eos D. STVRMIVM in his libris cum literata institutione reuiuiscentem cum plausu excepturos, &, vt æquum est, honore affecturos esse, & gratiam relaturos tum autori STVRMIO, tum patrono huius editionis, HENRICO STROBANDO Scholarchæ nostro, viro literato, deq; literis benè merito. *Hoc vnum præterea requirimus, vel potiùs humanissimè petimus à Viris doctis*, vt si quos habeant aliorum autorum de scholis aperiendis confectos libellos, eos nobiscum communicent: vel si hoc fieri non possit, titulorum duntaxat copiam faciant. Curabimus enim cum alijs id genus opusculis siue in Secũdo Volumine siue in sequẽtibus exprimendos, remissuri illis & sua & nostræ editionis exemplaria tanquã ἀμοιβαῖον δῶρον. Bona spe erigimur, facturos esse bonos, quod bonos decet, & studium nostrum candore literatis digno prosecuturos. Cæterorum ventosos rumusculos & voculas maleuolorum, in quas incursuri videmur, omnes vnius æstimamus assis. Nemo bonorum sine reprehensione graui ab improbis dilaudatur: nemo sine laude vera ab ijsdem vituperatur. Quod superest, lector, rogamus, vt veniam des verbositati nostræ. Debebat hæc esse generalis et huius & cæterorũ voluminum præfatio, ac proinde longiusculam esse cõueniebat. Nec verò potuimus ac fortasse ne debuimus quidem tantarum rerum amplitudinẽ breuiùs explicare, cùm vterq; in vitio sit tam qui paruo pedi magnum quàm qui magno paruum calceum inducit. Adeò certè copiosum est hoc argumenti genus, vt cùm multa dixerimus, intelligẽti prudentiæ perparum dixisse videamur. Vale & his feliciter fruere.

Schola Thorunienſis.

FINIS Præfationis.

De literarum

DE LITERARVM LVDIS RECTE APERIENDIS,

LIBER

IOANNIS STVRMII:

Ad

Prudentissimos Viros, ornatissimos homines, optimos ciues, Iacobum Sturmium, Nicolaum Cnipsium, Iacobum Meierum.

De Literarum vtilitate.

CAPVT I.

AD NONAS MARTII, CVM audiretur, factum esse Senatusconsl. quo vobis emendatio puerilis disciplinæ, & institutio ludi noui mandata esset, incredibilis laticia data est viris bonis. Ac quoniam vos huius instituti autores estis, propè omnes ad vos pertinent & gratulationes & laudes. Etenim vos eam rem ad Senatū detulistis, vobis Senatus eadem de re quod videretur statuendi potestatem fecit, vos constituistis, à vobis susceptа res est, à vobis instituta & confirmata,

A vos funda-

vos fundamenta ieciſtis ſalutaris decreti, & ſanctiſſimæ diſciplinæ. Multa enim homines à natura communia vitia habent: magna nobiſcum barbaries naſcitur: quidam etiam mendoſi mores & ætatum & nationū & ſtudiorum proprij ſunt: ſuaq; quiſq; peculiari natura fingitur: denig; noſtris temporibus imprudentes in deterrimam conſuetudinem ipſis moribus delapſi ſumus: quibus malis niſi remedia inueniantur, quid poterit eſſe in vlla Repub. aut ſincerum, aut diuturnum? Quamobrem mihi quidem neceſſarium certè videtur, in ciuitatibus veteres diſciplinas reſtitui, quæ, quod aut in more, aut natura, aut conſuetudine, aut ætate, aut opinione, aut ingenio, vitioſum eſt, tributim deleant. Reſp. enim rectè conſtitutæ, vt diſtinctos artifices, ita diuiſas quoq; diſciplinas habere debent: & manent adhuc in pleriſq; vetuſti moris exempla, quæ, tametſi deprauata ſint, tamen indicant, quid illi egerint, qui ante nos Reſp. rectè curarunt. Sed cum honeſtæ actiones ad omnes ſpectent, nemoq; ſit, quem non ſecundum naturam atq; virtutem viuere deceat: nullum tamen eſt hominum genus, quod diſciplinam ſanctiorem ac ſeueriorem inſtituere, & retinere debeat, quàm literatorum. Nihil enim eſt in natura rerum, quod ita mores erudiat, vt literarum ſtudia, nihil tam in omnes partes fuſas vtilitates habet, quàm humanitas atque doctrina. Cùm ſingulis enim priuatim propè ſemper ciuibus vtile fuit, habuiſſe liberos in artium liberaliſſimarum diſciplina verſatos, tùm publicè fuit omnibus ad rerum conſeruationem neceſſarium, extitiſſe nonnullos, qui in periculis & diſcriminibus non ſolùm vtiliter, verùm etiam ſapienter illis, quibus fuit opus, conſulerent. Ac ſi quæ fuerunt vnquam tempora,

Vitioſitas naturæ humanæ.

Literatorũ diſciplina

tempora, quibus Resp. propter bonorum & sapientum raritatem, & malorum atq; imperitorum multitudinem, ac varietatem conflata plurima maximaq; pericula viderunt, nostra certè talia sunt, quibus stultitiæ, & cupiditatis plura, quàm prudentiæ, atq; sanctimoniæ vestigia extent. At non tranquillis modò temporibus, verùm afflictis etiam rebus antiquissimæ potentissimæq; gentes, quod nos minimè facimus, sapientiæ locum esse voluerunt. Et ante tempestates, ocyq; perturbationem, literarū ac sapientiæ studia coli debent, & in ipsis fluctibus non abjici aut opprimi, vt & ante pericula prouidere mala possimus, & in ipsis difficultatibus, si sint diuturnæ, consilio non destituamur. Sed fit sæpenumerò, vt ne illa quidem vitemus, quæ prouidentur, quòd cum dedecore ac periculo sint coniuncta: ex quo genere hominum Medea illa est:

Video meliora proboq;:

Deteriora sequor. Nō *multum igitur cognitio & scientia ciuitatibus adfert, nisi eodem exercitatio & virtutis disciplina accedat, qua eadem, quæ didicimus, agere cōsuescamus. Ibi enim demum vera Sapientia est, vbi neq; in oratione inconstantia, neq; in opinatione error, neq; in actionibus dedecus vllum, aut aliqua macula apparet. Ac tametsi non solùm doceri virtus, verùm etiam exerceri velit: tamen vtiles semper hominum societati extitcrunt doctores bonarum rerum, multaq; cognoscenda, priusquā videre possimus, quid agendum sit, & quid deceat.* Nō *secundum virtutem viuet, qui ignorabit, quid commune sit omnium, quid multorum, quid proprium, quid laudabile sit in natura, quid in consuetudine honestum. Quæ enim ignorantur, & quæ vitia concipimus imprudentes, ea vi-*

Sapientia.

tare non possumus: indicata verò & reprahensa, etiamsi plurima sint, tamen detrahuntur disciplina. Sed cũ tria sint, eaq; magna, quæ prudentiam cum sapientia pariant, natura, & rerum vsus & doctrina: duoq; illa propè omnibus hominibus sint communia, tamen eiusmodi sunt, vt nisi tertiũ illud, hoc est, doctrina & disciplina coniũgatur, neq; excoli alterum, neq; alterum ad res possit adhiberi. Ingenij enim vim Deus vna cum vita nobis tribuit, neq; vsus in homine nullus esse potest, cui vita lõgior data sit, & aliqua sit præditus industria. At vtrunque præstantius fit, si adhibeatur literarum magister, cui cũ naturam bonam Deus largitus est, vtilis semper & sapè salutaris ciuibus extitit: cum verò deprauatis ingenijs, literarum elegantia non rectè adhibita est, ibi mala frequenter, neq; rarò pernicioſa exempla prodi solent. Nihil enim doctrina vehementius est, & ad iuuandum & ad nocendum summas vires habet. Multi prudentes regum & tyrannorum minas contemserunt, sine molestijs: qui poëtarum odia, & oratorum clamores non potuerunt sustinere. Quamobrem non artificiosè solùm, sed salubriter etiam artes & disciplinæ tradẽdæ sunt, quorum vtrũque nostris temporibus est vitiatum. Nam permulti neq; modum neq; ordinem in docendo talem sequuntur, qualem res ipsa requirit, & morum non paucis in locis eiusçemodi habetur ratio, vt vitia vel non prouideantur, vel excusentur, propter inueteratam consuetudinem. Rectè igitur Senatus noster, qui huic disciplinæ præfectos vos esse voluit, vosq; comparauit, qui vultis, qui studetis, qui potestis, quod optimum est, libero populo consulere. Et quoniam à vobis pars quædam mihi huius consultationis mandata

Natura Vsus. Doctrina.

Doctrina literarum.

mandata est, statui meum consilium & cogitationem hac scriptione explicare, atq; etiam aperire, quod genus ludorum, optimum, & quæ docendi ratio, mihi expeditissima esse videatur.

Quis studiorum finis: De Magistratu: De literarum magistris.

CAP. II.

OPtimum igitur ludi genus est, in quo & doctrinæ & morum ratio diligens habetur. Nam tametsi studiorum nostrorum finis sit rerum cognitio, tamen si à doctrina & literis vita dissideat, quid, vt antè dictum est, vtilitatis habet elegans ac liberalis institutio? Pietas igitur atq; religio in scholis proposita sit, & ad eam iuuenilis animus cultura literarum erudiatur. Sed rerum cognitio absq; sermonis elegantia barbara & fœda esse solet, & simul cum orationis deprauatione irrepere in homines morosam quandam videmus sapientiæ persuasionem. Quare videndum est, vt prima liberorum atatula maturè ad linguæ informationem dedatur. Ad loquendũ enim homines, quàm ad cogitandum iudicandumq; promptiorem naturam habent: & quod vnicuiq; aptum est, ab eo principium in erudiendo debemus ducere. Sed vt loqui, ita etiam rectè facere pueri facilimè assuescunt. Nulla enim adhuc tum vitiorum habitudo firma coaluit, ipsaq; principio vitia depelli facilius non admissa, quàm diu admissa deponi tandem possunt. Itaq; conũcta sit linguæ primis annis vitæq; moderatio, vt quæ pòst comparanda sunt, facilius assequantur, excellentem doctri-

Doctrina & religio.

Linguæ informatio.

nam, & religionem: quarum altera homini necessaria est, altera huic ipsi, quæ est necessaria, iusta debita q; affingit ornamenta. Verùm, quod in pueriles animos insitum volumus, id etiam in horum magistris oportet illuminatum esse, vt doctrina & pietate cæteris hominibus antecellant. Nemo enim imperitum libenter sequitur: & maior fides viro bono, quàm malo a plærisque habetur. Ac tametsi prima spes reposita sit in virtutis atq; ingenij indole, qua pueros præditos esse oportet, altera in magistris: tamen, nisi magistratus ac parentum studia coniũgantur, sæpenumerò diligentia præceptorum remittitur, & extinguitur in adolescentum animis industria oblectatio. Quare ad Reip. fœlicitatem pertinet, magistratum erga eos, qui erudiendæ iuuentuti præficiuntur, liberalitatem exercere: & priuatim domesticis rationibus vtile est, patrem velle quàm optimos esse liberos suos, eaq; in re literarum doctoribus adesse. Sed in his deligendis tria sunt spectanda, studium erga res humanas, virtus atq; doctrina. In multis enim præclara quædam doctrinæ signa apparent, tamen ita sunt vitiosis moribus, vt exemplo esse non debeant: neq; pauci sunt ex bonis, qui priuatum domesticumq; ocium publicis occupationibus præferant. Quò magis videndum est, ne doctorum diligentia pecunia magis excitetur, quàm æstimetur consideratione ingenij, & animaduersione vitæ antè actæ. Rarò enim in illis constantia & perfecta voluntas est, quos pecunia studiũ prouocat: qui verò vltro incitantur, & dedecus fugiũt, his maior fides est habenda. Quo circa literarũ doctores, non solùm doctrinam habeant, verùm etiam virtute præditi sint, & cupidissimi sint patriæ, & communis bonorũ officij.

Magistri literarũ.

Magistratus & parẽtes.

officij. Nã tametsi tria sint, quæ animos hominum ad res præclaras excitare solent, amor honesti, & laudis auiditas, & pecuniæ studium: tamen, si delectus viri prudentes non solùm dissimilibus in rebus, verùm etiam ad illa, quæ eiusdem propè naturæ sunt, adhibent, est etiam in hoc loco cura suscipienda, vt, cùm eorum facultas datur, qui optimè possint, præferamus semper eos, qui cum efficiendi facultate coniunctam voluntatem studiumq; habent. Etenim laudis cupiditas etsi sæpè laudata est: tamẽ plurimis in locis cum vitio, in quo sunt ambitiosi, coniũgitur: & auaricia inexhaustaq; diligentia in comparandis opibus non potest à bonis nõ vituperari. At excitatio animi, qua sponte homines ad virtutem inflammantur, summorum semper virorum retinuit comprobationẽ. Sed nemo bonus, qui non in cæteris quoq; virtutis signa dari gaudeat, & sæpè in multis iniquorum ingratitudo minuit industriam. Liberalitatem excellentia ingenta & exercere volunt, & experiri. Neq; quisquam est omnium, qui perpetuò inuitus atq; ingratus prodesse possit. Graui dolore virtus afficitur, cum se à vitio superari videt, & quanquam dilatari concupiscit: tamen etiam tùm, cùm contracta est, habet, quo se consoletur. Qui vult, qui cupit, eidem virtus adest semper: qui verò recusat, qui contemnit, is non deseritur, à quo debebat conseruari, sed per quod incolumis esse possit, aut refugit, aut non amplectitur. Itaq; nõ solùm beneuolentia habenda studiosis est, verùm etiam muneribus & quasi stipendijs afficiendi & salutaribus decretis sunt ornandi, quæ egregiæ voluntatis solent significationem habere. Electionem igitur & liberalitatem in magistratu requirimus. Liberalitas eò extendi

Liberalitas magistratus erga litteratos.

tendi debet, & vt ne quid rerum necessariarum desit magistris, & vt quàm plurimi non solùm doctores literarũ, sed etiam parentes & adolescentes excitentur. Quæ enim honorantur, ea celebrari solent: quæ verò contemta aut neglecta iacent, hæc etiamsi optima sint, tamen raros excultores habent. Deligendi verò sunt, vt dictum est, qui & doctrinam tantam habent, vt possint: & ea natura diuinitus ipsis data est, vt cupiant publicas commoditates amplificare.

Quis modus sit & numerus stipendiorũ, & vnde illa petenda.

CAP. III.

EST etiam certus numerus, & definita ratio, in dãdis numerandisq; stipendijs tenenda. Primò necessaria decernenda sunt, deinde veniendum ad ea, quæ in amplitudinem & dignitatem conferuntur. Necessaria voco grammaticorum: neq; vllus locus esse debet, præsertim in Christianorum conuenticulis, vbi non sit, qui elementa latini græciq; sermonis tradat. Sed quæ ciuitates plus possunt, illæ etiam comparent, qui disserendi dicendiq; artes doceant. Magnarum verò dignitas postulat, vt maiorum artium professores constituant, atq; illis, qui minus possunt, theologos & medicos, & iurisperitos suppeditent. Modus autem in tribuendo ita definiri potest, vt liberalitatis ratio non violetur: vt ne, quod alteri deest, in eo alter abundet & affluat. Est enim in hoc magnum signum Reip. non rectè constitutæ: deinde qui necessarijs deficiuntur, atq; illis carent, sine quibus iustum in

literis

literis ocium non conceditur, sæpè coacti egestate ab officio discedunt: multa remisse, aliqua etiam auarè, neq; indecorè nulla & non conuenienter committunt. Numerus verò eiusce modi constituatur: vt primò ad ciuitatis opes, & ad vtilitates studiorum referatur: pòst etiam ad honestatem dignitatemq; ratio reuocetur. Florere itaque eam Rempub. literarum doctrina putabo, in qua, quique necessarij sunt, & qui possunt ornamenta ciuibus adferre, non desunt, & in qua nemo decedit, nemo etiam intermissionem facit, qui vel successorem, vel adiutorem pro se non relinquat. Quæ enim possunt ciuitates, statim de principio duos in vtroq; genere comparent, qui doctrina excellant, &, quoad possunt, efficiant, vt suis opibus perfectæ, & ipsæ suis viribus contentæ esse videantur, nihil etiam aliunde comparent, quod domi posint inuenire. Satis ad hanc rem, quam proposuimus, facultatum esset, si sacræ opes rectè dispensentur, atq; vtinam cæteræ ciuitates nostræ Reip exemplum sequantur, vt si omnia, quæ fieri debeant, efficere non possint: tamen tantum, quantum possunt, quantulumcunq; sit, velint elaborare. Tria sunt, quæ in omni re ardua & magna sunt necessaria: vnum, vt, velint: alterum, vt, quod volũt, possint: tertium, vt, quod possunt, postquam susceptum opus est, efficiant. Sed mediũ illud paucarum magnarumq; ciuitatum est: illa verò altera vbi non sunt, ibi reprehensioni atq; vituperationi est locus. Studendum enim & prudenter conandum est, quodcunq; vtilissimum ciuibus esse statuis. Opes ecclesiæ maiores nostri ad officium cultumq; Deo & Christo summa cum reuerentia & deuotione vitæ tribuendum compararunt. Expletur autem id officium

Volũtas
Facultas
Constãtia.

Opes ecclesiasticæ.

in egestate earum rerum, quibus corpus animusq; carere non potest, doctrina & beneficentia. Horrenda tempora sunt, cùm in eos bona Christi conferũtur, qui neq; bonitatem exercere volunt, neq; docere possunt, & inepti sunt ad munera in Christianorum cõuenticulis suscipiẽda: deniq; vt ne quid dicam, quod grauius sit, qui ad dehonestandã, quàm ornandam religionem, aptius ingenium habent. Sed hæc de malis dico, quorum nostris temporibus nimis magnus numerus est. Vtinam boni cõmunibus studijs excitẽtur ad eos depellendos, qui honestissimo omnium mortalium ordini maculas infames inurunt. Illud satis sit, si iam bonis constet, ecclesia facultates primùm doctrinæ & egestati, deinde literis, quibus doctrina plurimùm iuuatur, & nostro tempore necessarias sunt, esse comparatas. Quam rationem si tueamur, poterit aliquando vetustus mos, & maiorum nostrorum disciplina recuperari. Sed hæc hactenus de Magistratus officio, & magistrorum mercede.

Parentum officia.

CAP. IIII.

PArentum etiam domestica cura ad magistrorum consilia debet esse aggregata. Valde enim puerilem educationem turbat, cum inter hos offensiones extant. Ferre igitur pater debet, vt laudari, excitari, amari, sic etiam moneri, reprehendi, castigari liberos suos. Sic in scholis literarum, vt in magno populo, leges constituantur, & ita in puerili turba ad laudem præmia, & ad vituperationem castigatio proponatur, quemadmodum in ciuium

In Scholis præmia & pœnæ cõstituendæ.

conuenticulis

conuenticulis à magnis solet fieri legumlatoribus. Sed iniquus æstimator & iudex sæpè est amor, neq; quicquam nisi à se corrigi patitur, & frequenter, tametsi aliud dicat, tamen odit seueriorem animaduersionem. illiberale est puniri, & castigari verberibus: at, quoniam maxima pars vitiosam naturam habet, cùm necessarium est, & propter condiscipulos dissimulari non potest, & cùm vtile est puero, officium sibi parens præstari putet, si ad animum emendandum, corpori dolor, qui animo, quàm tangendi sensui grauior sit, adferatur. Crudelitas & cupiditas in eo, qui instituit & docet, semper vituperari debet, & amouendi à literarijs ludis sunt, quicunq; ex verberatione voluptatẽ capiunt: sed indulgẽtia multas magnasq; incommoditates secum adfert. Illi igitur ab ingeniorũ educatione repellẽdi sunt, qui neq; in puniendo, neq; in ignoscendo modum retinere possunt: neq; illorum liberis in studiosorum cœtu versari licitum est, qui cõmunibus legibus nolunt obtemperare. Coniunctæ esse debent patris magistriq; voluntates, neq; rectè in scholis obtemperatur, cùm horum à puero animaduertuntur offensiones. Domesticæ etiam occupationes, & impeditiones curarum, literarum studia, & quæ in scholis præcipiuntur, neque impediant, neq; perturbent. Liberum requirunt literæ, cùm rectè est excitatus, animum: cui impedimento sunt labores: qui, tametsi corpori salubres sunt, mentem tamen ita afficiunt, vt ad rerum considerationem existat ineptior. Sunt autem omninò quatuor, quæ patri elaboranda sunt pro magistro, cùm domi est adolescens. Vnum, vt amorẽ erga literas excitet, & augeat industriã: alterũ, vt agnoscat filius, à quo salutaria præcepta ad informan-

Plagosi magistri remouẽdi.

Liberũ animũ literæ requirunt.

Amor in literas

Obseruãtia erga

ga præceptorē Ociū à laborib. Honestas morum.

dum erudiendumq́ animum percepturus est, huic obseruantiam præstandam esse: tertium, vt ne pueri diligentia domesticis laboribus distrahatur: postremum, vt in sermone, & corporis cultu, atq́ in victu nihil committatur, quod aut studia dehonestet, aut euertat ingenij acumen, aut quoquo modo moribus officiat. Deniq́ id agere vterque parens debet, vt, quæ in scholis proponuntur, quæq́ ipsi tradere, aut ignoratione, aut voluntate, aut occupatione impediti, non possunt, eadem tamen velle & optare videantur. Erudiet enim indoctus parens hoc modo puerum ad disciplinam.

De puerorum delectu & officio.

CAP. V.

SED diligenter principiò pueri naturam, & domi à parentibus, & in cœtu publico ab eo, cui in disciplinam traditus est, considerari oportet. Neq́ enim solùm, qui tardo ingenio nascuntur, à disciplinis sunt amouendi, sed multi etiam natura sunt non mala præditi, qui tamen ad literas sunt inepti. Quidam etiam naturam eximiam & illustrem habent: tamen aut ad rem militarem, aut ad Reip curationem idonei magis sunt, quàm ad artes atq́ disciplinas. Sed vt optimi medici est, iudicare posse, qui cum magna spe liberorum rectè matrimonium coire poßint: ita etiā industrij doctoris atq́ magistri est, videre, ad quam quisq́ artem accōmodatam naturam habeat. Sed diligentis est, considerare: periti, cognoscere: boni & veri, parentes commonere. Elaborare enim debet, non, vt quàm plurimos, sed quàm optimos habeat.

Vt igitur

Vt igitur excellens & singularis institutio atq; disciplina suscipiatur ingeniorũ, vt militum delectus est habendus, neq; quisquam conscribendus, per quem te nihil effecturũ speres. Corporis quidem commoditas spectanda est, sed nõ ita, vt mentis præstantiæ præponatur. Magna enim res est, ac valde optanda, corporis & species, & sanitas, & conformatio: sed animo nihil præclarius. Semper igitur de animo iudicium fieri debet, qui, si corporis quoq; elegantia atq; figura commendetur, munitam magis ad labores & autoritatem viam habet. Animi virtutes sunt, ardor in suscipiendo, studium in vestigando, acumen in percipiendo, industria in perficiendo, & in conseruando memoria. Vbi enim hæc sunt, ibi etiam mentis est integritas, de qua est apud Platonem, quæ veritatem amat, & odit, quod est contrarium. Optabile est, omnia hæc simul, & æqualia esse in omnibus: verũm id in hominum naturis positum non est, quæ variæ sunt & multiplices. Itaq; etiam illa ingenia à ludo & puericiæ disciplina reijcienda non sunt, in quibus hæc inueniuntur mediocria. Neq; confestim iudicium fieri & celeriter potest. Quidã enim ingenio atq; natura acuti, principiõ tardi sunt ad intelligendum: tempore tamen atq; exercitatione postea celeres motus ad percipiendum consequuntur. In multis naturæ consopitæ, atq; oppressæ corporis grauitate iacẽt, quæ præceptis informatæ & eruditæ, eximiæ atq; illustres solent existere. In nonnullis etiam excellens ingeny ad percipiendum ratio est: at memoria interim tarda, interim etiam non firma, quæ disciplina & vsu excitari & confirmari potest. Voluntatis primò habenda ratio est, quæ cùm adest, spes sit etiam de mentis sensibus: si desit,

Delectus.

Animi virtutes.

Voluntas.

primùm laudatione & promissis est prouocanda: latent enim multa, quæ non apparent. Deinde, si hac non succedat, obiurgatione vtendum est, neq; abstinendum à verberibus, antequam desperetur. Est etiam aliud ingeniorũ genus, de quo est apud Platonem in libris de Repub. quod industriam claudicantem, vt ipse vocat, habet, venationibus & palestræ magis, quàm literis atq; doctrinis, deditum. Hoc Socrates à Dialectica disciplina repellit: nos etiam ne ad literas quidem idoneum putaremus, si oẽs perfectos esse velimus: at ferendi sunt etiam mediocres, & corrigi possunt deteriores animi impetus disciplina & cõsuetudine.

De cultu & oratione puerorũ.

CAP. VI.

HAEc tùm demum rectè instituitur, cùm vniuscuiusq; natura considerata est, & cùm ad vitæ genus omnes actiones, omniaq; studia conferuntur. Quapropter vt viuendi ratione, ita etiam cultu & oratione, atq; moribus studiosi ab indoctis differant. Quibus in rebus maximè quid deceat, videndum est. Decet autem id maximè, quod à professione vitæ non est alienum. Iam cùm professio studiosorum sit, ratione & oratione vti prudẽtius, quàm faciunt cæteri homines: vacare debet omnis actio atq; sermo temeritate & negligentia: & ordo & constantia, & moderatio dictis omnibus factisq; est adhibenda. Occultandus etiam, si frenari omnino non potest, voluptatis & libidinis appetitus. Quare, si amor est vitandus & dissimulandus adolescenti, decet etiam ab eodẽ forma studiũ esse remotum. Et si dedita militiæ & venationum

Professio studiosorum.

tionum ſtudijs ingenia corrigenda ſunt, debent etiam, qui corporis cultu militem magis & venatorem, quàm literis deditum puerum referunt, aut emendari, aut commoneri. Veſtes diſſolutæ conſtringi, pendentes ex humeris applicari, ſciſſæ conſui poſſunt. Quare locus in his excuſationi non eſt, ſed eſt relictus reprehenſioni. In ſermone ſemper, quod illiberale & petulans, & flagitioſum & obſcœnum eſt, in pueris animaduertendum, tollendumq; eſt. Sed habent quædã naturæ vitia, quæ verbis magis, quàm verberibus tolluntur & emendantur, vt eſt in ſermone aut tarditas barbara, aut præcipitata celeritas. Verba etiam & ſententiæ emendandæ, quibus is, qui audit, contemni videatur, ſed tamen propter conſuetudinem aut ignorationem, non emendandæ vel acerbè vel cum dolore. Optimus ſermo eſt, qui habet prudentiam, ordinem, verecundiam. Vituperandum eſt, quod eſt ſtultum: emendãdum, quod indoctum & turbatum: quod verò inuerecũdum, ſi impudens ſit, vt eſt oſtentatio, verbis: ſi impudicum, & flagitioſum, vt obſcœnitas & mendacium, acrius animaduertendum eſt. Denique cultus ad valetudinem, & profeſſionis conuenientiam: ſermo ad prudentiam & verecundiam referatur. Qui hæc non retinent, vitioſi ſunt, & obedientiam, quæ in diſciplina eſt præſtanda, abiecerunt. Eſt etiam aduerſus oẽs homines adhibenda reuerẽtia. Itaq; vitioſum eſt, magiſtratui, theologo, magiſtro, parenti, ſeni, non aſſurgere, non caput detegere, non reſpõdere, aut non ita reſpondere, vt decet. Obedientiam relinquunt, qui ludunt, cùm vacatio ſtudiorum non eſt data: contra reuerentiam faciunt, qui tùm ludunt, cùm id cæteri ciues vident, quibus nota eſt diſciplinæ cõſuetudo.

Cultus corporis.

Sermo optimꝰ.

Reuerentia.

Qui in

Qui in somno & quiete, qui in ludo modum, tùm etiam, cum conceditur, non seruant, tametsi grauissimum facinus non sit, tamen, quia intemperantes sunt, deformant disciplinam. Laudata verò illa discipulorum congregatio est, in qua & praestans natura, & amor ardens, & diligentia constans, & verecundia est liberalis.

De Pauperibus.
CAP. VII.

PAuperum verò magnas ciuitates inprimis rationem habere decet. Semper enim honestissimum fuit, liberalitatem & beneficentiam colere, & Christus pro se pauperes suo gregi reliquit. Sed non vnum genus egestatis est. Sunt, quibus inuisus labor est, & gratior est inertia, quod genus mendicorum, cùm corporis viribus non destituatur, eyciendum est è ciuitate rectè instituta. Est enim vel inutile & caeteris obstat, vel sceleratum & latrocinijs furtisq; deditum. Quibus verò, etiamsi viribus valeant, & ingenio aliquid possint, tamen aut liberorum multitudo, aut parentum creditores, aut casus amicorum, aut priuatae aduersaeq; fortunae impedimento sunt, hi, si virtutem amant, & dedecus effugere cupiunt, ab omnibus bonis ex aerumnis sunt eripiendi. Etsi enim miserum est: tamen, quia non est consceleratũ, debet subleuari. Nam si Rerump. finis fœlicitas est, haberi potest in miseris ea ciuitas, in qua ciues boni premuntur egestate. Est huic generi etiam tertium adiungendum, quod vel diuturnitas morbi, vel virium imbecillitas, vel senectus, facit aerumnosum. Sed haec tria genera, non ad nostram institutionem.

Reipub. finis.

onem. Verùm est præterea aliud, quod viribus integris est, & ingenio plurimùm potest, nullaq; fortuna iniquiore est afflictum, quàm quòd ex parentibus egenis est natum, & ad literas excellentem naturam habet, ad quarum studia sua sponte fertur. Huius mendicitas non solùm excusari, verùm etiam laudari debet, & mouere cæteros ad bonitatem. Est etiam nostro seculo perneccessarium. Nam contraria diuitiarum & paupertatis, virtutis & vitij, liberalitatis & auiditatis sunt studia. Vbi enim ampla literis præmia exposita sunt, ibi maior existit studiorum copia, quàm apud illas gentes, quibus gratior barbaries est, quàm elegantia doctrinarum. Diuitum verò atq; nobilium, nisi singulari naturæ bonitate præditi sint aliqui, multò maxima pars aut effœminata luxu, aut vitys illis cæteris dedita, quæ propria illorum sunt, peruersè iudicat, & ad ambitionem, atq; pecuniæ studium rapitur, in quibus difficile semper fuit moderationem retinere: apud hos verò virtus esse putatur, vaferrimum opum honorumq; sine modestia & religione sectorem fieri. Longius progrediuntur, & magnos gradus ac processus faciunt, quibus religio & virtutis dignitas proposita est, quàm hi, qui quæstum atq; potentiam sequuntur, & per gratiam & opes, nulla doctrina, nulla sanctimonia vitæ, ad amplissimos honores ascendunt subitò. Paupertas verò tardè & serò peruenit, quò vult, sed tamen multos edit, qui res magnas & arduas elaborant atq; perficiunt. Electio autem in multitudine ac varietate, quàm in paucitate & solitudine, facilior est: & ex his, qui diuitys effluũt, & genus clarum à maioribus comparatum habent, pauci sunt, qui ad se literas pertinere putent: paupertas verò, tametsi

Diuitiæ insolentiam pariunt.

Paupertas amãs virtutẽ, ſubleuãda.

tametſi in omni re optimum quicq; rariſsimum ſit, tamen plures ad literarum ſtudia & amorem excitat. Magnam vim ipſa habet ad ſuſcipiendum: ſed impedimento eſt egeſtas ad perficiendum, ſi non ſuſtentetur. Itaq; non excludi à ciuitatibus mendicitatem decet, quæ amore ſapientiæ flagrat: neq; ſolùm ciuium liberis tribuendũ id eſt, vt alantur gratis virtutis ergò, ſed etiam peregrinis atq; alienis, in quibus ingenij ac induſtriæ lumen accenſum videtur. Maxima enim ſemper ſummaq; hoſpitalitatis & bonitatis laus fuit, & inter nos, qui Chriſtiani nominis ſumus, maximopere neceſſaria. Hoc enim religio ab elegantia & quæſtus cupiditate differt, quòd hæc duo cum illuſtribus & florentibus hoſpitium faciunt: illa verò his, à quibus neq; gratiam, neq; opem, neq; quæſtum expectat, domum apertam habet. Sed in pauperibus ordo moderatioq; tenenda eſt, vt ne ciuiũ liberi, præſertim ſi boni ſunt, egeant, & vt meliorum ratio habeatur, ſemperq; præferatur id, quod eſt optimum. Ciuium liberos in egeſtate eſſe, turpe eſt: & honeſtum eſt, alienos non deſici. De quorum indole conſtat, certus numerus conſtituatur, quibus Reſpub. victum ſuppeditet: cæteri priuatim à ciuibus cõquirant neceſſaria. Omnes autem, & qui priuatim ciuiũ benignitatem experiuntur: & qui ex communibus facultatibus aliquid capiunt, ornamentum, non dedecus: & vtilitatem, non moleſtiam ſcholæ & diſciplinæ adferre debent: excludendi ſunt, ſi faciant ſecus, quàm deceat. Liberam enim bonitatem ciuium, non obſtrictam eſſe volumus. Ornamento eſt, qui virtutem & religionẽ colit: inutilis eſt, qui non poteſt eſſe exemplum, ſed exemplo obeſt.

Ciues pauperes.

De Priui-

De Priuilegijs.

CAP. VIII.

PRiuilegia enim non ad impunitatem, & erratorũ defensionem feruntur, sed ad puniendum sontes irrogãtur, & tuendum insontes, & confirmandum res communes sunt comparata. Illa verò iura, quibus vtitur Lutecia & Louanium, & cæteræ ciuitates, in quibus docentur artes atq; doctrinæ, ob raritatem studiosorum videntur esse constituta. Fuerunt enim tempora, quibus profligatæ literæ omnesq; doctrinæ fuerunt: ad quam calamitatem tollendam excitata fuerunt magistratuum studia, & proposita præmia, & aditus ascensusq; patefactus ad honores, & in petulantes ciues, quibus ingrata & contemta literatorum ac studiosorum conditio erat, irrogata priuilegia. Itaq; ad excitanda ingenia, præmia honoresq; exposiiti, & ad defendendum ocium retinendamq; dignitatem, tales leges sunt latæ. Sed factum est in hac re, quod cæteris omnibus rebus fit, quæ sunt bonæ, vt paulatim illis homines abutantur. Nam & in tribuendis honoribus, tẽporum magis & pecuniæ ratio habetur, quàm virtutis atq; doctrinæ: neq; delectus vllus habetur, ordinesq; peruertuntur, atq; ita iure nostro vtimur, vt ad impunitatẽ facinorum, & integumentum vitiorum, & vanam, falsamq; sapientiæ persuasionem constitutum esse videatur. Verum Magistratus vt dare, & præmijs afficere, sic etiam corrigere & auferre potest. Apud Græcos, qui præclarè de Rep. meriti erant, illis quotidianũ in Prytaneo sumptũ ciuitas præbebat: at si quis postea patriam prodere conatus esset, & abuti scelerato aliquo facinore cœpisset hac be-

Quare priuilegia data

nignitate, eundem non solùm honore priuassent, sed lege etiam egissent, & de capite causam coëgissent dicere. Ita honorem in Rep. retinebant: vitia corrigebant. Legibus frui debent, in quibus ea sunt, quorum causa sunt lata, rerum cognitio, & amor literarum: qui verò violant leges, & dehonestant consuetudinem, reprehendendus omnis ordo Magistratusq; est, si non puniantur. Quapropter perennia quidem cõtestataq; priuilegia esse volumus, sed ita, vt seueritas disciplinæ, mosq; vetus retineatur.

Qui priuilegijs vti debeant.

Hæc sunt, quæ breuiter & generatim de vniuersis, quæ ad literarum ludos pertinere videntur, scribenda cõmonendaq; videbantur. Satis enim præclarè agetur, si omnium studia referantur ad pietatem & sapientiam: si copia eorum, qui docentur, tanta sit, vt præclarorum ingeniorum delectus haberi possit: si Magistratus præmia constituat, & addat dignitatem: si coniuncta sint parentum ac magistrorum studia & voluntates: si magistri tales sint, & doctrinam tantam habeant, vt possint, & ea virtute præditi sint, vt velint & cupiant illustrare atq; amplificare literas: si pauperũ ratio habeatur: si legibus atq; priuilegijs, ita vt lata sunt, vtamur: Deniq; tùm demũ omnia florebunt, cùm id tantùm quisq; agit, quod sibi ratio & vitæ genus præscribit. Id neq; à Deo maius nobis imponitur, quàm ferre possimus, neq; quisquam suscipit prudens, quod efficere non potest, & in liberis ciuitatibus tantum vnicuiq; mandatur, quantum vires atq; ingenium possunt sustinere.

Scopus studiorum.

Vnum in ciuitate commune publicumq; gymnasium esse constituendum.

CAP. IX. Scribe-

SCribendum deinceps de constituendis scholis, & distribuendi sunt ordines, & docendi ratio atq; disciplina tradenda est. Quod enim temerè fit, & perturbatè, & dissoluiè, rarò magnos facere progressus solet. Itaq; rectè apud Platonem Protagoras sentit, etsi orator non sapiens inducitur: tamen illud verè: πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.

Vno igitur in loco, quemadmodum vnus etiam verorum studiorum finis est, ludos literarum comprahendi vtilius est, quàm per diuersa ciuitatis loca esse distractos. Vt enim ineptum esset, decem ouibus magistros singulos singulaq; pascua singulis assignare: sic etiam non laudabile est, quod ab vno, aut à paucis, peraq; vt à multis, fieri potest, eodemq; in loco, distrahere id, & pluribus cõmittere. Deinde gaudet homo societate & frequentia, & pauci sunt, quibus grata sit solitudo. Rarò etiam absq; varietate & præstantia est multitudo: itaq; & delectum & exempla habet. Xenophon quoq; Persarum ἐλευθέραν ἀγορὰν vno in loco fuisse coadificatam scribit, semotam à turba atq; strepitu. Omnis enim liberalis educatio εὐκοσμίαν καὶ συζήτησιν καὶ συμφερτῶν ἀφετῶν habere debet, vt ordine atq; modo omnia progrediantur, vt communia studia, coniunctaq; vires, quasi vno aspectu appareant. Quæ causa etiam Persas mouit, si verè Xenophon scribit, vt, tametsi distributa loca illa essent, quæ appellabãtur χῶραι, tamen in ijsdem locis versarentur pueri, adolescentes, natu grandes, & qui emeritum militiæ tempus habebant. In cœtu enim & frequentia, plura atq; præclariora ad excitandum exempla, & maiores ad discendum occasiones exhibentur, quàm in paucitate. Quare ciuitates ad docendum

cendum aptiores sunt, quàm loca deserta, vt vult Socrates apud Platonem in Phædro. Itaque si multitudo hominum conuenientium, & ciuitatis amplitudo tanta sit, vt locus vnus non sit satis, id quod fit Lutetiæ, vtilius est coacta esse, quàm distracta gymnasia. Etenim & qui docent, & qui audiunt, varietate & copia excitantur: languescunt autem solitudine atq; raritate. Vnũ igitur literarum liberalium sit gymnasium, in commodo medioq; ciuitatis loco coædificatum, si id ferant, & locorum interualla, & multitudo: sed hoc quoq; suis sit distinctum ordinibus, qui diuisi erunt & docendi genere atq; varietate, & laborandi exercendiq; temporibus, de quibus nunc est præcipiendum.

Frequẽtia studium excitat.

Ordinum distributio.

CAP. X.

Finis studiorũ.

PRoposítum à nobis est, sapientem atq; eloquentem pietatem, finem esse studiorum. Omnes enim homines pietatem colere decet: at hoc literatus ab indocto differt, quòd ratione atq; oratione præstet. Quare proposita esse debet rerum cognitio, & orationis puritas & ornatus, qui hoc nomine, quo homo homini antecellit, volet haberi dignus. Huc igitur referant vniuersa studia, qui profiteri, & qui accipere talem disciplinam volunt. Et quanquam coniuncta sunt sapientia & linguæ studia: tamen humanæ naturæ aptius est, si ab orationis elementis inchoẽtur institutio: veruntamen morum, quemadmodum dictũ est, semper atq; continuò disciplina retineatur. Cùm ergo primus labor ad informandam erudiendamq; linguam

Eloquẽtia ante sapientiam tradenda.

suscipiendus

suscipiendus sit, rectè fiet, si ad orationis diuisionem, etiam ordinum distributionem accommodemus. Volunt enim optimi autores, vt oratio perfecta, primùm pura sit, & dilucida: deinde ornata: pòst etiam ad id, de quo dicitur, congruens & apta. Duo illa prima propè eandem & certè copulatam doctrinam habent, & tùm nostris temporibus cognoscuntur, cùm adhuc magistris & pædagogis est puer subiectus. Tertium, vt est insignius, ita etiam liberaliorem exercitationem requirit, sed tamen nõ solutam legibus, vt in metu adhuc sit adolescentulus. Quartum, confirmatum in literarum studio animum desiderat: itaq; eiusmodi leges postulat, vt obseruantiam præstent auditores, & qui docent, retineant autoritatẽ, & in obtemperando obsequium voluntatum, & in præcipiendo seueritas sit liberalis. Diuidemus igitur omnes ordines in duo genera. Vnum est puericiæ, quod necessarias, perpetuasq; auscultationes habet: alterum adultæ ætatis, quod publicas, atq; liberas requirit. Puerili educationi annos nouem damus: publicæ auscultationes vtiq; quinq; sibi assumunt. Itaq; fiet, vt etiamsi septimo anno puer ad magistros ducatur: tamen vigesimo primo per omnes ordines sit progressus.

Perfecta oratio pura sit, ornata, & rebus cõgruens.

Auscultationes necessariæ.

Liberæ.

Quo tempore puer ducendus sit ad Magistros.

CAP. XI.

SEd non idem in omnibus ingenij lumen est. Excellentes quædam naturæ sunt, quæ quinto anno literarum vim, &

vim, & legendi rationem consequi possunt: quædam etiam vix septimo excitantur, quanquam, qui id tempus excedant, si stupor maneat, rarò ad frugem perueniunt. Sed vt illæ, quæ celeriter & citò incipiunt, aliquando præproperæ solent esse, & ætate deprauari: sic illi, qui vix septimo anno excitantur, sæpè firmius iudicium, & constantiorem voluntatem consequuntur. Medium igitur tempus, sextum annum, idoneum ad discendum omnibus statuimus, vt simulac puer annum quintum egressus est, & ad sextū ætate peruenit, disciplinæ tradatur. Qui verò ante eam ætatem assequi grandiores possunt, magna de se signa dant talis naturæ, quali Dialecticos præditos esse vult Socrates, & εὐτρεχεσάτους nominat, quibus scilicet celeres motus sunt ad intelligendum.

VI. anno magistro tradendus puer.

Quot ordines necessariarum auscultationum.

CAP. XII.

CVM primùm igitur infantiæ anni præterire, & adoleuentare pueritia incipiet, committendus puer est literarum doctoribus, & ducendus paulatim per omnes huius disciplinæ ordines. Horum numerum, annis illis definimus, quos dedimus puerili educationi. Sint igitur nouem ordines, siue curiæ, siue classes, aut etiam tribus, aut quocunq; modo appellare libet, quemadmodum anni sunt etiam nouem. Ex his oratioui latinæ atq; dilucidæ, septem constituimus: reliqui duo ad comparandum ornatum idonei sunt, cuius prima præcepta in his duabus curijs traduntur: exercitatio autem iustior atq; maior facultas,

Nouem classes.

cultas, illis quinq; annis, quos liberis scholis atq; aptè dicendi generi necessarios putamus, accedet. Vt enim pura & perspicua oratio, coniunctam doctrinam habet, & sunt συνεσφα: sic etiam ornatus esse vix vllus potest, si sit ineptus, & aptum nihil dicitur, quod est inconditum. Fui aliquando in ea sententia, vt sex ordines sufficere putarem, sed vsus hanc partitionem vtiliorem docuit. Septem igitur annos matri ad educandum & ludendum cum puero damus: quatuordecim debentur magistris: neq; pœniteat ante vigesimum primum non exire è scholis puerum. Ante enim id tempus, & matrimonia & publicæ curationes inutiles sunt, sed hoc curriculum, literarum palestræ & ludo aptissimum est.

Ordinum vtilitates & singulorum ordinum distinctio, & quomodo exercitandi pueri.

CAP. XIII.

EST autem in hac distributione tùm necessaria quædam vtilitas, tùm eiusce modi oblectatio, quæ pueritiæ studijs est accommodata. Nam fieri non potest, vt vnus omnia docere possit: & nisi certus contestatusq; ascēsus inueniatur, accidit plærunq;, vt à vero itinere non solùm ignoratione, verùm etiam cupiditate aberremus. Nostris etiam temporibus quotus quisq; est, qui vigesimo primo anno aliquod præclarū doctrinæ documentum statuerit. Vix quinquagesimo assequimur, in quo statim iuuenes decebat excellere. M. Cicero annos natus viginti sex, Vtilitas huius ordinis.

ti sex, nec amplius, orationem pro P. Quintio & Sexto Roscio habuit: quis postremis hisce seculis è vita excessit, vel senex, qui tale post se exemplum reliquit? At neq; libri nobis desunt, neq; ingenio carent homines nostri, labore fortassis etiam nō cedunt: duo tantùm desunt. Romanus sermo, & recta ratio, vetusq; disciplina, quorū vtrunq; comparandum est, antequam perfectum aliquid expectemus. Sunt aliæ multæ vtilitates, quas hîc commemorare non est opus. Delectatio verò in eo est, quòd quasi imaginem exprimat ciuitatis & integræ Reipub. Tres enim illi viri omnium præfecti, quos Senatus constituit, quasi Aristocratiæ faciem repræsentant, & alteri tres, qui intermedy sunt inter hos tres, quos dixi, & inter moderatorem disciplinæ, tanquam administri sunt, si quid extra ordinem sit deliberandum. Tota deinde multitudo, vt omnes ciues, sic in ordines, quasi in tribus atq; classes digesta est, quibus singuli doctores, tanquam plebi curatores, aut etiam tyronibus magistri, sunt præfecti. Ordines verò per decurias distinguuntur, ex quibus decuriones deliguntur, animaduersores morum, & exactores officiorum. Ipse etiam moderator ita præest, vt innoxius Dictator, qui Magistratui potentiori subiectus, tùm demum laudem obtinet, si rectè regat, & magnos vtilitatis fructus præbeat. Præmia etiam singulis ordinibus, ceu fortibus ciuibus, proponuntur, cum progressio quotannis fit ad loca superiora, de qua est etiam explicandum.

Delectatio.

Imago Reip.

De progressionibus ordinum. CAP. XIIII.

Multùm

MVLtùm excitat adolescentes, cùm, quantùm profecerint, animaduertunt. Plærunq; etiam posteriora faciliora putant, cùm priora superarunt. Vnde illa Aeneæ cohortatio:

O passi grauiora: dabit Deus his quoq; finem.

Solennis debet igitur quotannis ascensus ad superiores ordines fieri, ad quem non solùm magistri venient, verùm etiam omnes præfecti, cùm Theologis, atq; puerorum parentibus ac amicis. Duobus etiam in singulis ordinibus, qui maiores, quàm cæteri, profectus fecerunt, præmia danda sunt industriæ atq; virtutis. Et quoniam ea in re grata suspecta sæpè est, ius erit inferioribus congredi cũ his, qui præpositi sunt, & stilo & oratione & disputatione contendere, vt, si par sit, qui concertat, eodem præmio afficiatur: si imbecillior, redeat tamen ad suum locũ cum nullo dedecore. Calenda Octobris vtiles sunt ad eam progressionem. Aut enim desinunt tùm morbi, aut nulli sunt, aut, si sunt, vitari possunt. Medium etiam tempus est, vt neq; nouo labori hiemis inclementia obstet, neq; finis æstatis fastidio afficiat adolescentes, qui se tùm ad Calendas Octobris præparabunt. Progressionum tempus.

Postremus ordo, hoc est, nonus.

CAP. XV.

EST autem à postrema parte sumendum principium. Itaq; sub quintũ sextúmue annum ad eum ducatur, qui literarum figuras, conunctiones, sonosq; docet, cui cognitioni nonam tribuam, primumq; & vnum annum damus. Sed cum duo proposita sint, ad quæ illa tria

Lectio, & Scriptura. referantur, lectio atq; scriptura, quod omnibus præcipiendum est, hic primus tenere debet, vt, quod optimum est, sequatur. Doceat igitur literarum figuras, quoad potest elegantissimè ducere atq; repræsentare, & earum sonum plenè, & vt decet exprimere. Tradat ergo linguæ, & spiritus, & vocis moderationem: in quo videndum est, ne quid, quod putidum, obscurum, exanimatum, inflatū q; grauius sit, exprimatur. Vox lenis, non aspera spiritus plenus non anhelatus, sonus pressus & æquabilis, non vastus aut hiulcus aut rusticus esse debet. Qua in re vulgi consuetudinem improbare, cùm sit, rectè licet. sed, quod doctissimi faciunt, id semper est retinendum. Qui optimè pronunciant, multa cùm Græcis & Italis communia habent, sed quædam habent singularia. In Germanis multa sunt corrigenda: plura in Anglis & Gallis. Itali peccant minus. Sed nemo in literis nonnullis non vitiosus, aut singulis, aut connexis. In docendo etiam morum curam hic

Catechismus. agere decet. Itaq; in catechismo exerceatur is breuis sit, vt statim transitus fiat ad nominum & verborum inflexiones, quarum certa exempla, eaq; generalissima sunt deligenda. Si rectè institutio accommodabitur, in quo non praua natura est, vno anno & legere discet, & inflectendi formas communes mandabit memoriæ. Quibus verò aliquid superest temporis, his faciliores & breuiores Ciceronis epistolæ sunt proponendæ, quales illæ sunt, quas ad Terentiam vxorem, & quædam, quas ad Tironem Libertū scripsit. Nos tres libros ex omnibus epistolarum voluminibus elegimus: in quibus nō, quid doctissimum sit, spectauimus, sed quæ maximè idonea huic ætati essent, congessimus: neq; scio, an quicquam sit, quod vtilius à principio proponi possit.

Ordo

Ordo octauus.

CAP. XVI.

AD octauum ordinem, illis, de quibus dictum est, iactis fundamentis, prima studiorum progressio, primaq; industriæ exercitatio fiet. Nam, qui præmia acceperunt, conabuntur, vt sequenti anno, partum honorem non perdant: & ad nouam laudē viam munient: &, qui postremi fuerunt, vt ne rursus vincantur, elaborabunt, & nitentur pares esse doctioribus, aut etiam antecellere. Diligentior tum primis sex mensibus tradenda est grammatices partitio, verùm neq; obscura, neq; ad omnes exceptiones deducta. Duabus quotidie horis opus est ad hāc explicationem: id quod reliquum temporis est, Eclogis Vergilij & Epistolis Ciceronis est tribuendum. Est autem id duarum horarum: quasi enim quatuor horis doceatur, ita præcipio. Dissolui Epistolæ debent, & flectenda atq; variandæ verba singula, eaq; rursus coniungenda, & vnuscuiusq; consecutionis tradenda ratio. Sed rationem construendæ orationis in posteriores sex menses differo: cui doctrinæ horæ duæ quotidie sunt transmittendæ: alteras duas, vt superioribus sex mensibus, in Epistolis Ciceronis, & Vergilij Eclogis alternatim ponere oportet. Consuescere hic puer Latino sermone incipit, & propositas sermone quotidiano sententias formis latinis commutare. Hæc enim exercitatio rectè stilum præcurrit. Carmina etiam modulari tùm debet magister: idemq; puer consuetudine atq; exercitatione magis, quàm ratione, imitari. Quodcunque autem traditur, nisi id apertissimè explicetur, vitiosum est.

Partitio Grāmaticæ.

Ordo septimus.

CAP. XVII.

VBI ad septimam tribum ascendit, colligere pòst vires ingenij illa ætas incipiet, et de se aliquid promittere. Cognita enim hîc tùm sunt magna ex parte nominũ verborumq́ & genera & inflexiones: præcepta etiam nõ ignorantur orationis coniuncta. Sed repetenda hæc subinde sunt, & renouanda memoria. Quapropter rectè distribuenda tempora sunt: vt ne horum reuocatio, insequentium rerum cognitionem impediat. Verborum enim atq; syllabarum omnium tempora atq; mora sunt perdiscenda, neq; ignorandi orationum modi, & versuum genera. Sed satis est, horam vnam huic præceptioni quotidie dare. Nam neq; multis tradenda est, & si quid deerit, quod cauere, ne sit nimium, oportet, si quid tamen deerit, in sextis consummabitur. Proponendi hîc sunt duo illi libri Ciceronis & elegantes & pij, & ad intelligendum faciles. vnus de Amicitia, alter de Senectute. Atq; his alteram horam vacuam cætero labore volumus. Tertiam pœtæ sibi vendicant. Aeneis Vergiliana virtutes omnes heroici versus habet: reliqua genera ex Catullo, & Tibullo, & Horatio sunt congerenda. Plura ex Catullo & Tibullo, si essent pudica: sed si id non licet, & si quæ desunt: meliora enim vix apud cæteros inuenias: tamen quæ desunt, ex Horatio colligantur. Sed nihil in pueri aures atq; animum intret, quod non sit pudicum, pium, elegans, liberale. Stilo quartum discendi tempus concedatur, propterea quòd in proponendis argumẽtis & corrigendis scriptis vtilitas magna posita est, & plurimum temporis cõsumitur.

Cicero de Amicitia, & Senectute.

Pœtæ.

Stilus.

sumitur. Si quid autem supererit, id ei rei, quæ magis egelit explicatione, licebit surripere. Sed eruenda sunt argumenta ex illis, quæ audiuerunt pueri, vt cognoscãt, vnde sint capienda vocabula, & sententiarum forma. Distinguenda quoq; diligentissimè poëtica verba & figura, ab oratorum puritate, cogitetq;, nihil, quod non legerit in Cicerone, aut non permiserit magister, esse oratorum. In carminibus faciendis subleuanda pueri industria est. Est enim per se molesta, idq; principiò, scribendi consuetudo. Poëtarum verò oratio eò plus habet difficultatis, quò coniunctior est atq; astrictior verborũ continuatio. Quocirca transponenda bonorum carminũ verba sunt primis mensibus, vt solùm in structura laborent: pòst sententia libera proponenda, sed tamen omnes, vt harum inuestigatione non habeat opus, sed in verborum inuentione & connexione sit occupatus.

Verba Poëtica.

De memoriæ exercitatione.

CAP. XVIII.

Tres isti ordines magnam requirunt memoriæ exercitationem. Nam eiuscemodi præcepta sunt, quæ traduntur, vt omnia illa teneri memoria, eaq; perpetua debeant. Itaq; non plus legendum est, quàm recordandi vis possit sustinere. Quarundam tamen rerum intellectarum loca vtilius notantur, vt exceptionum, quàm res ipsæ statim animo insculpantur. Sed sunt quædam, quæ statim teneri perneceſſarium est, vt κατ' ἀλήθειαν artis & inflexionũ formæ atq; exempla. In Cicerone & Vergilio haud scio vtiliúsne sit omnia, quæ leguntur, an ea solùm, quæ insi-

Quæ ediscẽda.

quæ insignem habent imitationem, posse memoriter commemorare. Inconsulta enim adhuc illa tùm ætas est, & multa mandanda, quæ sua sponte non faciet: neq; satis illud discitur, quod, cum opus est, nos fugit. Itaq; quotidie aliquid proponendum non solùm ad intelligentiam, sed etiam ad memoriam exercendam: Verùm, vt dixi, quantum vires, rerumq; natura ferre potest, tantum est imponendum. Repetenda etiam modico interuallo ad cogitationem renouandam, quæ semel didicerunt, sæpenumerò & statis temporibus. Sed illustriores fiunt animi sensus, ipsaq; reminiscendi facultas magis illuminatur, & singulorum facilior est & inuentio & vsus: si partiantur, & communibus quibusdam indicijs, quasi membratim incisimq; ad generalia capita cõgerãtur, vt quæ mens ipsa composita memoriter recitare potest, sciat etiã, quibus in locis eadẽ dissoluta atq; distincta inueniat. Quemadmodum enim valde nos illæ tabulæ Cosmographorum excitant, atq; illustrant sensus, quæ eadem loca descripta habent, in quibus aliquando versati sumus: ita etiam vasta sunt illa composita, quæ animo comprehendimus, propterea quòd vna in re omnia stilus non complectitur, sed cùm vnum in locum annotando cumulantur, explicant sese, & clarius intuenda proponunt.

De ratione docendi, & de horis.

CAP. XIX.

SED alio loco tradenda est hæc ratio resoluendi: nunc verò, antequam ad sextum ordinem veniamus, breuiter de modo explicandi, & de horis, quibus docendum est.

quædam

quædam interponamus. Neq; enim onerandi sunt longis lectionibus pueri: neq; satis est, magistrum præstantissima deligere, eademq; intelligere, sed in explanando expeditissimam utilissimamq; viam cognoscere atq; inire oportet. Qua in re vituperandus illorum mos est, qui continentibus multisq; horis aures occupant auditorum, neq; satis esse putant, id solùm explicare, quod est in scriptore, neq; sufficere posse putant inchoatam sæpè alicuius rei cognitionem, sed omnia conantur vno in loco docere, & plærũq; aliena adferunt, quò quàm diligentissimi, & quàm doctissimi esse videantur. Equidem fateor semper aliquid vel audiendum, vel legendum, vel scribendum, vel cogitandũ atq; quærendum esse, sed fastidium parit continuata & prolixa attentio: Varietas verò satietatem & offensionẽ aufert, & habet voluptatem. Relaxata scholarum contẽtio, domestica studia & secretas cogitationes excitat. Quatuor aut ad summũ quinq;, sed non pauciores, quàm quatuor, neq; plures, quàm quinq; horæ sunt imponendæ magistris. Hæ pro locorum & temporum & consuetudinum ratione sunt distribuendæ. Facilitas in explicando semper tenenda est, vt, quæcunq; audiant iuuenes, queant etiam intelligere. In postremis istis ordinibus verba tantùm, & verborum coniunctiones tradendæ, & sententiarum formæ interpretandæ ita sunt, vt & sensa illarum consequantur, & cognoscant, quibus in locis similibus vti liceat. Primi autem consuetudinum, historiarum, consiliorum, ornamentorum, & insignium locorum, qui in arte continentur, explicationem requirunt. Verùm distribuẽda suis temporibus omnia sunt: neq; artificiosi doctoris est, quicquam alieno tempore exponere, aut commemorare.

Nõ discendũ, nec oĩa eodem loco & tẽpore.

Varietas tædium expellit.

Deliberandū, quid res reqrat, & quantū ingenia ferre queant.

Deliberare igitur semper, cum re, & cum viribus ingeniorum oportet. Ex quouis enim ligno Mercurium velle facere, ineptum est. Hærere etiam atq; sedere vno in loco diu, obstat & officit celeritati atq; festinationi mentis. Sed & præpropera festinatio sensus fatigat, & conturbat memoriam. Medium tenet, qui maturè agit, neq; plus proponit, quàm ingenia ferre, neq; diutius immoratur, quàm res, quæ ad cognoscendum exponitur, requirere videatur. Varietas etiam eodem die vitanda est, illa inconsiderata, quæ fit aut singulis, aut ysdem horis. Quæ dierum interualla habet, vtilior esse solet, sed nunquam ad noua veniendum est, antequam susceptum argumentum perficiatur. Inchoatam enim aut argumentationem aut narrationē, aut artis caput, intermittere, & aliquid interponere, intelligentiam distrahit, memoriam confundit, & mentem, quæ semper ad perfectionem peruenire conatur, grauat. Plura eodem die, quàm tria, exerceri, vituperandum est. Vtilius est in duobus consistere, sed aliquando necessarium est, tertium adhibere. Quantum verò pueri intelligant, & quantum consecuti sint, facilè cognoscunt tùm doctores, cùm, quæ audiuerunt, quasi repetunt interrogationibus, quæ breues sint & apertæ. Cauendæ enim omnino sunt in scholis illæ orationum longæ & concitatæ circumductiones, quas etiamsi animi celeritas assequatur, tamen memoriæ fidelitati semper est inimica, mentis etiam vegetationi, quæ spacium sæpenumerò ad meditandum requirit, est ingrata.

Semel suscepta perficienda.

Duo aut ad summū tria eodēdie exercenda.

Ordo sextus.

CAP. XX.

Non mihi

NON mihi dubium est, quin consequatur puer, quod pollicemur, tribus hisce annis: vt latinæ atq; dilucidæ orationis præcepta teneat, ipse etiam vim aliquam faciēdi similia comparet, si ingenium studiumq; nō desit, & si rectè, atq; hac ratione instituatur. Post nonum igitur decimúmue annum ingredi puer in eum locum debet, in quo educantur, quibus præcepta reducenda potius in memoriam sunt, quàm tradenda noua. Itaq; nisi quid addendum sit, quod antea doceri non poterat, vacatio præceptorum danda est eo anno, & solùm cognitarum rerum memoriæ consulendum. Id commodè in oratorum & poëtarum explicatione fieri poterit. Pergere hic in Aeneide adhuc debent, hora vna, & absoluenda sunt ea, quæ ex Catulli & Horatij collectis carminibus restabunt. Deligēdi etiam ex Cicerone speciosi & illustres quidam loci, vt sunt magnarum rerum infinitæ quæstiones, vt commemorationes, quæ aliquam laudem, aut vituperationem, aut singularem quendam vel ordinem vel munitionem habent. Sunt etiam argumentationum pulcherrimarum exempla nonnulla, quæ rectè ad imitandum proponuntur. Quidam sunt quoq; in Cicerone sententiarum circuitus, qui ornatum summum, qui figurarum nō vnum genus habent, & vtiliter mandantur memoriæ. Ipsæ præterea figuræ variè & singulari sæpe ratione commiscentur, quæ nisi notentur, occurrere in scribendo non solent. Illa omnia huic curiæ tribus libris congeri ac distingui velim. Scio equidem, vituperandos esse illos libros, qui nobis pueris legebantur, & ex scriptoribus sine ordine coactas sententias habebant, breues illas quidem, & subtiles & elegantes, sed hoc genus me-

Res cognitæ per exēpla repetendæ.

moriam vastat, aciem stili distrahit, & sæpè facit, vt multa ineptè scriptis interponantur. Sed quemadmodum summi oratores quædam in forum, Athenis & Romæ, scripta attulerunt, cætera paruæ commentatione quasi anteè delineata dixerunt subitò: ita etiam ego in scholis fieri velim, vt quæ ab oratoribus non potuisse dici videantur, nisi anteè domi composuerint, ea certo iudicio seligantur, & adferantur in ludum. Neq; inutile est in hoc loco, etiam ex alijs scriptoribus aliquid ad cognoscendum interpretari: Medij sunt inter oratores, & Tragicos & Epicos & Melicos, poëtæ, historici, etiam Comici, qui & ipsi poëtæ quidem certè sunt, sed tamen structura magis & argumenti genere, quàm verbis atq; sententijs. Historici poëtica multa habent, verba scilicet & formas sententiarum, sed plura sunt oratorum. At vtriq; quædam habẽt peculiaria. Nam historici temporum sæpe, vt tùm vsurpabantur, vocabula retinent, & liberum quidem compositionis genus habent, sed ad legendum diligenter, quàm ad recitandum celeriter aptius. Cæsarem excipio, qui oratori, quàm historico, similior suas res quotidiani sermonis verbis maluit conscribere. Itaq; hunc solum in sextam tribum admitto. Vtilis enim in isto loco voluptas erit, si inter Terentium & Plautum interponatur. Etiam Salustium darem, sed transfertur vtilius in quartam, quod etiam in Plautinis malim tenere. In Terentio est, appellere animum, pro applicare sese, & occipere, pro incipere, & proh Deũm atq; hominum fidem: etiam in Plauto tùm similia tùm etiam plura sunt, & libenter vterq; postponit pronomina, in clausulis sententiarum. Sunt alia multa eius generis, quæ notare quidem pueros, sed non vti velim.

Historici, Comici.

Cæsaris cõmentarij.

vti velim, nisi in re simili, aut cùm potest fieri decorè, id quod à magistro est demonstrandum. Oratorum stilus genus aliud orationis facit, & audaciores translationes similitudine explicat. Sic Catulus in secundo Ciceronis libro de Oratore, timidè tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad Philosophiam appulisti: eodem verbo vsus est ille senex, quo Terentius, sed oratorũ more, expressa similitudine. Sed Terentio post Ciceronem nihil vtilius est: purus est sermo, & verè Romanus: verùm vt oratorem statim & rectè sequitur: sic sine imitationis vitio non potest præcedere. Est enim ibi aliud orationis, quàm illud genus dicendi oratorum, quod tametsi ab omnibus adiumenta capiat, vult tamen principiò ex suis fontibus vt perlucidus amnis defluere. Habebunt igitur præceptores, quod duabus horis in gymnasio explicent: tertia hora id iterarem atq; redintegrarem, quod esset vtilius, id quod sæpe ad stilum est accõmodandum. Cùm enim carminis argumentum propositum est, rectè Vergilius bis recitatur: cùm verò epistolæ, aut argumentationis, aut loci communis, vtilius in illis tribus libris, de quibus dixi, pergitur. Mutari hic ordo non debet, nisi cùm res tempusq; postulat. Quartam horam scriptarum compositarumq; rerum emendationi damus, neq; pœnitere nos debet eius tẽporis, quod in hac consumimus. Sed fit aliquando, vt sit aliquid legendum. Itaq; libenter hoc tempore Cæsarem & Terentium proponam, alternatim & explicatione menstrua.

Emẽdatio compositionis.

Ordo quintus.

CAP. XXI.

Græca lingua.

SVperior annus quasi finis est eius disciplinæ, quæ latinæ, puræ atq; apertæ est orationis, & relaxationem quandam præceptionis concedit: hîc autem illa repetenda est, & ad linguam Græcam est transferenda. Huc vsq; enim in latinæ linguæ elementis, tanquam Romæ atq; in Latio, versata puericia est: nunc veniendum ad Græci sermonis consuetudinem, ceu Rhegium, aut ad aliquam ciuitatem aliam, ad quam Græci negociatores commeent, & in qua ipsi doctores, quasi eius ciuitatis ciues, quæ cõmercium cum Græcis habet, vtriusq; sermonis sint periti. Sex igitur primis mensibus semel quotidie, ex Græcæ linguæ grammaticis præceptis aliquid proponatur, in quibus quoniam multa cum latinis communia eademq; sunt, facilis est & cognitio & memoria. Secundum illos sex, per tres eius anni insequentes menses, fabellæ Aesopi græcæ, paucæ & faciles, conuenienter explicabuntur: quibus postremo trimestri tempore Olynthiacæ Demosthenis succedent. Hæc igitur in eum annum vnius horæ sit occupatio. Alterius labor in Ciceronis libris, quos de officijs scripsit, suscipiatur, si tres illi libri, qui ad sextum ordinem adferuntur, sint perlecti. Non enim inutile est, tertium huic loco relinquere, si absolui nisi præpropera festinatione non possit. Bis in Cicerone vtilius quotidie est versari in hac curia, quàm in poëtis: quare tertia hora, tametsi Georgicis Vergilij destinata sit, & primis mensibus tribus legenda ea sint continenter, tamen in sequentibus rectè interponetur Ciceronis aliqua oratio, qualis est illa pro lege Manilia, aut pro Q. Ligario habita. Quartam horam scripturæ & compositioni relinquo: verùm coniungi huic debent Rhetorici libri de orationis ornamentis scripti, quæ

pti, quæ ex illa enumeratione, quæ est apud Ciceronem libro tertio de oratore, & in oratore, sunt petenda: sed perficienda, atq; explicanda horum præceptio ex Hermogene. Elocutio enim ideo præcedere inueniendi rationem debet, quòd ad cognoscendum faciliora sunt singula orationum ornamenta: Inuentio melius inter scribendum principiò vltrò à pueris & à natura adhibetur, quàm ab ijsdem docendo possit intelligi. Itaq; verborum maior hîc copia comparanda est, & cumulandæ sententiarum formulæ. Nam hæ sonum & sententias ipsaq; argumenta adferunt, & sæpenumerò sunt informatæ atq; figuratæ. Multos videmus, qui in quotidiano sermone prudẽtiam præ se ferunt: at in lingua latina aut græca, parum ab ignaris atq; indoctis differunt. Hoc non rerum ignoratio, neq; sententiarum destitutio, sed verborum penuria parit. Vtiliter igitur cum stili exercitatione, atq; correctione scriptorum, coniungentur modorum atq; figurarum partitiones, quæ in tradendo singula indicari debent: mixta verò atq; variata, commonstranda sunt in scriptoribus.

Elocutio inuẽtionem præcedere debet.

Ordo quartus.

CAP. XXII.

QVinto demum anno tentandum est, vt æquabiliter Græcis atq; Latinis progrediamur, & cõiugamus cum Cicerone Demosthenem, & cum Vergilio Homerum, alternatim horis duabus. Nam tertia primis sex mensibus Grammaticæ adhuc Græcæ est impendenda, in qua quædã fortasse de orationis structura, & de syllabarum moris

Græca cum latinis coniũgẽda.

rum moris atq; accentibus restabunt. Præcepta rhetorica quartum locum cum stilo occupabunt, qui hic incipit esse ornatior, & ipsis præceptis consentiens. Omnes libellos rhetoricos Ciceronis Partitiones superant, si rectè explicentur, & mandentur memoriæ. Sed præcepta Herenniana, quæ libro primo tradita sunt, in hoc loco ante partitiones præno scuntur celerius, neq; sine fruge. Salustius post hanc præceptionem adiungi potest, & Plautus, non exemplorum gratia, quæ in Cicerone & Demosthene duabus horis demonstrantur, sed ob historiam, & singulare genus orationis, in quo cum iudicio versandum est. Sæpe enim cùm decorè adhibetur, elegantissimum est in oratore: vt in Cicerone Terentiana sunt, quibus sic vtitur, vt non solùm ornata, sed etiam necessaria fuisse videantur. Qui huic loco præfectus est, quomodo vtendum istis sit, doceat, & congesta habeat, atq; deducta per sua capita, quæcunq; lecta sunt per hosce sex annos, ita vt vulgata, & in consuetudine posita, à poëticis & historicis sint separata.

Partitiones oratoriæ Ciceronis. Salustius & Plautus.

De resolutione oratorum.

CAP. XXIII.

HAbent enim omnes artes propriam quandam resoluendi rationem: sed eam velim ita tractari ab oratore, vt non solùm cognoscat, quid factum sit ab aliquo in oratione, quam vel legit vel audit, aut etiam, quomodo id sit confectum: sed vt & similia ipse efficiat, & quasi quendam penum congestas omnes & res, & rerum sententiarumq; formas, & earum partes, hoc est, verba habeat, & plena possideat omnia loca artis, tanquam copiosus &

sus & locuples paterfamiliâs. Sit igitur illa oratorum ἀνάλυσις, orationis compositæ solutio, & reductio ad locos tùm verborum, tùm rerum, tùm artis. Quæ verò reducuntur, etiam notari à studioso & congeri, & ita deduci per capita membraq; debent, vt quodcunq; in animum atq; nostram linguam cadit, etiam inuenire possimus, quibus id verbis, vel græcè, vel latinè, exprimere concinnè & doctè possimus. Verborum locos appello, qui in ipsis sententiarum formis reperiuntur: vt in his duo latent loci, Aliquem aliquid colere: aliquem amicitiam colere. Partitio horum rectè ex ordine naturæ petitur, qui cùm à nobis intellectus erit, facilè, vbi vnumquodq; vestigãdum sit, cognoscemus. Est autem illa diuisio humanæ naturæ accommodata, qua res omnes in ea, quæ sunt in natura, & ea, quæ non sunt, partimur. Esse dico non solùm οὐσίας, & quæ ὑφεστηκότα nominantur: verùm etiam illa, quæ dicuntur accidere, nouem rerũ adtributa, quæ sunt apud Aristotelem. Non sunt autem particulæ ac vincula orationis. Rursus eorum, quæ sunt, vtrunq; aut diuinum est, aut naturale, aut humanum, neq; quicquam est in natura rerum, quod non ad horum aliquod referatur. Quod verò diuinum est, aut est re vera id, quod esse dicitur, vt Deus, angelus, cælum: aut falsum est, & ex errore natum, vt Iuppiter, Iuno. Eandem etiam diuisionem habent, quæ ad hæc duo pertinent atq; adhibentur, vera scilicet religio, falsusq; cultus. Naturales autem res, aut simplices sunt, vt elementa & naturæ quatuor: aut compositæ, quæ vel sensu præditæ sunt, vel sensu carent. Rursum, quæ sensu carent, aut sub æthere in ipsoq; aëre generantur, vt fulgur, fulmen, tonitru, nubes, pluuia, nix,

Resolutio oratoria.

Loci verborum.

Partitio naturæ consentanea.

uia, nix, grando: aut ex aqua terraq; sumũtur, vt mare, fluuius, insulæ continentes: quæ verò sentiunt, similem diuisionem habent, & aut in aëre, aut aqua, aut terra degũt. Latißimè fusus est ille locus: neq; hic propositum est omnia persequi. Naturalia voco, quæcunq; ortum & occasum sentiunt, præter hominem, cui propter dignitatẽ proprium locum tribuo. Illa igitur humana ab eo, vnde nominata sunt, hoc est, ab homine incipiunt. Huic Deus vitam largitus est, & propter hominem cætera quoq; animãtia in lucem produxit. Homo igitur vitaq; proponatur, ac sub vtroq; ambos sexus marem atq; fœminam complectamur. Rectè enim coniunguntur contraria: itaq; ex altera parte mors etiam vitæ opponitur. Hominem præterea in corpus animumq; secamus, & ambo proprias suas habent partes, officia, situm, figuram, quæ à medicis & physicis sunt petenda. Sed hoc animal, quod homo appellatur, & cæteris omnibus præstat, tria bonorum genera, tanquam agros & prædia possidet, vt animi, vt corporis, vt fortunæ, vt iusticia, ars, sanitas, libertas, & quæ ab his sunt orta, vt à iusticia, ius, iudicium, hæreditas, proprium, alienum, pœna, præmium: ab iniusticia, cædes, rapina, adulteriũ. Contraria enim, vt dictum iam est, semper sunt componenda. Omnia hæc proprias actiones, & priuatos effectus habẽt. In animo est cogitatio, ratiocinatio, recordatio: in corpore ingreßio, status motusq;. Sed hæ actiones vel necessariæ sunt, & natura fiunt, carentq; ratione, vt crescere, marcescere: item quasi necessariæ, vt edere, potare, & cæteræ, quas nominare turpe est: vel voluntariæ, vt ambulatio, nauigatio. Has actiones quædam præcurrunt, aut sunt coniuncta, vt locus, tempus, facultas, instrumenta, causa:

Naturalia.

Homo & humana.

Triplex bonorũ genus.

Actiões animi peculiares, & corporis.

Præcurrẽtia, &

causæ: quædam verò ex omnibus consequuntur, vtile, honestum, quibus adiungi, sed seorsim, possunt, facile, difficile. Inter præcurrentia etiam locũ habet multitudo, copia, varietas, paucitas, solitudo. Genera quoq; rerũ effectarum, nouum, iucundum, admirabile, cæteráq; eius generis rectè hisce annectuntur. Operosum est hoc in loco omnia enumerare: viam indico, per quam non difficile iter erit, quibus propositum est ingredi. Verborũ igitur loci, ex hac partitione distribuendi sunt: sed distinguuntur hi ipsi locis rerum quatuor: substantia, quantitate, qualitate, & duobus alys, ex quibus vnum facio, actione scilicet & passione. Philosophorum hæc sunt & nomina & inuenta, sed maximas etiam oratori vtilitates adferunt: & necessaria sunt in omnibus artibus ac disciplinis. Omnia igitur, quæ dissoluuntur ex illis, quæ esse in natura dicuntur: per hæc quatuor distincta loca requiruntur. Sed & illis, quæ accidere dicimus, quasi sub sensum cadãt, vtimur. Itaq; ad primum genus & oratio & orator deportatur: ad alterum oratio prolixa, & orator copiosus: ad tertium oratio suauis, & ornata, vt etiam suauem & ornatum oratorem appellamus: ad postremum orationem habere, & dicere, & perorare. Ita singula diuidũtur adtributa, in res & personas. Vtrunq; vel simplex est, vt oratio, lingua, eloquentia: Vel coniunctũ, vt oratio atq; lingua, vis eloquentiæ, sapientia eloquentiæ, dicendi scientia. Omnia verò ita inter se cõnexa sunt, vt antecedentia, media & consequẽtia. Sic enim differũt cõsuetudo, amicitia, beneuolẽtia. Naturæ quoq; ordo in actionum varietate poterit teneri, vt orationem instituere, orationem facere & ornare, orationem perficere & perpolire. Sed actio etiam atq;

consequentia actiões.

Quatuor loci rerum.

Attributa aut rerũ, aut personarum.

iam atq; passio per duo illa media distinguuntur genera. Diuisa enim suis locis sunt, aliquem habere multam orationem de re aliqua, & esse alicuius orationem perelegantem & persubtilem. Ad contraria verò certo ordine veniendum est: in amicitia enim primùm est deligere amicos, deinde amare, pòst augere, hinc confirmare, ex hoc permanere, florere. Offensiones etiam existunt: & irrumpunt sæpe in amicos amicorum vitia: inde lædere, ex quo offendere, & discindere amicitias contingit, tandem etiam capitali odio dissidere. Sed hæc hactenus de verborum & rerum locis. Sunt etiam artis, hoc est, rationis dicẽdi aly loci, de quibus in Rhetoricis libris explicabimus. Nos, si Deus nobis vitam largietur, pleniora hæc atq; perfectiora paucis annis edemus: neq; video, quæ via melior esse possit, quàm hæc, assequendi eam orationis copiam & puritatem, qua nostris scriptoribus veteres præstãt. Procul enim adhuc oẽs absunt ab eo fine, quẽ proposuerunt, & adhuc homines iudicare melius de re facta possunt, quàm perfectum aliquid consummatumq; dare.

De ratione commentandi.

CAP. XXIIII.

LOngius ab instituta oratione digressi sumus: redeundum igitur ad quintam tribum est, & addenda quædam sunt, quæ deesse videbuntur. In hoc itaq; ordine nõ contenti esse debemus scribendi exercitatione, verùm memoriter etiam quædam non scripta, recitanda sunt. Argumento igitur ad narrandum, aut probandum, aut amplificandum proposito, dandum spacium est discipulis eadem hora,

Cõmentatio.

dem hora, qua docendum erat, ad cogitandum, vt quod antea scriptum adferre consueuerant, id iam meditatione atq; cogitatione compræhensum pronuncient. Tria enim in scholis facimus dictionum genera: vnum scriptum: alterum subitum: tertium, quod intermedium est, & meditatum. Sed à stilo principium faciendum est: inde rectè ad commentationem fit progressio: subitæ dictiones suscipi non possunt, nisi post diuturnam & assiduam scribendi atq; commentandi consuetudinem. Commentatio rectè instituetur, quemadmodum & ipsa scriptura, in rebus notis atq; quotidianis, aut si illa latinè & aliena lingua recitent, quæ in Græcis scriptoribus sunt interpretata: Quales sunt Homeri & Demosthenis narrationes, laudes, vituperationes, amplificationes, & loci communes. Sed poëtica ita referenda sunt, vt foro & circulis, quàm theatris atq; orchestris sint similiora. In oratoribus etiam liberam volo linguam, vt illa solùm retineantur, quibus nihil potest esse melius: quæ verò similia sunt, commutẽtur, si videtur, & quæ deteriora, quod fieri solet in formis deterioribus aut vocabulis peregrinis, illa semper tollantur. Id etiam in scribendo est retinendum. Verùm aduuuanda industria est teneræ ætatis magistrorum diligẽtia: & vt in primis ordinibus scripta argumenta dictantur à doctoribus, non inueniuntur à pueris, verba etiam dantur & singula & coniuncta multa: sic hîc prius explicandus est locus ille à præceptore, & ostendenda, quæ sint insignia & talia, vt nihil præstantius, quæ item cũ latinis similia, quæ diuersa. Satis enim profecerit puer, si principiò rectè coniungit, quæ audiuit, si æquabiliter pronunciet, si non erret, si scripto similia esse appareant.

Tria dictionũ genera.

Post hanc exercitationem, etiam contrariæ rationes inueniendæ sunt: neq; solùm, quod Demosthenes narrauit, sub commentationem subire debet, sed etiam, quæ à Media, & aduersarijs patronis verisimile est potuisse adferri. Hæc ab illo etiam, qui docet, sunt præmonstranda. Vt enim optandũ est, qui crus fregit, illum, si alteri innitatur, incedere posse: ita etiam dignum maxima spe est, vel illa rectè referre puerum posse, quæ antè magister voce præiuit.

Ordo tertius.

CAP. XXV.

Dialectica, & Rhetorica præcepta.

EXtremo verò puericiæ anno, ad tertium ordinem adolescens ascendet, vbi cum præceptis Rhetoricis Dialectica sunt componenda, & maior dicendi facultas, disserendi ratione adiuta, comparanda est. Sed constringere oportet Dialectica ex Aristotelis libris, & exemplis philosophorum & theologorum illustrare. Sunt apud Aristotelem multa, quæ non ad doctrinam artis, sed ad præceptorum demonstrationem pertinent, quæ hoc in loco sunt omittenda. Fidem enim iam nos habemus optimo magistro: suis ipse tùm temporibus aduersarios habuit eruditos & doctos homines, quos nunc non habet, aut si habet, est illud eiuscemodi genus Sophistarum, quod à doctissimis semper scriptoribus est vituperatum. Artis igitur probationem hîc non requirimus, sed eius postulamus explicationem, & eam neq; prolixam, neq; operosam, neq; obscuram, sed breuem, expeditam, & planam. In Rhetoricis autem id legendum est, quod ex disserendi ratione petitum est, vt sunt Ciceronis topica. In hoc etiam

ordine

ordine Demosthenis & Aeschinis aduersarias orationes interpretando explanari velim, sed partiendæ illæ sunt propter prolixitatem, & Demosthenis orationem ad secundam curiam, si absolui in tertia non queat, velim transferri. Hìc illæ commentationes in quarta institutæ continuandæ sunt, & partes integræ, in vtriusq; oratione, postquam enodatæ sunt, sumpto ad cogitandum tempore, oratione latina memoriter dilatandæ: Ea exercitatio rectè adolescentulis, cùm dimittuntur, imponitur, & audiuntur domo reuersi. Surripere igitur huic laborì quartam horam oportet: qua, cùm per tempus & recitationem earum rerum, quas cogitatione & meditatione habent complicatas, licebit, legere etiam vtile erit Historicum Salustium, aut Cæsarem: ad Liuium tùm cùm illì lecti erunt, perueniatur. Magnus ille quidem scriptor est, sed obseruator ætatum, & oratori dissimilior, quàm Cæsar & Salustius. Thucydides enim magis Liuio, quàm Xenophon placuit, quem secutus est Cæsar. Salustius rerũ breuitatem, verborum vsu distincto, & accomodatione propria compensat. Topicis Ciceronis, de quibus dictum est, haud scio an Hermogenes rectius præponatur: certè legenda in hoc ordine sunt, quæ de statibus scripsit. Ita enim loco secundi libri, qui est in Herennianis, substituetur. Primus in quarto ordine interpositus est: quæ in quarto libro docet Herennius, illa in quinto proposui explicanda. Tertius liber quæ de memoria habet, nolim explicari. Impedient enim cursum nostrum: & artis obseruatio, & Dialectica præcepta magis, quàm illa, memoriam augent & stabiliunt.

Hermogenes de statibus.

)?( )?( )?(

Ordo

Ordo secundus.

CAP. XXVI.

Postquàm ingressus est adolescentum cœtum, qui antea puer erat, maturè, vbi annum in tertia tribu versatus est, ad secundam progredietur: in qua finem ornatæ orationis: præcepta & principium apti generis dicendi reperire oportet. Sed quæ finitima sunt, non solùm cõtinuari debent, verùm etiam coniungi atq; necessitudine vinciri: ita & in ornatu id, quod decet, inchoari, & in eo, quod decet, ornatus perfici debet. Tardè Cicero & tùm, cùm sciret, quid aptum, quidq; ineptum esset, didicit, remos inhibere quid esset. Tironem etiam docuit, tùm cùm limari ab illo sua scripta pateretur, ineptum esse, fideliter inseruire valetudini. Quamobrem coniunctam habere debent exercitationem: sed in præceptiõe tenendus est ordo, & modus, de quo explicatum est. Demosthenis igitur oratio, quam pro Ctesiphonte habuit, si in tertia classe non potuit exponi, hîc explanetur. Si verò ibi explanata sit, deligatur ex cæteris, quæ videbitur idonea. Dialectica præcepta, de quibus scriptum est, ita cogi & explicari debent ex Aristotele, vt duos annos in illis maneant adolescentes, sed tamen in hoc loco exercitatione magis, quàm præceptione sunt erudiendi. Itaq; eâdem hora, qua præcepta docentur, dialogus aliquis ex Platone aut Cicerone interponatur, in quo demonstretur vtendi modus, & recta doceatur disputandi ratio. Partitiones etiam Ciceronis hîc proponendæ sunt, ad illustrandam firmandamq; memoriam. Vtilissimus hic libellus est, vt antea proposui, & in omnibus scholis retinendus, sed explicandus

Exercitatio magis quàm præcepta hîc requirũtur.

candus expeditè. Pergant etiam in commentando & scribendo adolescentes, & seuerius iudicium scriptis corrigendis adhibeatur. Incipiet enim iam sese stilus foras efferre, & expectare omnium ordinum iudicia. Post cognitas partitiones, veniendum est ad Ciceronis Oratorem, vbi breui indicatur, quid deceat, & quas res oratorem habere oporteat, & quomodo perficiatur. Isto enim anno fundamenta operis perfecti iacienda sunt, quod vigesimo primo absolutum volumus videre.

Ordo primus.

CAP. XXVII.

DEcimus quintus annus libertatem adolescentibus promittit, & viam ad primas artes maximasq; disciplinas patefacit. Post hac enim conandum est, vt illud aptum genus dicendi adhuc adolescentes consequantur. Aptum appello, quodcunq; literatum est, & doctrina illuminatum, & liberale, & rebus personisq; accommodatum. Hoc teneri haudquaquam potest absq; maximarũ atq; adeo propè omnium rerum cognitione. Et quanquã ne ornatus quidem affingitur honestus, sine liberali artium atq; Philosophiæ doctrina: tamen, quo perficitur, hinc habet, quòd ex apto defluxerit. Quæcunq; igitur philosophus summiq; viri profitentur, elaborare decet, vt adipiscamur: qua verò via ad huius studij arcem perueniamus, paulò pòst aperiemus. Ergo tenendi adhuc sunt hoc anno sub magistris, & maiorum rerum faciendæ principia, & discenda ea sunt, quæ postquam assecutus est adolescens, publicis doctoribus commendetur. Proponendus igitur hic

Aptum dicendi genus.

Aristoteles de interpretatione, item de mundo.

est liber Aristotelis περὶ ἑρμηνείας, *& alter liber eiusdem scriptoris de mundo, qui duo eodem anno, vna aliqua hora quotidiana facilè percipiuntur. Tradenda etiam Arithmetica sunt, & excutiendus Mela, & proponendus Proclus, & cognoscenda sunt Astrologiæ elementa. Demosthenes adhuc etiam & Homerus interpretabũtur, quibus Ciceronis oratorios libros adiungo. Dandum etiam ociũ scripturæ & stilo est, neq; deponẽda cõmentandi exercitatio. Deniq;, qd superiori & proximæ disciplinæ desit, & qd principio sit opus in sequẽti, diligenter oportet considerare.*

De festis diebus, & de sacris lectionibus.

CAP. XXVIII.

Studiorũ finis pietas.

HActenus percurrimus omnes classes, & tributim omnem puericiam digessimus: sed quoniam pietatẽ finem statuimus studiorum, & de sacris literis nihil diximus, de his aliquid etiam est præcipiendum. Festi igitur dies huic auscultationi comparati sunt, quam rursum in duas partes distribuimus. Vna seorsum à populo in ipso ludo constitui debet: inde continuò ad alteram & ad publicam ducenda tota multitudo est, & collocanda cũ populo. Verùm in concionibus ordo præscribi non potest: est enim ibi seruiendum tempori. Modestiam autem & silentium, & attentionem summam esse oportet, inprimisq; cauenda est omnis populi offensio. Imaginem enim honestæ disciplinæ iuuentus præ se ferre debet. Ornamentum non minimũ ciuibus adfert liberorum modestia, sanctimonia, studium: dehonestant Rempublicam, qui secus, quàm deceat, faciunt. In puerili gymnasio curandum est, vt antequam ad

quam ad liberas auſcultationes veniatur, cognitam habeant adoleſcentes omnẽ Chriſti atq; Apoſtolorum hiſtoriã, & ex Moyſe quædam præcipienda ſunt, quibus rerũ geſtarum & antiquitatis memoriam collegit, & vtilia ſunt ad cognitionem doctrinæ Chriſtianæ. Feſtis diebus etiam is, qui præcedit, coniungi debet, in illis ciuitatibus, quæ vnius diei ſolùm vacationem habent. Poſtremo ordini catechiſmus explicandus eſt: tribus inſequẽtibus, latino ſermone verſum eſſe debet id, quod interpretatur: Cæteris melior oratio, ſermoq; græcus vtilior. Duobus etiam primis Hebraica grammatica tradi debet, & cùm primùm fieri poterit, in ea lingua Moyſes interpretatione eſt explanãdus. Hoc modo primus atq; poſtremus dies Deo dicandus eſt: qui intermedij ſunt, illis recordationem quidem & cogitationem diuinitatis deponere non licet: eloquentiæ tamen & philoſophiæ ſtudia licebit recolere, ſed ita, vt ad illuſtrandã religionis doctrinam ſuſcipiantur. Pomeridianis horis, poſtremo die hebdomadis, in Muſicis oẽs exercẽdi ſunt. Liberalis enim eſt huius artis & ſcientia, & vſus, & niſi à pueris condiſcamus, ſerò grandiores cognoſcemus. Hebraica grãmatica. Muſica.

De publicis & liberis lectionibus.

CAP. XXIX.

PVblicorum profeſſorum collegium, tanquam populi liberi ciuitas eſt, in qua populus ipſe ſibi leges conſtituit, & quibus ipſe ſe aſtringit: qui verò in nouẽ ordinibus verſantur, quaſi patres familiâs ſunt, qui vt liberis, ita diſcipulis ſuis, imperãt, quod honeſtũ putãt. Sed cùm lex ſit, qua Deus vniuerſum mundum regit, nihil eſt, quod omni

ex parte legibus sit solutum. Itaq; vt liberum populum, ita etiam istas auscultationes, propter illas pueriles, in quibus indulgetur minus, appello liberas, sed tamen certis legibus distinctas. Qui igitur summis, suisq; doctoribus proximi sunt, sed tamen longo interuallo proximi, admitti debent ad hunc cœtum. Finis enim studiorum non ita procul, vt antè, videri potest, quem quisq; inde abimitio debet proponere. Fecimus autem vnum & primum studiorum finem, pietatem literatam: sed multis illa certè modis exercetur, & diuidi se ipsa patitur in varia officia, tanquam partes. Manet enim ipsa non in Theologis solùm, verùm etiam in iurisperitis, & Medicis, & in omni professione manet. Et docere religionis ignarum: & defendere innocentem: & curare ægrotum: ad charitatẽ atq; Christianam religionem pertinet. Primùm igitur vnusquisq; se in consilium adhibere debet: deinde etiam magistros, & parentes & amicos aduocare, atq; prouidere, ad quod vitæ genus sit aptus. Ad quodcunq; verò idoneam se naturam habere sentiet, ad id & consequendum & ornandum, omnes & cogitationes, & lectiões, & scriptiones, & auscultationes referat, atq; ita referat, vt in eo cæteris conetur præstare. Deprauatum genus est hominum, etiam eas, quas ignorant, artes exercentium, & qui eo ingenio sunt, neq; theologi, neq; iurisperiti, neq; medici, neq; doctores vlli sunt ferendi. Non enim illud sine miserabili iactura fit acuminis, valetudinis, bonorum, & mentis. Neq; quisquam se potest excusare multitudine, qui minus sit assecutus, quàm profiteatur. Sed vt in theologia, ita etiam in cæteris disciplinis, summum est, animi integritas, metusq; Dei: minusq; nocent indocti,

Varia pietatis officia.

Integritas animi.

indocti, si sint boni, quàm docti, si negligant virtutem: vterq; tamen in vitio, sed minus alter, verùm in vitio tamen, qui, dum id suscipit, quod efficere non potest, vel priuati proprijq; studij, vel impudentia, vel stulticiæ & inertiæ significationem præbet. Sit igitur is, qui ad publicum ludum, & istam liberalem disciplinam deligitur, natura ita bonus, vt velit: & ita industrius, vt possit: ita etiam erecto & alacri animo, vt nolit exercere, priusquã eam, quam sequitur, artem didicerit: atq; cum hac volũtate ad doctores ac magistros deducatur.

mi & Dei timor.

Quales publicæ interpretationes, & quales priuatæ lectiones esse debeant.

CAP. XXX.

SEd habet vnaquæq; sæpe ars scriptores multos, variosq; libros, & multiplicem præceptionem. quibus in rebus electio est facienda. Incidere igitur in libros, inconsiderati hominis est: summo cum consilio, summoq; iudicio, qui prudentes sunt, accedunt. Qua in re multos illa vulgata sententia fefellit, nullum esse librum tam malũ, qui non aliquid boni habeat. Sed ad id genus tùm est tandem veniendum, cùm, quod optimum est, & quod obscuritatem magnam habet, & sine quo habere id, quod sequimur, non conceditur à natura. Non omnia possunt, etiam quæ vtilia sunt, explicari in scholis. Itaq; necessaria & optima ex optimis autoribus deligere præceptores oportet: cætera relinquenda priuatis studijs sunt, sine quibus impedita atq; imperfecta doctoris industria est. Au-

Cõmentaria priuatim legenda.

torum explicatores domi leguntur vtilius, quàm interpretantur in schola. Vt enim ineptum esset, Bartolũ à Iurisperitis recitari, Iustiniani scripta negligi: & vt imperitè ac fœdè fecerunt Sophistæ, qui Scotum & Thomam interpretati in suis cœtibus sunt: ita peræq; propè illi atq; hi, qui in explanandis Aphorismis, atq; similibus Hippocratis scriptis, Galeni commentarios exponunt & interpretantur. In sacris literis, quod præter Euangelistas, & epistolas Apostolorum, & Moysis atq; Prophetarum libros explicatur, propè totum intempestiuum est. Nec Chrysostomum quidem aut Basilium, & his æqualem Gregorium legendum in gymnasijs theologorum censeo: sed domesticis studijs committo. Idem ego de omnibus Philo-

Graues & difficiles Poëtæ explicãdi.

sophiæ studijs iudico. Poëtæ excutiendi sunt, qui graues sunt, & ad intelligendum difficiles, post benè perceptum Vergilium & Homerum: & quoniam multa sunt Poëtarum genera, ab vtilioribus est incipiendum. Ouidius propè in omnibus facilis est, ideoq; relinquendus bibliothecis, & legendus domi. Fastorum tamen libri, & vtilitatem habent, & difficultatem. Metamorphosis legi omnino de-

Comici & Tragici.

bet: at scholæ curriculum impedit. Necessaria magis est Comicorum & Tragicorum Græcorum explicatio, sed non omnium vel Tragœdiarum, vel Comœdiarum, sed Comicorum & Tragicorum omnium. Sunt enim insignes,

Aristophanes.

vt Euripides, Sophocles, Aeschylus. Aristophanem propter nubes & calumnias aduersus optimum philosophum Socratem fictas atq; conflatas de ludo eijcerem, nisi vtilitas in eo tanta esset, vt cum optimis comparetur. Pindari hymni, & Horatianæ odæ rectè componuntur & leguntur. Idem de Vergilij Eclogis & Theocriti Idyllijs

statuo:

statuo: sed Vergilius puerili ludo & inferiori ordini aptior est. Theocritus in hisce liberis scholis collocandus. Praeterieram Hesiodum, qui cumprimis est legendus, neq; malè Homero succedit. Aratum mathematicis cum Dionysio relinquo. Lucretius Philosopho dignus est, sed tamen concedimus illum ocio poëtarum: est in illo vetustas verborum, & sententiarum insignes formæ sunt, cùm de diuinis ac naturalibus rebus agit: Multa habet quæ vel oratorem deceant. Olim grammatici poëtas interpretabantur: poëtæ verò tantùm sua recitabant: nostra tempora requirunt, vt idem sit & grammaticus & poëta. In historijs facilis est lectio. Nostri scriptores sine interprete cognosci possunt. Ex Græcis Thucydides, & Herodotus, & Xenophon si intelligantur, cæteros domi licet cognoscere. Ex Thucydide sententiarum grauitas, & plenorum verborum collocatio: ex Herodoto lepos & profluens genus compositionis: ex Xenophonte suauitas & puritas orationis locupletatur: Denig; multa Herodotus, plura Thucydides, Xenophon nihil non habet, quod sequaris. Hos tres Cæsari & Salustio, quos dedi inferioribus ordinibus, sentio adiungendos. Liuius etiam opus habet explanatione: sed pars quædam eius est deligenda: neq; tres illos volo absq; intermissione totos legi: post singulos libros plærunq; permittitur nouæ materiæ interpositio. Ex philosophis illa legi & proponi volumus, quæ necessaria sunt, & à doctoribus cæterarum artium non explicantur, vt Dialectica, Ethica, Politica, & Physica, quæ à Mathematicis & Medicis non leguntur, vt libri Aristotelis de anima, & de naturalium rerum auscultatione, & Platonis Phædo. Animalium historia, &

Lucretius.

Historici.

Quæ ex Philosophis prælegenda.

humani

humani corporis compositio, & herbarum vires atq; notiones, & Platonis Timæus, & similium rerum libri, cũ medicis ad exponendum diuidi possunt: neq; potest mathematicus ea ignorare, quæ sunt apud Aristotelem de cælo, & mundo. Quapropter hi duo philosopho adsint, qui non omnia simul docere potest, tametsi omnia debeat scire atq; profiteri. Iurisperiti. *Iurisperiti etiam non omnia, quæ sunt apud Iustinianum, necesse habent excutere: quædã discipulorum sunt relinquenda industriæ: sed quæ necessaria sunt, & viam atq; rationem habent, & insignes vtilitates adferunt, in illis professio suscipienda est: neq; ignarus potest esse, vt nec consuetudinis & iuris, sic etiam, quæ de moribus & Rep. à philosophis sunt explicata. Quapropter etiam hic, postquam aliquid in sua arte absoluit, ex philosophis potest adferre quædam tùm, cùm est in hac literarum disciplina necessarium ad absoluendum istud annorum quinq; curriculum. Neq; immunis Theologus, qui scire debet, quomodo Respublica sanctè gerenda sit, & quomodo cuiq; inter ciues suos, & in sua familia sit versandum. Quare ad huius etiam officium pertinet docere, cum est opus.*

De Aristotele, Platone, & Cicerone.

CAP. XXXI.

Cuiusq; artis autores p-fecti. *SED ex quibus sumenda sint, quæ traduntur, facilis est consideratio. Habent enim omnes artes suos autores, in quibus errari non potest. Theologia duo genera certissima perpetuaq; scriptorum habet. Apud medicos Hippocrates ac Galenus perfectam artem confecerunt. Apud*

Iurisperitos

Iurisperitos nihil melius est, quàm quæ Iustinianus edi curauit. Philosophis Aristoteles datus est, qui prætertot tantarumq; rerum explicationem, qua propè omnia docet, non solùm eam artem perfecit, qua in omnibus artibus vtuntur, & quam ad omnem disputationem adferunt, sed etiam dicendi rationem pulcherrima doctrina dilatauit. Plato inter philosophos copiosissimus & amplissimus autor, dialecticorum exempla omnia suppeditat: neq; mihi dubium est, dialecticos in arte perficienda multùm Platonis vestigijs adiutos esse. Sed & orator quàm plurima notare apud Platonẽ potest, quæ in dicendo imitetur. Inter sapientes eloquentiæ laus summa, & inter eloquentes sapientiæ locus primus huic philosopho debetur. Ita copiosus est in eius sermonibus Socrates, vt quodcunq; demas, id te credas amisisse: ita docet, vt discere velle videatur: ita concedit, vt vincat: ita vincit, vt non id voluisse appareat. Itaq; post puericiæ educationem interpretandi sunt huius dialogi, in quibus amplitudinis quidem & doctrinæ delectus haberi non potest: sed tamen ad studiorum progressiones, & ad ludi distributionem necessaria quædam & ratio & electio poterit accõmodari. Quod verò nomen inter græcos philosophos Plato, id inter Latinos oratores Cicero est consecutus, sapientissimus orator, eloquentissimus philosophus, oratorum omnium clarissimum lumen, & vnicum omnium literatorum exemplum. Summa laus apud hos tres manet, &, vt video, mansura perpetuò est: & cùm omnia cognoscenda sint, quæ scripserunt, tamen, quoniam ab vno atq; altero interpretari omnia non possunt, partitione opus est, vt doctorum vnusquisq;, quod suam artem ornare posset, putet ad se pertinere: &

Aristoteles.

Plato.

Cicero.

nere: & quoniam ne sic quidem omnia legi possunt, seligi primùm necessaria, deinde optima debent: cætera priuatis studys atq; bibliothecis concredenda.

Distributio publicarum lectionum.

CAP. XXXII.

COmmunicare igitur inter se doctores docẽdi munera oportet, & distribuere operas, quod si faciẽt, & in curijs inferioribus firma fuerint posita fundamenta, facilè reliquum opus exædificabimus. Sunt autem lectorum atq; doctorum nouem genera. Vnũ, quod sacras literas explicat, quod primum est & summum: alterum iura legesq; interpretatur: tertium, quod conseruandæ recuperandæq; sanitatis præcepta tradit. Atq; in his tribus exercetur vita humana. Quicquid enim agunt homines, faciunt id aut animi mentisq; causa, quam Deo deuotam volunt: aut ob vitæ custodiam atq; productionem: aut, vt sua honestè tueantur, amplificent, tradantq; quasi per manus nepotibus. Nostris paucis hisce seculis, qui horum trium doctrinam consecuti essent, Doctores vocari placuit, nouo vocabulo in hac significatione. Vnaquæq; enim ars suos doctores habet, quemadmodum Rhetorica Hermetem & Hermagoram habuit, & Grammatica Aristarchum. Sed sunt quidam, quibus horum triũ professio vel difficilior est, quàm vt assequantur, vel non exercere cupiunt, ociumq;, quod malunt, sequũtur. Itaq; quartum genus quoddam est, quod se mathematicis dedit, in eoq; ætatem consumit. Est etiam quintum, amans antiquitatis, quod in legendis scribendisq; historijs consultum esse

Nouem lectorũ genera.
Theologi.
Iurisperiti.
Medici.
Doctores vulgo.
Mathematici.
Historici.

tum esse cupit sibi vitæq; humanæ. Quidam etiam excellentes ad laticiam nascuntur, ingenij vi & impetu mentis plurimùm valentes, ideoq; numerosum genus orationis sequuntur, quod est poëtarum. Nonnulli verò philosophorum sunt administri, vt dialectici: aliqui oratorum, vt rhetores: aliqui poëtarum atq; historicorum, vt grammatici, quod genus nos hodie in puluerem detrudimus, & molestissimis astringimus laboribus: minimum nunc inter eruditos, olim verò professione magnum. Itaq; de hoc dictum est antè: nunc de his octo est explicandum.

Poëtæ. Dialectici. Rhetores. Grãmatici.

De consensu artium & rerum omnium, & de numero lectionum.

CAP. XXXIII.

SEd in his octo philosophum atq; oratorem contineri volo, quorum vterq; omnia posse profiteri atq; suscipere videtur: sed alter scientiam rerum, alter dictionem verumq; ornatum illorum, quæ sciri possunt, policetur. Vt igitur hos duos in horum omnium, de quibus dictum est, scholis versari atq; educari volumus: sic etiam hi in minorem numerum poterunt constringi. Nemo enim omnium perfectè vnius alicuius doctrinæ scientiam consecutus est, qui cæteras ignoret. Omnes enim res, quæ in natura positæ sunt, quæue ortum & occasum habent, perpetuo & sempiterno connexæ sunt inter se vinculo quodam societatis: & quemadmodum res, sic rerum etiam disciplinæ perenni sunt constrictæ necessitudine, vt qui vnam earum perfectè norit, reliquarum quoq; profiteatur se non esse ignarum. Contrahamus igitur

Philosophus scientiã rerum: Orator eorũ quæ sciri possunt, verum ornatũ profitetur. Disciplinæ inter se cõnexæ.

octo illa genera, & ex paucioribus magistris gymnasium constituamus. Nam & poëta ille etiam historicos interpretari poterit & grāmaticam, quē puericiæ præfecimus.

Septem doctores publici.

Quocirca septem sunt, qui docebunt quotidie, ita vt neq; horas, neq; scriptores eosdem occupent. Etiam eiuscemodi viam poterunt atq; rationem ingredi, vt vnus ex omnibus artibus ac literis, quantum satis est ad excellētem doctrinam, consequatur. De Iurisprudentia, & de Medicina, & Theologia nullum dubium est, quin, qui discere tantum non potest quinq; illis annis, si vnam quotidie horam versetur in scholis, vt per se reliqua assequatur, ineptus sit ad illam doctrinam, ad quam se applicarit. Neq; dubium aut ambiguum est, poëtam illum atq; historicum iactis his initijs, quæ in illo inferiori gymnasio fieri volumus, tantum quinq; annis efficere posse, vt in omnibus scriptoribus egressus adolescentiam iuuenis expeditè sine interprete versetur. Dialectico plus oneris impositum est. Nam quoniam Philosophi, qui propè solus omnia profitetur, administer est, rationem differendi, & perspiciendi atq; diiudicandi omnem debet tradere: viam etiam patefacere ad earum rerum scientiam, quæ de moribus & vita, & quæ de rebus naturæ à maximis viris, hoc est, à sapientissimis tradita sunt, & cognitione in hac vita, quantula cunq; est, comprehensa. Quain re adiutorem illum rhetorem habet, oratorum famulum, qui non solùm dicendi præcepta dare atq; perficere debet, sed etiam ea cognoscere omnia, quæ in oratione sub stili acumen subeunt, & suscipiunt orationis cultum conuenienter ac honestè. De differendi ratione nemo melius Aristotele explicari potest. Rhetorici libri extant complures, sed tres

sed tres illos Aristotelis, & tres de Oratore, & Hermogenis, quos scripsit de dicendi formis, vitiosum est ignorare: reliqua, quæ de moribus præcepta sunt, & scribuntur de natura, à Platone & Aristotele sunt petenda. Sed & morum optimus informator, & in ciuitate præclarus consiliarius Theologus est. Percurri breuiter, quæ de his septem doctoribus sentirem: cætera institui commodius, quàm præcipi possunt.

Quæ lectiones Theologo, quæ Iurisperito, quæ Medico, quæ cæteris sint audiendæ.

CAP. XXXIIII.

QVI igitur necessarias illas tres hominum vitæ artes cognoscere volent, ita in his eos versari oportet, vt à cæteris artibus ac literis, quibus adiuuari hæ tres possunt, nõ deficiantur. Itaq; ille Dei quasi interpres, & cælestium rerum præco Theologus, neq; ignarus sit diserendi, dicendiq; scientiæ, & eos cognoscat, à quibus conseruata est antiquitatis memoria, & præscripta ratio constituendarum Rerump. atq; familiarum. Iurisperitus verò, indignus eo nomine est, si quæ de Rep. & moribus philosophi statuerunt, ignoret, & amouendus à sua curatione, si non cognouerit, quid maiores eius, à quibus leges accepit, egerint, neq; legerit ætatum omnium historias: & quoniam Christiana Resp. quasi imaginem diuinitatis exprimere debet, tenenda etiam sunt illa, quæ Deus literarum monimẽtis mandari à sacrarum rerum scriptoribus voluit, & cùm è ludo Iurisperiti, multi prodeant regum

Quæ theologo scire debeat.

Quæ iurisperitus.

consiliarij, & gubernatores Rerump. vox quoq; eius rhetoricis præceptis est erudienda: & quia sæpe disceptandum est de iure, scire cum cæteris & illa debet, quæ tra-

Quæ Medico

dantur à Dialecticis. Medico etiã multa necessaria sunt ad artis suæ perfectionem. Nisi enim illa habeat, quæ philosophi de rebus naturæ explicarunt, non poterit cum magnis numerari. A philosophis igitur & mathematicis multa cognoscenda sunt, si iustum curriculum suæ professionis volet percurrere: quo in studio, si dissérendi scientia dèstituatur, deficient etiam ea, quæ in perfectis medicis sunt summa. Non infinita sunt ea, quæ præcipimus: vix credi potest, quantas & quàm multas res humanus animus annis quinq; possit perlustrare, post illam puerilem disciplinam. Difficilis est, fateor, & plena fastidio sex horarum auscultatio: at, qui quatuor recusat, haud scio, an dignus, vt appelletur sapientiæ studiosus, videri debeat. In hoc igitur publico & literato gymnasio, vt in illo puerili quatuor horas quotidie doctorem audiat, qui volet esse magnus, aut theologus, aut medicus, aut iurisperitus. Ita verò quatuor hæc tẽpora dispensét, vt qnto sexto; atq; etiã septimo carere possit. Ita verò illi sex interpretes sua tẽpora distribuant, vt, quæ singularia sunt artis, & cætera studia nõ multùm adiuuẽt, tùm legãt, cùm parti alicui vtilius est alia cognoscere. Neq; enim necesse habet theologus audire medicũ, cùm tradit curationẽ oculi: at

Anatomia.

cùm anatomica docet, et humani corporis partes, & partiũ singularum & actiones & figuram indicat & oculis subijcit, ac quasi contrario ordine, quàm eo, quo factum est, animal, in quo mens est, resoluit, eò vtiliter & pœta & Theologus accedit. Cùm igitur liber Galeni de

pulsibus

pulsibus legitur, minui potest labor Theologo: cùm Iuris interpres singularia, quæ in Iustiniano sunt, capita explanat, abesse potest: at cum quatuor illi libri interpretantur, quibus informatur Iurisconsultus, non potest sine inertiæ suspicione abesse. Sunt omnium artium scholæ quædam, quæ ad omnes non pertinent, quæ ita digerendæ sunt, vt studiorum continuationem non disturbent. Quod de tribus dictum est, id etiam ad illos pertinet, qui in nulla professione necessariæ doctrinæ ætatem degũt, neq; certis limitibus sese coërceri patiuntur, sed ocio tantùm & literarum oblectatione acquiescunt: quibus tamen ita viuendum est, vt illorum etiam vitæ ac studiorum ratio apud amicos constet. Nam quò liberior est, & quò minus se arctioribus artium atq; literarum locis includi patiuntur, eò plus possunt percipere.

De duplici partitione in ratione docendi.

CAP. XXXV.

TEnenda igitur in scholis duplex via & ratio est. Vna est, qua generatim res vniuersa traditur, nulla disceptatione cum aduersarijs suscepta: altera singularium rerum, quæ proprias quasdam habent & exceptiones, & quæstiones, & demonstrationes. Est etiam altera partitio, quam maximè sequi in scholis vtile est. Aliquando enim sine autore, nulloq; proposito scriptore ars aliqua docetur, tùm cùm magister id potest breuius & planius, quàm hi, qui de eadem re scripserunt: id quod fieri potest in multis: aliquãdo etiam liber adfertur, in quo rursum bipartitus est modus in docendo. Nam aut omnia ordine

Genera lis artiũ traditio.

ordine atq; singulatim excutiuntur, aut quædam omittũtur, & ea solùm aperiuntur, quæ sunt necessaria, quod in multis fieri potest apud Aristotelem & Galenum alios q; scriptores multos, quibus aliter, quàm ars ipsa desiderabat, propter aduersariorum opiniones explicandum de rebus fuit. Itaq; illa generalia quotidie, nisi à quatuor tradi debent, quò omnibus cognoscere liceat: tres verò semper sint, qui illa, quæ singularia sunt, & redacta in angustos quasi carceres earum artium, quarum quæstiões habent, eos doceant, quos proprios perpetuos q; auditores habent. Hoc modo assequemur, quod volumus, vt intelligamus ac teneamus illam omnium artium atq; literarum consensionem.

De priuatis studijs.

CAP. XXXVI.

AT parum adferunt vtilitatis scholæ, si secreta studia domi nulla instituantur. Etsi enim nulla sine interprete ars perfectè percipi potest, & magnam vim ad excitandum eius, qui docet, vox habet, tamen in eodem sunt vitio, & qui nullam exercitationem domi suscipit, & qui se non sinit à doctore erudiri. Sed vtrunq; suas habet & commoditates & impedimenta. Nam, qui in cœtu cum multis instruitur, is hoc quasi emolumentum capit, quòd, quæ domi magno cum labore vix consequi possit, ea ipse breui auscultatione, certius & perfectius cognoscit, quàm si sua inuestigatione nitatur. Illud verò est in eadem re incommodi, quòd sæpenumerò mentis acies in ludo turbatur, & animus ad alienas cogitationes rapitur, quod in nostra bibliotheca cùm assidemus, tametsi accidat

Vtilitas publicæ auscultationis.

accidat etiam, tamen quæ ibi aguntur, quæruntur, inueniuntur, quasi priuata sint, & à nobis nata sic amplectimur, vt firmius animis inhæreſcant. Sunt aliæ multæ vtilitates vtriuſq; rationis, vt niſi coniuncta ſint hæc duo, paruos progreſſus in literis facturi ſimus. Sed in frequentia, & in publico cõuentu ſimplex labor ſuſcipitur, in quo diligens attentio, firmaq; memoria requiritur: Ille verò ſecretior locus duarum rerum curationem præſcribit: Vna eſt, vt reuoluat, quæ in ludo tractata ſunt, vt & ſingula intelligat, &, quæ diſtracta fuſaq; ſunt, ad communes generum ſummas reuocet: altera, vt ea priuatim legat, quæ doctoris induſtriam ſubleuent, & quorum vi ſæpe id, quod tantùm inchoatum à præceptore notatur, perficiatur, vt plenus progreſſus, expeditus aſcenſus ad arcem doctrinarum fiat. Sæpe etiam accidit, vt vel morbo impediti, vel occupationibus neceſſarijs auocati, non adſimus, cùm docetur: aliquando etiam vtile eſt, aut comœdiæ, aut orationis, aut hiſtorici libri recitationem præterire, tùm cùm vacamus melioribus. Quas incommoditates priuata diligentia, noſtraq; bibliotheca compenſat, ſi ſine magiſtro & interprete nos eadem aſſequamur. Semper aliquid ei, qui volet eſſe magnus, eſt aut quærendum, aut audiendum, aut legendum, aut diſputandum: qua in cõtentione cùm ſoleat ſatietas & faſtidium eſſe, reficiendus animus varietate, relaxandus inæqualitate, vt facilia grauibus, læta triſtibus, noua veteribus ſuccedant, & à lectione ad ſcriptionem, à ſcriptione ad ludum, à ludo ad ſermonem eruditum, & literatam familiarium congreſſionem accedatur.

Duo priuatis ſtudijs agenda.

)?( )?( )?(

De disputandi & declamandi consuetudine. CAP. XXXVII.

PRascriptum iam à nobis est, quomodo puerilis educatio instituenda sit, & quomodo quinq; illi anni postremi ad perfectionem studiorum sint impendendi: sed de discipulorum exercitatione, quæ in ludis suscipi solet, nihil est hactenus explicatum. Sunt autem eius consuetudinis duo genera, vnum disputandi, alterum declamandi. Disputandi morem bis per mensem repeti, moderatum laborem habet. Hic vt excitatio adhibeatur, quatuor sunt personarum genera comparanda: Vnum eius est, qui respondebit: alterum eorum, qui subsidium adferent: tertium id est, quod in aduersariorum subsellys sedet: quartum, quod vniuersam disputationem moderatur. Hæc quatuor in duo contrahi possunt, vt vnum dissentientium sit, alterum iudicantium. Qui verò quæstionis capita proponit, vnus sit, isq; solus interrogetur ab his, qui contrà dissentiunt. Sed quia fit sæpe, vt subitò nobis in mentem nõ veniat, quod commodè respondeatur, addi huic tres debent, qui quasi subsidio veniant: sed dandæ illis respondendi partes sunt ab eo, qui omnibus præest, ne perturbatio oriatur, & ne se impediant mutuò, qui tanquam in conuiuio rex sit, & vnicuiq;, quod videbitur, imperet. Iudicare autem hunc non prius oportet, quàm recurrat interrogatio ad primum: huic enim illud concedendũ est, vt bis rogetur. Liberalis decet hunc cœtum disquisitio, carens metu & stupore: verùm alacritas adsit & reuerentia. Itaq; is, qui iudex constitutus est, æstimatoris se partes, non obiurgatoris sciat sustinere. Pudor enim sub-

Officiũ eius, qui disputationi præest.

rusticus

rusticus & metus, etiam quæ meditata scriptaq; habemus, tollit: alacritas verò & excitatio multa sæpe subitò & ex tempore inuenit, quæ, cùm domi sumus, nobis in mentem non veniunt. Res etiam ipsa, quæ ad disceptandum proponitur, talis sit, vt in contrarias partes verisimiles sententias habeat, id quod non solùm in probabilibus fieri potest, sed necessaria quoq; pronunciata sæpe habent aduersarias opiniones, quibus videntur infirmari. Conclusiones & argumentationes apertæ, breues, atq; simplices, & singularum partium interrogationes, vtiliores principiò sunt, quàm perpetuæ & prolixæ orationes, & argumentorum multitudo: ad quas tùm veniendum est, cùm facultatem disputandi fuerint maiorem consecuti: at in his ipsis longis probationibus, siue scriptæ adferantur, siue nascantur ex ipsa concertatione, epilogi breues atq; concinni faciendi sunt, qui efficiunt, vt intelligenter disceptent. Sed aptissima disputationibus breuitas est, & ad intelligendum, & ad vitandum insidias aduersariorum idonea. Suspecta enim est propositionum conglobatio, & sæpe à Sophistis adhiberi solet. Protagoras quidem à Socrate facetè laudando irridetur, quòd & copiosè & breuiter interrogatus respondere posset: at ab eodem oratores vituperantur, qui σμικρὰ ἐρωτηθέντες δόλιχον κατατείνουσι τὸν λόγον. Sed hæc de disputandi consuetudine. Declamandi verò exercitatio non solùm ad verborum volubilitatem, sed etiam ad præcepta philosophiæ est accommodanda, vt non solùm diserta, sed etiam sapiens sit oratio. Triplex autem eius est tractandi via. Aut enim subitæ dictiones fiunt: aut dato ad cogitandũ spacio: aut domi sunt scriptæ. Prima illa duo expeditam

Quæ in disceptationem vocãda.

Breuitas disputationibus aptissima

Triplex declamandi ratio.

promptamq; requirunt memoriam: postremum etiam ex scripto poterit recitari: quam consuetudinem non possum improbare, si non solùm pronunciet adolescens, quæ scripsit, sed etiam, quam viam sequutus sit, indicet. Hoc enim modo & plus vtilitatis auditoribus adfertur, & ipse, qui recitabit, maiorem ad scribendum diligentiam & curam est adhibiturus. Poëmatum etiam & carminum festiuorum & concinnorum & argutorum lectiones admitto. Est enim liberalis exercitatio, & magnas vtilitates adfert etiam in orationem. Hæc de declamandi, scribendiq; consuetudine, sine qua exercitatione nihil præclarum in literis effici potest. Sed videndum est, ne in disputando loquaces, & in scriptura tumidi, & inanes, & impuri, & negligentes simus. In disceptando subtilitas, & acumen: & in stilo vis & ornatus & elegantia & diligentia laudari solet. Scribere quàm plurimùm, & disputare quàm sæpissime oportet: neq; prolixitate diligentiam, sed ornatu & acumine æstimamus. Quod concinnum est, etiamsi breue sit, tamen laudem industriæ habet: quod verò inconditum & mendosum, quantumuis prolixum sit, cadit in vituperationem. Est autem in omnibus argumentorum habenda ratio, vt ea seligamus, quæ subtilitatem, acumen, ornatumq; capiant: qua in re illud videndũ est, ne, quod proponimus, nobis sit ignotum. Quod enim ignoramus, in eo neq; elegantiæ conuenienti, neq; ingenio subtili potest esse locus. Notum igitur sit, quod tractare volumus, & capax omnium, quæ studemus affingere.

De concordia, & modestia, & diligentia professorum.

CAP. XXXVIII.

In his

IN his rebus & in cæteris omnibus ſtudijs, diſcipulorum induſtriam alere debet magiſtrorum diligentia. Et quanquam diligentia inprimis in doctoribus ſpectãda eſt, tamen concordia atq; modeſtia maximè præceptores decet. Offenſiones enim turbulentæ & ſpiritus effrenati, ab auaricia plærunq; & ambitione oriuntur: quorum alterum impium, alterum illiberale, vtrumq; ſemper indignum magnis ingenijs fuit. Sæpe turbare ſtudia ſolet inuidia, & nulla re magis religio, quàm ambitione, vitiatur: & in quocunq; illa duo ſunt, nullus ibi locus eſt charitati. Vt autem ipſarum artium atq; doctrinarum, quarum profeßio in ludo ſuſcipitur, ſempiterna conſenſio & firmißimum vinculum eſt: ita etiam neceßitudine cõiungi harum doctores decet, vt ſimilia ſint in tali quaſi collegio ſtudia, eadem conſilia & conſentientes volũtates. Qui inuidia torquentur, & iactantur ambitione, in illis nihil fidum, nihil perfectum, nihil, quod cuiuſquam virtutem poßit oblectare. Et ſi quibus vnquam temporibus religio magna exempla deſiderauit, noſtra maximè deſiderant, in tanta potentia & copia aduerſariorum. Ferendæ igitur in illis locis offenſiones non ſunt, vbi ſeuerior inſtituitur diſciplina, quæ ad omnes homines pulcherrimas quaſi demanantes commoditates habet. Plærunq; enim, vt regum voluntatem & cultum, cæterorum nobilium habitus, ſic diſcipulorum ſtudia, magiſtrorum rationes, etiam ineptißimas imitantur. Itaq; non doctrinam ad poſteros vitioſi transmittunt, ſed vitiorum ſtirpem radices agere ſinunt, atq; in ſempiternum, quantum in ipſis eſt, propagant. Conſenſus igitur ſit ſtudiorũ & laborum, & communicatæ voluntates, & diſtributæ

operæ. Illud etiam elaborandum est, vt non solùm ea teneamus, quæ nos docere oportet: verùm etiam cætera cognoscamus, quoad possumus, quæ à reliquis, vel qui infra, vel qui supra nos sunt, traduntur. Nam & quæ antè didicerunt pueri, ea in superioribus locis sunt etiam retinenda: & quæ in manibus sunt, insequentibus sunt accommodanda. Præsentia doceri, præterita renouari, & futura prædici debent. Hæc enim plurimùm ad excitandum, custodiendum, erudiendum valent. Versatur autē omne docentis officium in docendo, corrigendo, cohortando, dehortando: quæ omnia dissensione perturbantur. Sed sunt quædam necessaria concertationum genera, vt puericiæ, & veritatis. Errores enim ex hominibus tollendi sunt, & contra inscientiam doctrina, & contra vitium virtus est defendenda. Sed abesse debet ab omni inquisitione veritatis animi perturbatio. Itaq; rectè à philosophis Socrates laudatus est, cuius suauissimus sermo ita cum Sophistis instituitur, vt veritatis studium susceptum esse videatur, & maximus lepos, atq; humanitas appareat, cùm docet, cùm emendat, cùm contrà sentit, cùm ridet: sine contumelia, sine ira, sine scurrilitate, vt vitia vitasse, homines verò non odisse videatur. In pueris etiam & adolescentulis honestæ contentiones excitentur. Alitur enim his illorum industria, & frenari moderariq; possunt à præceptoribus tùm, cùm præter modum exardescunt. Non vituperandum est, si vinci turpe, & doctrina excellere gloriosum esse existiment. Turpe enim est nunquā excitari, & semper ignauiæ inertiæq; condemnari. Deinde non manent in puerili ætate affectus, imò summæ amicicia ex talibus contentionibus efflorescunt. Vt enim

Docētis officiū.

causarum

causarum aduersarij maximiq; patroni, cùm orant, grauiter contendunt & vociferantur: vbi verò peroratum & iudicatum est, reconciliantur: sic etiam post puerilia hæc dissidia, quæ literarum doctores moderantur, summa plærunq; inter grandiores existit charitas & beneuolentia. Sed magistrorum studia magis, quàm concertationes, exerceri decet, & si quæ contentiones esse debebūt, quod fateor, sint illæ comitatis, humanitatis, charitatis, non asperitatis, non crudelitatis, non odij: & talis in literarum gymnasio conuictus, qualem poëtæ in Helicone & Parnasso musarum esse fingunt, summa cum concordia, vt vocum, numerorum, instrumentorum, sic vitæ, studiorum, atq; voluntatum.

Percurri breuiter, quæ de puerili educatione, & de aperiendis literarum ludis in præsenti præcipi poterant, & viam quandam si non patefeci, at commonstraui saltem iter, in quod si intremus, facilius ea, quæ maxima sunt, consequamur.

FINIS.

Ex Concilio Gabalionensi, capite tertio,

De scholis Canonicorum instruendis.

OPortet etiam, vt, sicut Dominus Imperator Karolus vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, præcepit, scholas constituant, in quibus & literalis solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discant, & tales ibi erudiant, quibus meritò dicatur à Deo: Vos estis sal terræ, & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solùm diuersis hæresibus, verùm etiam Antichristi monitis, & ipsi Antichristo resistant, vt meritò de illis in laude Ecclesiæ dicatur: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ.

Ex Concilio Toletano, xvj.

De conuersatione Clericorum in vno conclaui.

PRona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil enim incertius, quàm vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, vt si qui in Clero pueri aut adolescentes existunt, omnes in vno Conclaui atry commorentur, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant. Quòd si aliqui ex his pupilli existant, sacerdotali tutela foueantur, vt & vita eorum à criminibus intacta sit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis resultauerint, monasterijs deputentur, vt vagantes animi & superbi seueriori regula distringantur.

D. NICO.

D. Nicolaus Gerbelius ad lectorem.

Quis Cereris dotes, quis dulcia munera Bacchi,
Quísue olei nosset gratia quanta foret?
Alma Ceres fruges, blandus ni vina Lyæus
Monstrasset, latices docta Minerua suos.
Sic foret & ratio studiorum immersa tenebris,
Sturmius hanc medica ni reparasset ope.

Ioan. Sapidus Selestadien. ad lectorem.

Si te tangit amor conatus lector honesti,
Et cupis humanas res sapienter agi:
Non potes Argentorati non totus amare,
Digna & conscriptos tollere laude patres,
Quòd satagunt summo docilem molimine pubem
Formari rectis instituíq; modis.
Tu studijs gratare bonis, votoq; fideli
Opta principio numina dextra pio.

CLASSICARVM EPISTOLARVM LIB. III. SIVE SCHOLÆ ARGENTINENSES RESTITVTÆ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO: DOMINO ALBERTO MARchioni Brandemburgensi: Prussiæ, Stetinensi, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum Duci: Burggravio Norimbergæ: & Rugiæ Principi.

Ioannes Sturmius
S. P. D.

ADolescentibus, quos nobis anno superiore commendari placuit: cùm ita, quemadmodum tanti & talis Principis virtus atq; bonitas requirit: nostra fide & diligentia adesse & consulere statuemus: in eo cursu studiorum nostrorum pestis ita nos interpellauit: vt, nisi iuuentam nostram vniuersam obiicere crudeli neci videri vellemus: omnes adolescentes coacti simus missos facere: & scholas nostras intermittere. Quamobrem nostrum officium esse putauimus: prouidere, vt viaticũ, quod opus esset, à Scholarchis nostris acciperent: & cum illis Conradus Dasypodius prorector proficisceretur: & Francofordiam commendaret: vt valetudinis & studiorum curam

gererent: neq; sinerent eos aliqua rerum necessariarū indigere. Hoc genus officij tametsi omnibus debeamus: tamen gratissimum nobis fuit, à tali Principe Fabianum Baronem Thoninum, & nobilissimi viri Gaspari Nosticij Camerarij consiliarij, filium Christophorum: & filios duos prudentissimi hominis Baltazaris Gansij Fridericum & Albertum cōmendari: atq; commendari à Principe, à Duce: à Duce, inquam, Alberto: in hac viridi & sana senectute: post tot tantorum doctorum virorum præconia huiusmodi principis viri virtutibus tributa Ac me certè valde reficit hoc nostro religionis tempore: cùm multorum bonorum principum successio: qui in locum demortuorum in Imperio suffecti sunt: tùm eorum inprimis, qui adhuc pauci sunt: inter quos principem locum occupas. Fui superiore autumno apud Christophorum Oldemburgicum Comitem: hospitem, patronum, & patrem meum. Valde me reficiebat, præter benignitatem eius erga me liberaliter declaratam: senectus viri vegeta: & venerandi cani: & animus fortis atque militaris: qui adhuc paratus pro religione vel mortis se periculo committere. Cum huius viri memini, videor etiam mihi Alberti Prussiæ Ducis venerandam senectutem: & hanc multis virtutibus splendentem atq; fulgentem aspicere: & astantem ad patris latus Albertum Fridericum filium, patris imaginem: quem omnes boni vt bonorum amplissimorum, sic etiam sanctissimarum virtutum, quas colet, hæreditatem accepturum sperant atq; confidunt. Et ex his ego vnus sum: vt qui Princeps à populo suo amatur & colitur: qui Ecclesijs pastores idoneos magnis stipendijs præficit:

ficit: qui scholas constituit: qui Sionem illum sanctum, Regium, inquam, montẽ gymnasium literarũ: academiam doctissimorum hominum tam liberaliter ornat: qui tot hominum filios alimentis literarum enutrit: eius credo atq; confido filium illustrissimæ spei adolescentem Albertum Fridericum Deo curæ esse, vt patri superstes maneat: & paternis vestigiis insistat: & suis virtutibus patris memoriam intermori non patiatur. Sæpe magnas & præclaras virtutes, minora facta comprobant. Mihi certè hæc adolescentum commendatio, quæ ad nos missa est: vt nobis illi curæ sint, quos suprà posui: pro indicio est: earum virtutum, quas Ioachimus Camerarius, & Georgius Sabinus in libris suis tribuunt: & nos eo loco & hos adolescentes, & cæteros, qui ex Prussia venient, habituri sumus: quo liberos & pignora nostra: si adhuc idonei esse videbimur: nostraq; disciplina & nostra docendi ratio apta talibus habebitur ingenijs. Quę autem via in nostris scholis, & quæ ratio instituta sit erudiendi pueros: & exercendi hanc ætatem: aliquot epistolis exposui, quas ad te Princeps clarissime mitto: Primùm, vt sese tuæ authoritatis atq; amplitudinis patrocinio contra iniquos, si quos habituræ sunt, tueantur. Deinde, vt, si hæc ratio placeat: Regijmontis academia habeat: vel quo vtatur, si placebit: vel cuius nos cõmoneat, si improbabit. Cupio enim mea studia, & meos labores alijs prodesse hominibus: non solùm Argentinensibus placere. Et valde lætor hac ætate mea, quæ à sexagesimo propè abest: quoties audio, scholas vel emendari, vel constitui. Itaq; fama Regijmontis annos iam multos me recreat: & Rostochiana acade-

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

mia, vt laudes maximi Principis Ducis Ioannis Alberti Megalopolensis generi celebrat: ita me sæpenumero delectat: et quia hunc Ducem propter literas & doctrinam, & singularem virtutem amo: & quia propagari opto literarum studia non solùm locis & regionibus: verùm etiam temporibus & ætatibus perpetuis humani generis. Hæc etiam à pontificijs fieri mihi gratum & iucundum est: & laudo Augustanum Cardinalem, quòd Iesuitarum collegium maximis, vt mihi videtur, impensis atq; sumtibus instituit. Idem audio Archiepiscopos Moguntinensem & Treuerensem facere. Beatos viros, si doctrinã Euangelij sanam & incorruptam permitterent. Rectè enim distributæ sunt facultates Ecclesiarum, cùm ad vtilitatem & necessitatem: tùm etiam ad authoritatem atq; dignitatẽ. Nam Princípes Episcopi suas non solùm opes, verùm etiam facultates copiosas habent. Canonicorum etiam collegia omnia singulis suppeditant: quæ ad vitam & ad existimationem pertinent: & cæteri sacerdotes & administri sua habent præclara stipendia: & nusquam non sunt nosodochea & xenodochea: hæc omnia illis, si doctrinam bonam defendant, iure bono debentur: & possent retinere authoritatem, & dignitatem absq; inuidia maiorem & firmiorem & diuturniorem, quàm iam habent: quæ quotidie magis atq; magis debilitatur. Et metropolitanos & patriarchas quis nõ laudet? sed dum vnum hominem defendunt: dignitatis suæ pericula sibi faciessunt: & Pontificis malũt atq; Episcopi Romani: quàm Cæsaris & Imperij clientes esse: & Romani Pontificis potius iurati administri esse: quàm in Imperio liberi Principes. Sunt multis & insignibus

virtutibus

virtutibus præditi: quos noui: & laudo, & lætor, propter virtutes: sed doleo propter easdem virtutes: has omnes virtutes hoc iurisiurandi & religionis errore suos non posse fructus profundere. Veruntamen recreant me hæc instituta: non minus, quàm Bembus & Sadoletus, dum viuerent, recreabãt: sed nostrorum magistratuum scholis magis reficior: & Neuburgo ex Bauaria rediens: Tubingæ coædificata collegio pauperum domus mirabiliter me exhilarabat. Centum & amplius opinor, alit delectos adolescẽtes optimus Princeps: legibus bonis, bonoq; moderatore Samuele Heylando: cubicula & hypocausta cõiuncta bini aut quaterni habent, amplitudine & aëre salubria: & fabrica eleganti, iucunda: perpetuũ monumentũ maximi Principis. Sed longius digredior: redeo ad adolescẽtes vestros: qui eo loco apud nos erunt: si reuertãtur: & alij, qui istinc venient, oẽs eo lõco erũt: quo apud ipsos parẽtes atq; amicos: amoris, fidei, curæ & solicitudinis. Verùm, quoniam vsus nos docuit: iuuenes, vt ex remotissimis locis adueniũt: ita minus obtemperare legibus: & eos inprimis, qui paululum ætate progressi sunt: minores natu plus ad doctrinam proficiunt: & regionum interualla principum & magistratuũ commendatione atq; voluntate minus nocent: si testimoniorum accedet necessitudo: quæ non annua esse debet: sed trimestris: non enim locorum solùm interualla: verùm etiam tẽporum spacia negligentiam pariunt: & disciplinæ fastidium gignunt: & verecundiæ modestiæq; limites, & parentum atq; propinquorum voluntates nõ respiciunt. Oculorũ enim & auriũ, quàm animi & mentis sensus, in disciplinæ & legũ reuerentia sunt acriores.

Gladium

Gladium districtum, quàm in vagina conditum, magis extimescimus: & biduum in prouisione mortis magis percellit miseros mortales: quàm, quæ multis annis expectatur. Atq; idcirco senex sanus, quàm adolescens ægrotus sæpe Deum minus metuit. Quò sæpius adolescenti testimonium à præceptoribus postulandum est: eò diligentius cogitat, quantum malit negligentia, & vita dissoluta: & quantum boni, vita frugi & diligens pariat: ad vtilitatem, ad læticiam, ad dignitatem. Deus, Princeps illustrissime, tibi det populum obedientem & frugi: iuuentutem diligentem & eruditam. Filium verò patris optatis, & bonorum virorum votis, & omnium spei atq; expectationi respõdentem, custodiat, defendat, amplificet: & matrem vnà cum parente sanam, & incolumem: fortunatam & prosperam deinceps annos plurimos tueatur. Argentorati III. Calend. Aprilis, Anno M. D. LXV.

AD NOBILES ATQVE PRÆCLAROS VIROS HENRICVM MVLHEMIVM: *Carolum Miegium: Fridericum Goteshemium: Scholarchas, Prætorios, Consulares, Tredecemuirales viros, Joannis Sturmij præfatio.*

IESVITARVM NOVVM ET recens nomen est: & hominis acuti callidum inuentum: ad colligendas multorum hominum & ciuitatum & populorum; Imperatorũ etiam & Regum gra-

gum gratias. Et is, qui excogitauit: Pontificis, qui tum viuebat, sibi beneuolentiam conciliare voluit: & sibi ad dignitatem maiorem atq; ad pontificatum, quem assecutus tandem est, viam hoc nouo monachorum collegio patefacere: cuius ipse, cùm in minoribus adhuc Ecclesiæ gradibus hæreret, se authorem & præfectum profitebatur. Sed tamẽ præ cæteris monachorum familijs: si laudandæ essent: istud laudem merentur. Nam quod neq; bonus & pius Ioannes Capnion Phorcensis: neq; disertus atq; literatus Erasmus Roterodamus: neq; ante hos duos Alexander Hegius & Rodolphus Agricola à theologis atq; monachis obtinere potuerunt: vt bonas literas si non colere vellent: at doceri sinerent: hoc isti sua sponte susceperũt: & linguas docent: & Dialectices præcepta tradunt: & dicendi rationem, quoad possunt, suis explicant discipulis: qua ratione id assequuntur: vt, quò rariores illæ scholæ, quas academias vocamus, quàm istæ, sunt: quę in omnes sese vrbes insinuant: eò plurium mortalium gratiam atq; fauorem comparent. Lætor ego hoc instituto duabus de causis: quarum vna est, quòd nos iuuant: & bonas literas colunt: quarum nos perstudiosi & percupidi sumus. Vidi enim, quos scriptores explicent: & quas habeant exercitationes: & quam rationem in docendo teneant: quæ à nostris præceptis institutisq; vsq; adeò proximè abest: vt à nostris fontibus deriuata esse videatur. Itaq; non magis nobis & nostræ religioni obfuturi sunt: quàm Bembus, Sadoletus, Contarenus, Polus, alĩq; multi docti sanè homines, minimeq; mali viri: quorum amici non pauci atq; etiam discipuli in nostris visi castris sunt: ab illis

armati non in nos, quos defenderunt, sed in idolatriam, quam nobiscum fortiter oppugnarunt. Altera causa est: quòd cogunt nos maius suscipere studium & vigilantiam: ne illi, quàm nos, diligentiores esse videantur: & plures eruditos atq; literatos efficere, quàm nos efficiamus. Tribus in locis sunt in Bauaria & Sueuia vicina gymnasia: duo Ingolstadij, veteris academiæ, & Iesuitani collegij: Lauingæ nostræ religionis: & Dillingæ Iesuitarum. Cupio in his æmulationem excitari: & eodem contendere: ad doctrinæ & eloquentiæ artem: sed certè Lauinganæ scholæ causam defendent meliorem: & si rationem hac hyeme institutam in exercendis adolescentibus persequantur: nō se sinent à Iesuitis superari. Est enim Lauingana eadem cum nostra ratio atq; via: quam ego ante annos viginti octo à me institutam iam explano, vt simplex sit & directa: absq; asperitate: absq; locis auijs: absq; vllis salebris: ne speciosos quidem labyrinthos admisi: qui cursum studiorum impedire possint. Hunc ego laborem tribus de causis suscepi: quarum vnam mihi Petrus Sturmius Iacobi Sturmij frater, quem memoriæ & honoris causa nomino, Scholarcha: anno ante mortem suam præbuit. Nam cùm in quodam dolore meo consolaretur me: cùm me obtemperare suo consilio videret: rogauit, vt, quoniam author gymnasii nostri Senatui essem: non constituti (nam sua sponte eò Senatus properabat) sed hac ratione instituti: vt, quod benè à me institutum esset: perficerem, si quid mihi deesse videretur. Altera causa est senatus nostri beneuolentia & constantia in hoc instituto retinendo: & benè merendo non solùm de suis ciuibus:

ciuibus: verùm etiam exteris populis atq; nationibus. Postrema, fama scholarum nostrarum: quæ si in annum iam propè trigesimum floret: nullum mihi dubium est: quin se sit ipsa posthac superatura: & profusura fructus longè meliores atq; vberiores: quàm vsq; ad hoc tempus mortales senserint: si hanc, quam nunc ingressi sumus, viam persequamur. Quamobrem & propter Petri Sturmij petitionem: & Senatus voluntatem: & vrbis nobilitatem, quæ fama Academiæ nostræ amplificatur: feci, quod me nunc videtis facere: & viginti epistolis classes rursus distribui: officia descripsi: exercitationes instituí: docendi rationem talem patefeci: quæ mihi proximè ad Latinorũ atq; Græcorum, si non facultatem, at certè facilitatẽ & consuetudinem videtur accedere: non modò magno emolumento: verùm etiam præclara laude Senatus & Reipublicæ nostræ. Nam cùm magnas eleemosynas quotidie ciuitas nostra exerceat in xenodocheo, ptochodocheo, nosodocheo: in ciuibus alendis: & domo Marciana: tamen nescio quomodo scholarũ nostrarum gloria DEO gratior esse videatur: & fructus proferat longè salubriores atq; suauiores doctrinæ atq; religionis. Ac facultates certè Ecclesiasticæ hoc potissimùm nomine comparatæ sunt: & cùm tria sint furtorum genera: vnum in rebus priuatis: alterum in ærario senatus: tertiũ in bonis Ecclesiæ: quantò peculatus furto tetrius maleficium semper habitum est: tantò horribilius est scelus sacrilegium, quàm peculatus: & tantò sacrilegus, quàm peculator, est detestabilior. Romani furtum quadruplo mulctarunt: peculatorem rebus repetitis atq; restitutis in exilium eie-

cerunt: at ſacrilegi ſemper Deo pœnas dederũt. Deus etiam, dæmoniorum delubra qui ſpoliarent: de ijs grauiſsima ſumſit ſupplicia: nullum vnquam ſacrilegium impunitum prætermiſit: ſi hiſtoricorum monumẽta vera prodiderunt de harum rerum memoria. Romani parricidam iudicarunt, qui ſacrum ſacróue commendatum clepſerat aut rapſerat. Adeo antiqua lex illa fuit: vt verba legis Ciceronis ætate in vſu eſſe deſierint: cùm vis atq; authoritas legis in memoria hæreret bonorum ciuium. Ego certè magnam ſæpè voluptatem capio: cogitans, quòd hæc Reſpublica omnium acceptorum & expenſorum queat rationem reddere: neq; in hoc genere bonorum manus parricidio inquinatas habeat.

Ergo adhuc integræ facultates ſunt collegij Thomani: neq; à nobis, qui eas adminiſtramus: & legibus veteris Eccleſiæ in locum demortuorum ſucceſsimus: minuuntur, ſed augentur: & ex illis tantum pro parte noſtra ſuppeditamus: vt neq; templis concionatores, neq; ſcholis magiſtri literarum queant deſieri. Prouiſum etiam ſic ratione eſt: vt ne quæſtor quidem vel auarus, vel callidus, vel improbus aliquid queat de commodis collegij, vel tabularum & literarum: vel pecuniarum & agri ſubtrahere. Et quoniam ego huic etiam collegio præpoſitus ſum: primùm ego veſtro iſtud patrocinio commendo: vt à vi atq; iniuria nobiſcum velitis defendere: & iſtud literarum & religionis ærarium contra barbariem tueri. Deinde, vt hoc inſtitutum immutari non patiamini mortuo me: quod annos iam viginti octo & amplius magnas commoditates attulit; templis, ſcholis, cancellis conſiliorum: in

ciuitatibus,

ciuitatibus, in aulis regum, in legationibus, in comi-
tijs: in ijs locis, in quibus adhuc viuunt eruditi & ex-
perientes viri: in nostro informati gymnasio: & hanc
rationem retinebitis, si meum consilium sequemini:
neq; libros atq; scriptores commutari sinatis, si illa
mala depellere vultis: quæ à barbarie & indocta do-
ctrina solent procreari. Postremò, si præceptores of-
ficium suum facient: dum facient, egere non patia-
mini: etiam liberis eorum prouidete, ne parentum fi-
des atq; diligentia, quam in hoc munere præstant: li-
beros relinquat in egestate: & quoniam Seuenus ita
in hoc officio demortuus est: & curiæ primæ multis
annis præfectus ita fuit, vt nemo illo iudicatus fuerit
diligentior & doctior: cuius laudis multos præclaros
viros discipulos suos testes habet: commendo vestræ
benignitati liberorum eius causam: quorum ego tu-
tor sum: & quos ego æquè ac si liberi mei essent, mea
fide defendere debeo. Itaq; ego patris officium facere
illis debeo: sed vestrum tanquam auorũ & pro-
auorum peto & postulo auxilium.

):( ):( ):(



IOANNES STVRMIVS
ABRAHAMO FEISIO PRAEFECTO decimæ curiæ.

QVOD AGRICOLAE FACERE solent: vt arbores, quas ipsi plantarunt: aut in quas ipsi stirpes inseruerunt: maiore studio educēt posteris suis: quam eas, quas à suis acceperunt parentibus: idem magister bonus facere debet in Scholarum nostrarū tribu infima: cui tu, Abrahame, præfectus es: vt plantas & stirpes suas esse statuat discipulos suos: non ex alterius ludo acceptas aut emendatas: sed quasi nouellas radices: nullius manu adhuc mansuefactas: quarum enutritio gratissimam memoriam & vberrimos fructus relinquat suis possessoribus.

Accipis, mi Feisi, à parentibus adolescentulos propè infantes pueros: rudes adhuc non solùm à doctrina: verùm etiam à moribus: vt & disciplinam virtutum â te primam accipiant: & doctrinam artium atq; disciplinarum adipiscantur: quarum tu in hac ætate prima ponis fundamenta. Iuuentutis enim & senectutis, totiusq; insequentis vitæ fundamentum virtutis atq; doctrinæ puericia & adolescentia est, quod his constat quasi partibus officij: tui, in docendo: & illorum, in discendo: vt literarum formas cognoscant: non partitione aut definitione acuta vel obscura: sed oculorum & sensuum indicatione, vocis pronunciatione, linguæ flexibilitate. Remouendum enim à primis annis, quicquid cognitione obscurum &

Cognitio singularū literarū.

rum & difficile est. Vt lacte & cibo, ita etiam doctrina delectantur & enutriri volunt facili teneri ventriculi.

Huic literarum singularum obseruationi ipsa lectio & pronunciatio orationis scriptæ comuncta est: nullo propè interuallo. Sed magis mihi placet, & priuatim expertus sum: satius esse ab inflexionibus nominum & verborum facere principium: quàm à partibus Catechesis: Primum, quia non est necessarium, Catechesin proponere latinam, si Germanicam teneant. Psittaci carmen est, non hominis: sermo Latinus aut Græcus ab eo, qui loquitur, non intellectus. Benè appellat Deum, qui materna voce appellat benè. Lectio & pronunciatio. Catechesis.

Itaq; quod domi de Catechesi didicerunt: curandũ est, vt eius non obliuiscantur: quod desit, id & domi à parentibus, & in scholis abs te addatur: ijs horis, quæ huic disciplinæ sunt constitutæ.

Ad nominum & verborum inflexiones puer ducendus est: simulac notas literarum cognouerit. Dum enim idem vocabulum casibus & personis commutatur: dum primæ syllabæ retinentur: postremæ variantur non temerè, sed arte: duo commoda assequitur magister: vt adolescentulus nullo fastidio adipiscatur legendi facultatem: & id mandet memoriæ, quod discere est necessarium: & sine quo consistere non potest doctrinæ coædificatio. Diximus enim, in tua curia tanquam in soli callo fundamenta literarum esse iacienda: & tribum tuam veluti seminarium esse pulcherrimarum arborum: quas tu aliquando non in hortis & pomarijs radicibus in terra fixis stare videbis: sed in foro & curia: in aulis regum versari: & vberrimos ex sese fructus consiliorum producere. Incredibile Inflexiones nominũ & verborum.

credibile est, quàm benè fundata sit memoria in homine studioso acceptorũ beneficiorũ hisce primis vitæ annis.

Matris meæ Gertrudis: & patris Wilhelmi Sturmy: & aui paterni Iacobi Sturmÿ: & materni aui Conradi Hulsani: & auiæ, vxoris illius, Euæ: illiusq; matris, proauiæ meæ: quas omnes vidi & memini: gratissima mihi atq; suauissima memoria est: sed certè neq; ingrata neq; insuauis recordatio Ioannis Neoburgÿ primi præceptoris mei: & Iacobi Blomedalÿ & Antonÿ Dalberi, & Gerardi Episcopÿ: quos omnes in patria audiui: & ita amo, vt illorum liberis atq; nepotibus gratificari me posse mihi esset gratissimum. Arnoldum verò Einatensem, quem Leodÿ audiui in collegio Hieronymiano: ita amaui: vt adhuc mihi in visceribus atq; medullis hæreat. Quanta laus Socratis: quòd Platonem habuit discipulũ? quanta Platonis, quòd Aristotelem? sed hi fortassis literati: antequam ad Socratem adducti essent: at credibile est, non illis minus fuisse primos magistros charos: quàm nobis nostros esse sentimus.

De his te monere mihi visum est, Abrahame: vt dum in hac curia officium diligentis magistri facis: non te pœniteat virtutis tuæ: cuius etiam ego & qui mecum scholis præpositi sunt: rationem habituri sumus. Vale. Argentorati quarto Calendas Martias.

IOANNES STVRMIVS HENRICO SCHIRNERO NONÆ CURIÆ PRÆPOSITO.

MItto ad te, Henrice, epistolam, quam hodie Abrahamo scripsi: propterea quòd idem te velim animaduertere,

maduertere, quod illum volo considerare. Non enim longo interuallo tui discipuli antecedunt: antecedunt tamen: sed hos habent proximos. Abrahamus inchoat inflectendi nomina & verba facultatem: tu auges atq; cõfirmas: ille certa: tu omnia casibus atq; temporibus varias. Ille tibi adhuc balbutientes & hæsitantes mittit: tu habitudinem firmam in illis absoluis: vt nihil illis sit inflexibile: præter ea, quæ flexibilia suapte natura nõ sunt.

Vocabulorũ copia.

Sed præter hoc tuum inflectendi officium: illud alterum tibi etiam atq; etiam diligenter faciẽdum est: vt copiam sibi atq; facultatem vocabulorum comparent: rerũ earũ omnium: quæ in quotidiano versantur vsu: quæ sensibus hominum sunt explicatæ. Nihil videatur in corpore hominis: nihil in pecudibus: nihil sit in culina: in cella vinaria: in cella frumentaria: ad cœnam quotidianam nihil adferatur: nihil in hortis conspiciatur herbarum, fruticum, arborum: nihil in scholis sit vsurpatum: nihil in bibliotheca: nihil in templis frequentatum: nihil in cœlo sensus quotidie hominum moueat: quod pueri tui, quoad eius fieri poterit, nõ queãt latino nominare nomine.

Interrogãdi & respondendi ratio.

Quomodo id fieri debeat, ex me didicisti. Sit omniũ silentium: vnus sit, qui tibi respondebit: & hic respondeat tibi voce contenta & clara, vt ab omnibus audiatur: etiam tuam tu intendes: vt exaudiaris: & tu interroga: & ille respondeat: ex loco remotiore: non solùm, vt intelligant cæteri, quid rogatum sit: & quid referatur: sed etiam, vt eandem rem sæpe repetitam recognoscant. Vitium magistrorum maximum est: ad aures illius, qui rogatur, stare.

Numeuersa:

Singulis quotidie singula propones vocabula: sed di-

rus quotidianus vocabulorum.

uersa: verùm sub eodem genere rerum posita. Non necessarium est: vnum omnia scire eodem die: sed vniuersi omnia habeant: singuli sua sciant singula. Vt enim merciũ & pecuniarum inter ciues: ita verborum & nominum sit in scholis commutatio. Id assequemur, si tu roges: ita vt me rogare vidisti: si ipsi adolescentuli sese interrogent: si συσοιχίαι à te fiant: quales à me fieri sensisti: si crebrò quæ tradita sunt, reuocentur ad memoriam, præsertim difficiliora: si genus cum suis formis in medium prodeat: si totum partes suas omnes habeat pedissequas: si in ludo exiguo propè totus mundus constituatur. Nam si Cosmographi terrarum situs, & vrbes, & montes, & syluas, & maria, & flumina, & lacus, animantia etiam permulta vna in tabula dilucidè complecti possunt: si istud faciunt in singulis: cur istud nos non faciamus in vniuersis: in generibus, generumq; formis? Mediocri arte opus est: labor etiam mediocris requiritur: & vnius anni labor propè omnia cõquirit: quæ in reliquas ætates sunt profutura.

Fuit hæc ratio à me indicata ante annos viginti septem: sed, vt video, non intellecta: nunc verò & intelligi illam volo: & tradi: & exerceri: & in scholis: si meũ consilium sequantur homines, retineri. Quam causam esse putamus: quamobrem Romani & Græci adolescentuli quàm celerrimè dicendi facultatem assequebantur? Domi propè in cunis ad matrum papillas lallare condocefiebant: balbutientes, dum ætas tulit, ferebant nutrices: crescentibus viribus corrigebant: vocabula suggerebant domestici: ijdem colludebant: non solùm, vt recrearent: sed etiam instruerent sermonis Latini facultate.

Iuuit hanc commoditatem quotidiana consuetudo æqualium:

qualium: quorum ludi & sermones: & res adfcrebant nouas, domi non cognitas, & earum rerum vocabula. Hac facultate destituta est nostra ætas, & iuuentus nostra. Nō parentes: non domestici: non familiares: non ciues: non magistratus sunt, qui latinè loquantur. Istud publicum & commune malum, magistrorū corrigendum industria: atq; hac ratione, quam nunc institui: quam si assequar in hac curia tua: & in hac ætate apud pueros annorū septem: nō dubium est, quin superiorum curiarum præfecti eadem & longè maiora sint assecuturi: quæ ab ipsis etiam requiram: & in illis classibus sunt necessaria.

Quod ab Abrahamo: idē à te peto, vt ne te pigeat neq; pudeat huius officij: quod non æstimabis tua doctrina: sed vtilitate publica: cuius viros bonos decet esse studiosos. Fateor sanè, in superioribus te curijs vtilem & idoneū esse posse: & aliquando ex illis tibi aliqua committetur: breui fortassis: sed nunc in hac arena te pugile habemus opus cō-tra barbaros gladiatores: qui latini sermonis puritatē propter negligentiam corrumpunt: & propter inuidiam non patiuntur efflorescere. Efflorescit autē in hac ætate, cui tu præpositus es: & matureſcit in superioribus gradibus: & fructus edit vberrimos in foro & iudicio: in magistratu & curia: in tēplis & Ecclesijs Christi: in omnibus locis Reipub. Christianæ. Vale. Argentorati 4. Cal. Martias.

IOANNES STVRMIVS MATthiæ Huebnero octauæ curiæ Magistro.

Quod tuum sit officium: quæ te pueros tuos docere oporteat: & qua ratione ea, quæ docebis, tradere deceat:

re deceat: ex libro, quem de literarum ludis ante annos viginti septẽ scripsi: per te, mi Matthia, potes intelligere. Confeci etiam hisce diebus librum de Scholis Lauinganis: qui te etiam adiuuare poterit. Eandem enim rationem: quam de principio institui: retinendam in huiusmodi siue gymnasijs siue academijs arbitror. Non enim meliorem inuenire possum: neque, vt ego puto, melior inueniri poterit: si rectè intelligatur: & idoneos sit assecuta magistros: quos adhuc paucos habuit. Itaque ego hisce proximis diebus superioribus adesse cœpi Henrico Schirnero, nonæ curiæ moderatori: & per omnes classes progredi cogito: vt non solùm scriptor, sed etiam actor esse videar: & eorum nihil omittamus: quæ in natura posita sunt: & suscepta atque elaborata à Græcis & Latinis philosophis atq; rhetoribus: & quæ nostris & literatis hominibus probari poterunt: & accommodata sunt ad recuperandam quam amisimus: veterum Græcorum & Romanorum docendi, declamandi, disputandi, scribendi, dicendi facultatem. Sed hæc ad primos nostrarum scholarum gradus pertinent: ego verò adhuc vobiscum in imis hæreo: qui tamen tales sunt, vt ad illos summos peruenire atq; aspirare cum nostris adolescẽtulis non possimus: nisi ab his fiat principium: & nisi nos ad illos superiores viam patefaciamus: qua in re itidem ego te, vt Henricum, adiuuabo: non solùm consilio, sed etiam labore: sed ita, vt meum studiũ tua leuetur industria.

Primùm igitur omnium tibi maximopere etiam atq; etiam prouidendum est: vt eorum, quæ pueri in curia nona didicerunt: ex animis illorum non discedat memoria: quæ cuiusmodi sint: in libris exemplorum & in diarijs videre est. Hos libros deponere de manibus non patieris: seuerè

in illum

in illum animaduertens: quicunq; in his conseruandis sit negligens: hi sunt testes diligentiæ: hi custodes memoriæ: hi, quid adepti sint pueri sua industria & magistri diligentia, indicant: hi præmonstrant, quid deinceps porrò addi debeat. Quod hîc tibi præcipio: idem reliquos magistros superiores facere iubeo: vt hos libros & has ephemerides tanquam perpetuum Vestalem ignem extingui non sinant.

Puer, qui ad te ascendit ex loco inferiore: eum exempla omnium inflexionum tenere oportet: & inflectere nomina & verba omnia poterit: sed hanc facultatem magis consuetudine & exercitatione: quàm ratione artis adipiscitur: vt Romæ pueri latini: & Athenis Græci adolescẽtuli: prius loqui didicerunt: à parentibus & cognatis & amicis & familiaribus: quàm ex grammaticis: quamobrem ita loquendum sit, vt loquebantur, didicissent.

Habere etiam hunc oportet singulorum, binorum, ternorum, quaternorum membrorum omne genus comprehensionum: quas Græci περιόδους nominant: in quibus sententiæ comprehensæ sint: quæ ad vtilitatem aliquam vitæ: & ad mores atq; disciplinam pertinent. Sed quoniam huiusmodi comprehensiones non esse tam multæ possunt: vt quotidianarum rerum complectantur verba omnia atque nomina: congestam oportet puerum habere copiam in hisce rebus vocabulorum: distinctam generibus & formis: integris & partibus: societatibus, inimicitijs: proprijs notis: diuersis signis, caussis, effectis. quæ omnia cuiusmodi sint, fortassis non videbit, nisi procul: memoria tamen & vsu erit assecutus: vt, quoties illis opus sit, in promtu ex sua penuaria cella habeat. Volumen periodorũ

Copia verborum.

Sed hæc copia atq; facultas in illa tribu & puerili populo summa esse non poterit: propter ætatem & rerũ multitudinem, & disciplinæ nouitatem: & temporis breuitatem: itaq; tibi addenda sunt: quæ illis defieri videbuntur. Illic didicerit, quid epistola sit: quid literæ: quid dare: quid accipere: quid reddere: apud te verò: quid literas dare: quid reddere epistolam: quid accipere, quæ amicus & necessarius scripserit. Illic nomina quamplurima habebit: verba etiam multa: sed tibi plura addẽda sunt: illic multa discet, sed singula, quæ tibi erunt coniungenda.

Periodorum volumẽ Ephemerides

Ergo ad hanc inchoatam copiam verborum: tu reliquam, quoad poteris, addes: & ad illas verborum comprehensiones: quas ab Henrico accepit: tu alias, quæ deesse videbuntur, accumulabis: vt ephemerides diariaq; crescant: & amplificetur vnà cum verborum multitudine memoria atq; cognitio.

Facultas inflectẽdi.

In omnibus illud Quintil. non consilium esse putato, sed præceptum: nomina declinare et verba imprimis pueri sciant. Nam tametsi istud ad Abrahamum atq; Henricũ pertineat: tamen horum est inchoare: tuum verò perficere. Verùm vt apud Mathematicos conclusiones τὸ διότι excellentiores habentur: quàm τὸ ὅτι: sic tuum officiũ maiorem pollicetur doctrinam. Quantum enim inter matrẽ patremq; & magistrum atq; grammaticum differentiæ est: tantum inter te & illos incipit esse discriminis. Tu enim omnem sermonis atq; orationis facultatem atq; varietatẽ octo complecteris partibus: tu singulis partibus suas attribuis definitiones atq; partitiones: tu declinationes nominum discernis: tu genera illorum distinguis: idem tu in verbis facis: similem rationem in cæteris sequeris orationis par-

Grammatica præcepta.

nis partibus. Hæc omnia assequeris, si necessaria deligas: superuacanea reijcias: si obscuritatē fugias: perspicuitatē adhibeas: si idoneis exemplis explices: si illa ex ijs sumas, quæ audiuerunt: si crebrò reuoces ad memoriam: & è memoria euelli non patiaris: si eam rationem in rogando atq; respondendo retineas: quæ Henrico mandata est. Modus docēdi.

Præter has partitiones atq; diuisiones: & inflexiones: & præter hæc grāmatica præcepta: & præter illa diaria: & volumē illud comprehensionū: Ciceronis delectas à me interpretaberis epistolas: in quibus ita properandū, vt necessaria non prætereantur: ita commorandū, vt nihil nisi necessarium exerceatur: & quemadmodum singulis pueris singula committimus, sed diuersa, eodem verò pertinentia vocabula: idem in his epistolis faciendum est: nō singulis pueris, sed singulis decurijs: aut in vna decuria bina proponenda epistolæ sunt: quas ad verbum interpretētur: quas tu illis resoluas: quarum vnumquodq; verbum ad sua artis grammaticæ loca queant reducere. Hoc enim modo, & res plures discere poterunt: & tu tuum, quod dicitur, poteris, quod à te exigimus, pensum soluere. Epistolæ Ciceronis. Modus pergēdi in epistolarū explicatione.

Stili exercitationem nondum abs te exigo: præsertim ex primis mensibus: officium facies: si loquendi modos: & sententiarum formulas integras generibus, casibus, modis, temporibus, personis, verbis nominibusq; vel diuersis: vel idem significantibus, vel eodem pertinentibus, cōmutes, & accommodes vsui & loquendi consuetudini quotidianæ: denig;, si loqui eos doceas: stilum tamen attentare posterioribus mensibus non inutile est: vt pueris concessum est: gladios gestare: è vagina educere: distringere: eò recondere: latert in vagina applicare: cum illo per forum am- Pro stilo formulæ sententiarum: & illarum μεταχηματισμοὶ. Stilus postremis mēsibus.

rum ambulare: vt ne omnino illum rudem superioris curiæ magister: tanquam bonus gladiator, accipiat. Sed de his coram: & quasi in re præsente: cùm ad tuam tribũ peruenero. Hoc verò tempore satis est: si, quæ in nona trado: ea ad te mittam: vt & hæc tui discant: & reliqua addamus: quæ in hac tua curia tibi tradenda & pueris sunt elaboranda. Vale. Argentorati Mense Martio.

IOANNES STVRMIVS THEOBALDO LINGELSEMIO SEPTIMÆ CURIÆ MODERATORI.

Quæ ex tribus inferioribus classibus ad septimã pueri apportent.

SI, quod spero: persequi potero curiarum, quas hisce diebus obire cœpi, institutionem: ad autumnales progressiones, Theobalde Lingelsemi: adolescentes tibi adducemus benè instructos atq; paratos ad declinandum verba & nomina: & ad respondendum: siue de partibus orationis rogare voles eos: & de illarum diuisione: siue de nominum declinationibus, generibus, casibus, numeris: siue de verborum coniugationibus, temporibus, modis, numeris: omniq; illorum varietate: siue ea quærere placebit: debes autem quærere, quæ tradi oportet à præceptoribus: & cognosci ab adolescentibus: quæ ad reliquas sermonis partes sunt necessaria. Instructi etiam erunt mediocri vocabulorum copia: eaq; digesta atq; partita: ita vt cognitionem secum verborum adferant accommodatã ad artium & disciplinarum diuisiones: & ad philosophiæ totius distributionem.

Post hanc institutionem trium magistrorum, tuum officium est, Lingelsemi: vt neq; horum obliuiscantur: sed confirmentur ista tua industria & exercitatione assidua: &

dua: & alia addas, quæ ad tuam tribum maximè pertinent: & tui cœtus propria sunt. In his locum vnum tenet orationis latinæ consecutio: quam Syntaxin Grammatici Græci nominant: hanc regulis velim esse non nimis numerosam, sed breuem: verbis claram: exemplis apertam: Latinis maximè, Ciceronis imprimis, vt est nostra, quam Theophilus Golius confecit. Harum regularum memoriam & vsum confirma ἀναλύσει quotidiana epistolarum Ciceronis: & illorum, quæ in volumine periodorum explicãtur: & renouatione eorum, quæ in classibus audiuerunt inferioribus. Syntaxis.

Vt progressus possis facere magnos in eo curriculo cõficiendo: cuius meta tibi in hoc stadio constituta est: propones singulis pueris singulas vel epistolas aut epistolæ partem, si sit prolixior: vel periodos singulas longiores: breuiores binas singulis propones interpretãdas ad verbũ. Modus tenẽdus in epistolis et periodorũ volumine.

Sed crebrò iteranda ista sunt: & commutandæ personæ vnà cum rebus, quas singulis commiseris: vt singuli pro vniuersis videantur respondisse primi: vniuersi verò eadem cognouisse omnia.

Istud quomodo fieri conueniat: ex his cognoscere poteris, quæ me audis in his inferioribus instituere decurijs: sed tu commodius facere poteris: posterioribus præsertim mensibus. Augescit enim facultas: augescente copia: crescente arte: exercitatione inualescente: & vsu assiduo: qui artem plerunq; superat.

Plinianũ est, multùm legendũ esse, non multa. Sed hìc ego velim multa abs te fieri: vt illud multùm assequaris.

Stilum hìc dare pueris in manum debes: & in hac curia nouus & adolescens pugil instituendus est stili disci- Stilus.

plina: qua in re facere tu debes, quod gladiatores solent: qui motu corporis & gestu: qui progressu: qui regressu: qui saltu: qui statu: qui petitione: qui depulsione non desistũt præire: antequam lanista discipulus idem facere incipiat. Idem Musici faciunt: & tantisper præcinunt: dum puer concinere simul: aut solus queat canere.

Propones igitur puero argumentum, quod ὑπόθεσις dicitur: rei, quæ fieri solet, fictum negociũ. Ea res nota sit: & aperta, gestione, personis, locis, temporibus. Sed non longa sit hæc hypothesis: & vel incisim vel membratim, principiò præcipuè, comprehendas atq; absoluas sententiam: paulatim ad δίκωλα & τρίκωλα & τετράκωλα veniendum est. In his tu rerum nominabis vocabula: eaq; conjunges, & formulam pones ob oculos: non voce solùm: verùm etiam scriptura in tabula: imò hypothesim abs te compositam voce præibis: semel, iterum, sæpius: vt illi, de quibus iam dictum est, gladiator atq; cantor: ita vt puer manu vtatur sua & stilo suo: sed magistri voce atq; beneficio. Istud quotidie faciendum est: aliquando etiam iterum atq; iterum quotidie: sed ita, vt nullũ existat fastidium. Nihil enim stilo fastidiosius est: & nostra ætate nihil in scholis magis nocuit adolescentibus: quàm, quòd magistros in prolixis argumẽtis non habuerũt adiutores: quorum vtrumq; perniciosum est: non adiuuari, & grauari onere. Hæc argumenta nõ solùm sumes ex his, quæ heri aut nudius tertius cognouerunt: sed reuocanda etiam, quæ in curijs audiuerunt inferioribus: inde repetenda nomina, verba, formulæ: nihil sat sæpe repetitur: quod nõ satis benè cognitum est: & notatum confirmatumq; memoria.

Habet etiam hæc ratio memoriæ renouandæ hanc vtilitatem:

litatem: quòd, quoniam pueri in tribus inferioribus ordinibus vocabula cognita attulerunt in tuam ciuitatẽ: distincta generibus atq; formis: poterunt in hac stili exercitatione & scribendi cõsuetudine: vna comprehensione verborũ res vnius generis omnes amplecti absq; molestia. Vt ad hanc terationẽ astringã: notabo tibi eam nomine Graecorum, qui ὑπόμνησιν eam vocant: quæ requirit eorum, quæ antè tradita & cognita sunt, ἐπανάληψιν: quam etiã ἀνακένωσιν in arte dicendi nominare solẽt. Habet enim quasi renouationẽ quandã memoriæ & rerũ cognitarum hæc repetitio atq; resumtio. Ergo Ephemerides adolescentũ ὑπομνήματα esse puta: sed tuum officiũ esse, quotidie ὑπομιμνήσκειν. ὑπόμνησις.

Ad stili etiam exercitationem pertinet, diebus festis, aut pridie festorum Catechesin ex patrio sermone in latinum traducere: ea facilitate: de qua iam dictum est: vt tu voce præeas: puer cogitatione atq; stilo sequatur. In hac parte illud tenebis: vt Latinis vtare verbis: & latinis sententiarum formis: nisi cum religio nostra propria habet vocabula: quæ propter Ecclesiæ authoritatẽ suam authoritatem habere debeant: vt non modò pura: sed etiam sacrosancta habeantur: vt Trinitas, vnitas, sacramenta, baptismus, cœna Domini: baptista: euangelista, apostolus: episcopus, diaconus, claues regni cœlorum: & cætera, quæ sunt huius generis: exornaritamẽ ista possunt ὁρισμοῖς, ἰσοδυναμίαις, ἐπιθέσεσιν: de quibus ego tecum coràm agam. Catechesis.

Vt hìc aliam Catechesin pueris proponas: quàm eam, quam didicerunt in gradibus humilioribus, minimè laudo. Qui enim istud faciunt: quid aliud faciunt: quàm, quòd tempus consumũt: meliora negligũt: & hanc ætatẽ superuacaneo labore vexant: & memoriam non augent:

sed distrahunt, magna molestia, nulla vtilitate?

Si hæc sequeris, Lingelsemi: officium facies magistri diligentis: & tametsi nobis probasti annis iam multis fidē & diligentiam tuam: tamē laudabo te magis atq; magis: si hanc rationem sequeris: & consilio nostro obtemperaueris. Vale. Argentorati Mense Martio.

IOANNES STVRMIVS MARTINO Malleolo sextæ curiæ moderatori.

A Mabote, mi Malleole: diligenter animaduerte primùm, quæ præcepta dederim inferiorum tribuum præfectis: vt eandem curam adhibeas, facilitatis, perspicuitatis, puritatis, copiæ: in docendo, interrogando, exercendo. Nam tametsi diuersa doceatis: eandem tamen viam vos ingredi atq; rationem sequi eandem necessariū est. Deinde illud etiam diligenter considera: quot quantasq; res discipuli ex inferioribus locis in hanc sextam curiam apportent: quæ omnia facilè intelliges: si, cùm probatio fiet, ante progressiones classium aderis: id quod necessarium est fieri. vt superior magister ex ludo inferiore adolescentes quasi è sua manu à probatoribus accipiat: suæ fidei atq; diligentiæ commissos atq; concreditos.

ὑπόμνησις. *Tertium verò in officio tuo est: videre atq; elaborare: vt quæ assecuti sunt, ea custodiant: authores, diaria, præcepta, vocabula: & ea, quoties occasio dabitur & vtile est, interrogando reducere ad memoriam: ea verò imprimis, quæ vel difficiliora esse videntur: vel quæ sunt necessaria: neq; satis sæpe repetuntur: quæ non satis benè retinentur. Illud præceptum, quod in re familiari traditum est:*

tum est: locum etiam in scholis nostris habeat: Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Post hæc tria, quæ in tuo officio sunt: quartũ sequitur: vt cogites, quæ tibi addenda sint: in quibus sunt epistolæ Ciceronis longiores: quas principiò singulas diuersi argumenti singulis propones decurys: quas ipsi interpretentur sermone patrio: deinde etiam plures singulis decurijs diuersis scriptas temporibus: & de rebus diuersis atq; varijs. Epistolæ Ciceronis.

Idem facies in carminum voluminibus: Videat primus decurio: cognoscat aut ex te: aut ex aliquo superiorum tribuum: aut à suo didicerit pædagogo, & ab horum aliquo adferat hymnum Ambrosij Episcopi: Carminum volumen.

Veni redemptor gentium:
Ostende partum virginis.

Proferat eodẽ modo secundus decurio epigrãma Martialis:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt.

Apportet tertius Horatianam Oden:

Rectius viues, Lycini, neq; altum.

Idem faciendum est in frequentia, cùm plures sunt decuriæ, vt in curia tua. Hi tibi primùm interpretẽtur: & tibi de omnibus respondeant: idem ipsi à cõtubernalibus exigant: voce clara, vt reliquæ decuriæ exaudiant. Idem in volumine exemplorum facies: siue interpretanda illa sint: siue dissoluenda: siue mandanda memoriæ. Volumẽ exẽplorum

In vocabulis accumulandis ignauum, singulis singula aut bina proponere: singuli suas partitiones vnius loci & generis expediant: in rebus cœlestibus: in elementis: in re domestica & familiari: in re bellica & militari: in cella Vocabula.

vinaria: in frumentaria: in culina: in senatu & curia: in foro & iudicio. Sed non totas partitiones necesse est persequi: aliqua relinquenda sunt altioribus gradibus: ea deligenda sunt, quæ huic loco & huic ætati congruunt.

Stilus. *Stilum scis dicendi opificem, artificem, atq; magistrũ esse: hunc in eo loco incipies expolire: vbi Lingelsemius exercere ipsum desijt. Eadem etiam illud facies ratione: sed hypotheses poterunt esse longiusculæ: verunt amen non multis membris: minus multis periodis: sint tamen hæ cõprehensiones confertæ rerum verbis, quæ vnius sunt generis: non omnis: nam id fieri non potest: & quæ varietatem vel requirunt vel patiuntur: sit tamen stilus atticus: puritate, acumine, perspicuitate.*

Catechesis. *Catechesin latinè extremo hebdomadis die & festo die psequeris: sũt etiã Hieronymi quædã epistolæ, vtiles propter religionẽ, elegantiã, doctrinã: quas Euangelicæ amãt feriæ.*

Hæc suscipito: hæc facito: & propter hanc tuam industriam, fidem, diligentiam erga tuos discipulos, meam erga te beneuolentiam, amorẽ & studiũ tibi poteris promittere, & à me exigere, vt persoluã. Vale. Argentorati.

IOANNES STVRMIVS IONÆ
Bitnero præceptori quintæ curiæ.

QVoniam vsq; ad tuam curiam inde vsq; ab extrema in classibus obeundis hoc tempore, Iona Bitnere, peruenimus: & id assecuti sumus in illiusce ætatis adolescentulis: quod volebamus: quæ reliqua erunt, si non adipiscamur: necesse erit: aut me vobis, aut vos mihi defore in nostris persoluendis officijs.

Adducimus

Adducimus enim ad te adolescentes impuberes: præceptis grammaticis linguæ latinæ benè exercitatos. Earũ rerum, quæ in cœlo & aëre videntur: quas aquæ nobis quotidie proferunt: quas terra largitur: quæ in hortis colũitur: quæ in templis docentur: quæ in homine animaduertuntur: quæ in bestijs notantur ab omnibus hominibus: quæ in curia & foro agitantur: quæ in contractibus hominum versantur: quæ locis, temporibus, ætatibus, sexu, vitæ professione distinctæ sunt: & harum rerum actiones: harum rerum omnium nihil est: quod non latino debent nominare nomine: & verbo explicare latino: de rebus loquor quotidianis: quas quisq; patria lingua in classes attulit: aut adolescente ætate atq; crescentibus annis didicit. Has res mediocriter in curijs inferioribus si assequantur: cognitis formis inflexionum: quid deinceps metuendum sit, nõ video: si desit inertia: & ignauia non officiat.

Sed quid ego hæc ad te? cuius voluntatem, industriam, studium, curam, fidem perspectam habeo: aut quid hæc ad alios: in quibus eadem ista omnia agnosco? Sed ad omnes nos pertinet, scire, quid in vnaquaq; discãt curia pueri: & quæ cuiusq; curiæ sit docendi ratio: quæ decuriarum exercitationes: & quantum ad suam curiam pueri primùm vniuersi: deinde singuli adferant: aut adferre debeant: & quæ sint illæ res, quas quisq; in sua tribu addere debet. Multa enim ad vos superiores reiecta sunt: & ea necesse fuit reijcere: & in tua tribu statim proponentur ignotæ res, & ignota rerum vocabula. Nondum enim quicquam de arte poëtarum audiuerunt. Hic tu illis audebis hanc artem aperire: & syllabarum ostendere longa, breuia, communia tempora: numerorum & pedum ostendere genera: Poëtica.

versuum &

versuum & carminum discrimina: & illorum omnium exempla ob oculos ponere. Græcas etiam illis proferes verborum complexiones de virtutibus & vitijs: de moribus & vita hominum: de rebus publicis. Eclogæ Virgilianæ, vtiles huic tuo choro, cognoscēdæ: & quæ fuerint poëtarum nouem deæ: quæ Gratiæ: quæ Parcæ: quid Naiades: quid Hamadryades: quid Parnassus: quid mons Helicon: & in his fontibus ne te pæniteat Ciceronis Catonē aut Lælium recitare: amant enim Musæ huiusmodi auditores: & tradunt in sese mutuas operas oratores atq; poëtæ: & ab vtrisq; philosophi atq; historici adiuuantur.

Volumē græcum.

Cicero de Senectute & Amicitia.

Et poteris hæc coniungere: nam primam illam Græcæ linguæ institutionem ad te ex sexto ordine adferēt: quod opus Grammaticum tibi exædificandum est. Inspiciendæ tibi sunt diligenter non solùm in hoc principio noui instituti: verùm etiam insequentibus posthac annis: puerorum ephemerides atq; rerum quotidianarum codices recognoscendi: vt & earum rerum instituas ὑπομνήσεις: & ea addas: quæ nondum assequi poterant: propter ætatem, & inopiam præceptorum. Singuli tibi pueri hîc singulos absoluant locos: in quibus latent rerum ὁμοφώνων & συγγενῶν vocabula: ordine non solùm doctrinarum, verùm etiam naturæ retento. Ordinem ita instituere poteris in explicandis scriptoribus: vt quotidie vnam abs te Virgilij Eclogam bene intellectam domum referant. Idem faciendū est in volumine comprehensionum. In memoria exercēda non vnum omnes meminisse & recitare debent: sed vniuersi omnia, quæ vnius diei sunt pensa. Sed hîc properandū, quoad licet, vicibus atq; officijs in respondendo sæpè mutatis: sæpè etiam interuallo interposito: & intermissione facta ad

Grammatica græca.

Ephemerides

Ordo et modus progrediēdi in authoribus.

facta ad easdem res, quas antè didicerunt, recurrendū est.

Quod de Græco volumine monui: idem de volumine poëtico sentio: in quo versus sunt omnis generis: & exempla multarum rerum: quæ in carminibus conficiendis exercenda sunt imitatione. Volumē poëticum.

Stilum eò magis hìc exercere debes & acuere: & polire: quò pluribus, quàm in gradibus inferioribus, abundabunt verbis & præceptis & exemplis. Sed hic in versibus faciendis inchoandus est posterioribus anni mensibus: non argumentis propositis: sed poëtarum solutis versibus: vt neq; sententiarum inuentione sit opus, neq; verborum delectu, sed solùm collocatione. Quanquam non incommodum est etiam poëtica verba commutare aliquando cum oratoriis aut historicis: quæ ratio μεταφρασικὴ est: vt iudiciū facias de adolescentis industria: & ipse adolescens animaduertat, quid orator à poëta differat. Oratoris locum aliquem Germanicè interpretari, vt subitò latinum in ipsis scholis faciant: facultatem dicendi auget: ingenium acuit: & efficit, vt non tu, sed ipse orator adolescentis sit emendator & magister. Stilus.

Breuiter percurri, quæ tibi suscipienda & elaborandа & præstanda censeo: opus habēt ista explicatione longiore, & præmonstratorem requirunt: sed habebis me in hac ratione atq; via comitem & adiutorem & socium. Vale. Argentorati Mense Martio.

IOANNES STVRMIVS LAVrentio Englero, quartæ curiæ præfecto.

HEri ego, Englere, ad Bitnerum scripsi: in qua epistola

videbis: & quid pueri ad illum apportent ex classibus inferioribus: & quid ei aggregandum sit: in quo etiam perspicies, quæ tua sint in tua curia officia. Nam quoniam volo pueros ad te deduci: eruditos Latinorum & Græcorum Grammaticorũ præceptis: & instructos ab omni verborum delectu & copia: & abundare exemplis cùm poëtarum tùm oratorum, sed oratorũ imprimis: aliquid abs te amplius flagito, quod iuuentutẽ faciat benè literatam.

Lectio multa.

Primum igitur officium tuum est, vt pueri quàmplurima audiant, interpretentur, intelligant, memoriter etiam multa recitent: cùm quæ antea didicerunt in ordinibus inferioribus: tùm quæ abs te addentur quotidie. Plurima autem ea statuo: quæ iuuentutis viribus æquiparata sint: non quæ vires superent: quæ moderatio adhibetur non solùm numero & pondere: verùm etiam ratione bona & modo erudito: de qua ratione, inferioribus præcepi magistris. Volo enim eandem esse omnium vestrûm viam: eodem enim contenditis: sed non eadem onera: & sub oneribus

Volumen latinum exemplorum.

expeditos volo esse milites: & alterius fascem aut imminui ab altero aut leuari. Do igitur tibi atq; constituo: in voluminibus exemplorum illud longiorum ambituum: in quo exempla argumentationum & amplificationum: &

Verrina sexta.

huic libro addo Verrinam sextam accusationem: quæ propè omne genus narrationum continet. Perficies etiam hîc tu, quod reliquum est in volumine poëtico: & ex Horatio

Volumẽ poëticum.

epistolas & sermones addes: qui tibi videbuntur esse idonei: & his Latinis scriptoribus coniunges volumen Græcũ exemplorum: in quo & res suppeditant: & earum rerũ

Volumẽ græcorũ exemplorum.

formæ & vestes & ornamenta, quibus indui postulant.

Non opus est, te illius monere: quod apud vos maiorũ

gentium

gentium patres meminisse volo quotidie: non negligenda esse: quæ semel pueri apud minorum gentium patres didicerunt: à quibus lac suæ stirpis acceperunt: vt sunt grammatica præcepta: vt vocabulorum congesta atq; digesta copia: vt scriptores, quos cognouerunt: vt diaria & ephemerides: hæc omnia considerare: & ex his ea identidem reuocare sub incudem: quæ, nisi recudentur, excudi cõmodè, cùm erit opus, non poterunt. ὑπόμνησις.

Stilum tibi etiam atq; etiam commendo: & quidem commendo diligenter. Tantum addes ad inferiorem ordinem pensi: quantum addi posse iudicabis. Et quanquam multa adolescentes suapte facultate exequi poterunt: tamen vtile est, imò necessarium in nonnullis est: te non solùm voce, verùm etiam stilo præire: aliquando etiam subsequi: quoties erratum erit in ijs, quæ illorum abs te fuerunt viribus commissa. Stilus.

Epistolas Paulinas diebus festis & pridie diei festi partieris cum Iona: de minoribus loquor: longiores enim tribus concedo superioribus classibus: & cùm has explicabis, non considerabis, quid in suis faciant commentarijs Theologi: sed quid Romani fecerint: cùm ad illos Paulus scripsisset: quid Corinthij: quid Galatæ: quid Philippenses: quid Ephesi: denig;, quomodo Timotheus & Titus suas ad se scriptas recitarint literas Ecclesiæ. Quod illi recitando assecuti sunt: cur non tu interpretando: non commentario: sed verborum commutatione & numero? Aliud est, commentarium scribere: aliud, discipulum suum erudire: currendum est, non assidendum, posteaquam in curriculum & stadium peruentum est. Vale mi Englere. Argentorati Mense Martio. Sacra.

IOANNES STVRMIVS MICHAELI Boschio tertiæ curiæ magistro.

VIdeor mihi in Heliconem montem penetrasse, & nō procul ipsum Musarum consessum aspicere: quoniam in tuam curiam ab infima peruenī. Volo enim te non solùm oratorum & historicorum: verùm etiam poëtarū explicatorem esse: & ad tuum fontem omnia personare musarum & poëtarum vocibus: & inter hos ne quidem oratores silere: sed accinere. Scis enim tu, etiam hos duos habere numeros: quos Græci rhetores ῥυθμοὺς nominant: & sunt omnia apud oratores εὐρυθμία: quos numeros vtile est pueros etiam in hoc soluto dicendi genere obseruare. Liuius ab Heroico versu fecit principium: Facturúsne operæ precium sim, nec scio, nec si. Et Cæsar noster: Gallia est omnis: cur non? Omnis Gallia diuisa: nisi quòd σωθήκη τὸ εὐρυθμον quæsitū est. Sed in his modus cōstituendus est: ne illud Iuuenalis Satyrici poëtæ nobis queat obijci:

Numeri oratorū

Vexatus toties rauci Thebaide Codri,
Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.

Lampas spectanda est: & properandum ad metam & ad βραβεῖον. Itaq; neq; obliuiſci patieris eorum pueros, quæ inde ab infimis vsq; gradibus ad tuos apportarunt: librorum, authorum, ephemeridum, præceptorum: & exempla eis explicabis exordiorum: partitionum: narrationū: digressionum: quæstionum infinitarum & grandium amplificationum. Rhetorum etiam trades sententiarum & verborum ornamenta: hoc est, τρόπους, χήματα: μεθόδους: quorum omnium multa adferant ad te exempla ex inferioribus locis:

Volumen exemplorum.

bus locis: sed tu addes de tuis: quæ illis es explicaturus: cùm ex hoc, de quo dixi, exemplorum volumine: tùm ex ijs scriptoribus, qui tuæ curiæ sunt tributi.

Non mihi displicet, Herenniana hic abs te elocutionis præcepta tradi: aut ea, quæ ego ante aliquot annos dictaui: sed quæ de dicendi figuris ex Hermogenis sententia explicaui: maiorem exercitationem & doctrinam requirunt: & relinquenda Hertelio: & propria sunt publicorũ doctorum collegij: quod in cacumine nostri Parnassi coædificatum est. Herennianæ elocutione.

Cluentiana oratio exempla habet omniũ μαθημάτων, *quæ de narratione traduntur: vt Quintilianus fatetur: hanc explicabis: vt intelligant pueri: & loca in illa, quæ imitatione digna erunt, cùm rhetores audient, notata habeant: aut, cùm hæc videbitur prolixior: nam sæpe tibi docendi ratio mutanda est, propter hominum casus atq; ingenia: in huius locum aliam tibi licebit orationẽ substituere.* Cluentiana.

Præter Græcum volumen exemplorum: etiam ex Demosthene meliores orationes eliges: in quo non solùm orationum considerabis genera: verùm etiam vires animaduertes tuorum discipulorum. Nam longius leui armatura sæpenumerò, quàm graui peruenitur: & idem assequimur, quod persequimur: vt nullum tempus absq; fructu præteratur: victoria comparetur. Orationes Demosthenis breuiores.

In poëtico volumine, non multum restabit, quod sit tibi explicandum: cùm nihil restabit, Homeri librum primum addes Iliadis, si placebit: aut Odysseæ: huius enim poëtæ nescio cur placeat: placet certè magis, quàm cæterorum poëtarum: puritas, ornatus, grauitas: & qui hunc Homerus.

poëtam cognouit: inter reliquos poëtas poterit consistere: non minus, quàm si Homerus cum Aeschylo, Sophocle, Euripide venisset in collocutionẽ. Quid putas: Homerúsne istos, an illi magis fuissent admirati Homerum? Hæc cur scribam, opinor intelligere te: & cùm voles, & quoties voles, de his coràm inter nos disseremus.

Sacræ lectiones. *Festi dies sacros libros postulant: Pauli Epistolas: quas velim in quinq; superioribus classibus lectitari: intelligi ita, vt vel totæ memoria teneantur aliquæ: vel loca quædam insigniora: & eadem loca habere in ephemeride annotata: vt tu scias, quid adolescentes acceperint: & quas rationes apud te consolidatas debeant deponere: quoties postulabis.*

Stili exercitatio. *De stilo superuacaneum est te monere: cùm illum semper exerceri: semper acui, semper expoliri sit necessarium. Sed apud te maiora conari & suscipere adolescentem decet. Græci oratoris exordium, aut narrationem, aut argumentationem: aut locum communem, aut amplificationem: latinam, aut Latini Græcam faciet: idem audebit in poëtis & historicis facere. Horatiana vel Pindarica carmina, commutare non verbis, sed carminum generibus: laudabile est & fructuosum. Multa noua oportet condere poëmata: multas epistolas conscribere: exordia etiam & narrationes: & infinitas quæstiones: si ipsi conficere non poterunt: abs te tamen earum possunt proponi, argumenta: partes: ornamenta: ambitus: & ante cognita præcepta: artis dicendi delineationes fieri: & similia in voluminibus exemplorum indicari.*

Comœdiæ Terentianæ. *Comœdias etiam Plautinas & Terentianas: non abs te audire: sed se decet ipsos docere distributis partibus & operis:*

operis: & eaſdem agere: & cum ſuperioribus claſsibus cõtendere de victoria. Velim enim primo quoq; tempore: horum duorum poëtarum omnes comœdias in quatuor agi ſuperioribus claſsibus: quam facultatem cur non vnus annus, annum dico? cur non ſex menſes ſuppeditent viginti decurijs? Cùm inter ephebos eſſem: Leodij in Phormione Terentiana Getæ perſonam ſuſtinui ante ædem D. Martini: non à magiſtro, non à condiſcipulo doctus: ſed mihimet ipſe fui hiſtrio atq; poëta: tertio ante bellum ruſticanum anno, admodum tùm adoleſcens & penè puer: quam ſic egi, ſic commentabar: vt me plurimùm illa exercitatione tùm profeciſſe adhuc ſentiam: & illa ætate nõ ea erat facultas magiſtrorum: non ea docendi ratio, non talis linguarum cognitio, qualis hodie eſt: & eſt in ſcholis noſtris. rentianæ & Plautinæ.

Peterem abs te pluribus verbis, vt hoc conſiliũ meum ſequaris: ſi neceſſarium eſſe crederem: ſed non opus eſſe puto: noui enim induſtriam tuam: quæ neq; tibi in ſuſceptione officij: neq; mihi in expectatione eiuſdem officy tui eſt defutura. Vale. Argentorati Menſe Martio.

IOANNES STVRMIVS IOANNI *Renardo, præfecto ſecundæ curiæ.*

QVæ ſuperioribus diebus ego proximis ad octo claſſium præfectos ſcripſi: legiſſe opinor te, mi optatiſſime Renarde. Nunc quoniam ad te inde vſq; à tribu ima perueni: non procul iam, ſed tamen de loco remoto, video Muſarum conſeſſum: ſed ita acceſsi propè, vt iam, qua lingua & quæ canant, exaudire poſsim atq; intelligere. Video etiam Muſarum præſidem citharœdum Apollinem: & citharæ

& citharæ inuentorem facundum Atlantis nepotem Mercurium: & Mineruam, quæ arcem tenet doctrinæ & sapientiæ. Nouem etiam ipsas Musas: & Gratiam cum geminis sororibus: cæterisq; nymphis internoscere possum: Lauros etiam florentes cernere: à quibus baccas breui decerpemus: & ramulos corollasq; auellemus: præmia industriæ & diligentiæ eorum, qui in nostro cœtu eas merere videbuntur.

ἐπόμνησις. Ac quoniam tu in hoc cœtu agonotheta es: & præmia ista distributurus es huius militiæ tyronibus: considerare te oportet: quot hucusq; & cuiusmodi fecerint stipendia, & quæ obierint prælia: & quantum in palæstris profecerint inferioribus: & quarum gentium, dum castra sequuntur, linguas & sermones didicerint: & belli genera & arma cognorint: mores & instituta viderint: hisce enim abs te perspectis: quæ tibi tradenda restent, facilè, si benè te noui, mi Renarde, iudicabis.

Modus exponẽdi poëtas & oratores græcos. Poëtas te Græcos atq; oratores non amplius adverbum interpretari necesse est: sed istud illorum erit officium: tuum verò, dum hoc modo interpretantur: poëtarũ verba oratorijs commutare: aut hæc cum illis componere: historiam aut fabulam perspicuitatis causa intertexere: ornamenta illustriora indicare: loca ἀξιόζηλα notare: atq; iubere, vt in ephemeridem, tanquam in acceptorum codicem, referant.

Scriptores latini. Idem in Latinis scriptoribus faciendum est: & cum his Græcorum verba, & sententiarum formulæ sunt conferendæ: & oratorij atq; poëtici Lecythi annotandi & referendi in accepta.

Dialectica. Sapientiæ etiam instrumentũ discipulis tuis in manus trades:

trades: & quibus illud ex rebus confectum sit ostendes: & quomodo uti debeant indicabis: de Dialectica loquor: quam nemo sapiens unquam neglexit: sine qua nihil præclarum & sempiternum & quod genium habeat, confici potest literarum monumentum. Et quanquam inueniendi præcepta natura priora sunt, iudicandi regulis: tamen ab ea parte, quæ κριτικὴ appellata est, potius te velim, quàm ab illa, quæ τοπικὴ dicitur, principium facere.

Huic comitem adiunges dicendi artem: vt altera ab alterius non discedat latere: neq; displicet, Herennianam illis institutionem tradere: siue illa Cornificij sit, vt probabile est, siue Ciceronis: à cuius inuentis & verbis & sententiarum formis nō est aliena. Bonus est & dilucidus & breuis dicendi magister: sed tu Græcis illam artis vocabulis illustrabis: & exemplis explanabis: quorum magnam ad te adferunt ex gradibus inferioribus copiam: & quotidie noua suppeditabuntur: in illis, quos tu explicabis, Græcis Latinisq; scriptoribus: quam rationem sciis etiam in Dialecticis retinendam esse: at tu fontes dialecticos: ab oratorys imbribus separabis: vt vtrunq; genus conspiciatur separatim: & dialecticum illud breue atque acutum: & hoc oratorium ornatum & amplum. Rhetorica.

Orationes hic tu Olynthiacas atq; Philippicas poteris interpretando percurrere: recurrendo, artis loca, quæ nota erunt pueris, annotare & referre in ephemerides. Istud etiam in Ciceronis faciendum est orationibus: quarū delectum tibi concedimus atq; discipulis tuis, quorum voluntati sæpe obtemperandum est. Orationes Demosthenis & Ciceronis.

Stilum inde à septima classe æquè omnibus vobis cōmendo, quotidianum nulla intermissione facta: sed quod Stilus.

tuum sit in hac consuetudine scribendi officiũ: ex epistola mea, quam Boschio misi, & ex altera, quam Laurentio Englero scripsi, intelliges: propè enim eadem vtriusque ratio est: sed tu ad altiora loca contendes: & præstantiora conaberis: non solùm stilo, verùm etiam ζήλῳ. Incredibile enim est: quantũ homo possit: si nitatur, si imitetur, si æmuletur, si nihil negatum putabit arti atq; industriæ.

Declamatiunculas etiam conficient: quarum partes aliquas de scripto: aliquas memoriter recitabunt. Nam istud Romanis oratoribus: credo etiam Græcis, in curia & foro fuisse concessum.

Sacra. *Festis diebus Pauli apostoli epistolam ad Romanos tuæ & primæ curiæ tribuimus, quam velim memoriæ mandari ab omnibus: & memoriter omnes recitare: quoties postulabis. Nam verè festiuum est, festis diebus hoc genere literarum contendere: & memoriæ certamen in iuuentute constituere.*

Comœdiæ. *Terentianas comœdias & Plautinas tibi commendo, quas in tertia curia agere incipiunt: sed tuos histriones exercitationem in theatrum quotidianum adferre oportet maiorem: & post menses aliquot comœdiam aliquam Aristophanis: & tragœdiam Eurypidis aut Sophoclis, vnam adiungere: quas tu docebis primis mensibus, sed reliquas si quas agent, suopte Marte & suis ipsi armis in theatrum & ad certamen descendent: αὐτοδιδάκτους enim nostros tragœdos atq; comœdos esse volumus, cùm primùm id assequi poterunt. Officium feceris doctoris & præceptoris boni, si ista feceris: & facies certè: feciſti enim & facis officium placidi & diligentis, & literati magistri. Vale. Argentorati mense Martio.*

IOAN-

IOANNES STVRMIVS THEOphilo Golio primæ curiæ moderatori.

GOLI, voce mea tu multis iam annis es factus eruditior. Nosti consuetudinem gymnasij nostri: quid à vobis omnibus requiram: docebunt te epistolæ, quas collegis tuis scripsi: atq; hæc etiam te docebit epistola. Quales ad te Renardus mittet discipulos: aut certè mittere ad te debet, vides: vide, vt tu ea addas: quæ profectò addi necessarium est.

Necessarium autem est, quoniam ijsdem præceptis eademq; institutione fingi atq; formari adolescentiam oportet: quod reliquum est Dialecticæ atq; Rhetoricæ disciplinæ, abs te consummari: non perfectè, more Aristotelicorum & Græcorum rhetorum: nam curam hanc Hertelio cõmittimus: sed breui illa nostra via & institutione: quæ tametsi non omnia explicat, quæ ab Aristotele tradita sunt: genera tamen omnesq; partes complectitur: cùm Aristotelis, tùm Hermogenis, & Ciceronis. Dialectica. Rhetorica.

Ergo & hæc præcepta trades: & eorum vsum ostendes in Demosthene & Cicerone: & quicquid in his est ornamentorum, & rationis, demonstrabis. Neque solùm illa, quæ facile est mediocriter hac disciplina erudito obseruare: sed etiam illa, quæ latent, & recondita sunt: profecta tamen ex Rhetorum & Dialecticorũ officinis: quas etiamsi sapere non videantur: tamen certum est vim eas suam explicare: vt medicinæ facere solent: quæ aliter gustandi sensum afficiunt: aliud ipsæ efficiunt, quod faciat ad bonam valetudinem.

His oratoribus etiam poëtas addes: quod reliquũ erit in Vergilio: Poëtæ.

in Vergilio: quod adiungere placebit ex Homero. Nam etiam hi scriptores non solùm linguam eruditunt: sed etiam mentem: & amœna habent rhetorum vestigia: credo ego, omnia oratorum ornamenta & instituta in Homero demonstrari posse: ita vt, si ars dicendi nulla extaret: ex hoc tamen fonte deriuari & constitui posset.

Historici. *Thucydides etiam Græcus historicus: rectè in tua tribu traditur: & huic Salustius addi poterit: sed in his te adiuuari volo discipulorum tuorum industria: & domo ab illis ad te in scholas apportari tuas: quod legerint, quod intelligant: cuius sententiam totam alijs verbis aliaq; lingua & sermone persequantur.*

Modus & ratio legendi multa. *Sed tuum est, suum cuiq; pensum mandare atq; præscribere: vt omnes non vnas, sed diuersas veluti merces, ad mercatum tuum adferant. Tanquam mercaturam aliquam facere volo adolescentes tuos: magnā & copiosam: multas & varias apportantes vndiq; res, quas inter se ipsi commutent: non pecunia: sed industria, diligentia, memoria. Quam rationem etiam infimis præcepi ordinibus, vt sequantur. Vnam enim omnium rationem esse volo: vnam institutionis viam: vt initia & progressiones & exitus inter sese prudenter & artificiosè & amabiliter consentiant.*

Histriones comœdos atq; tragœdos volo hîc esse τεχνικωτέρους Roscios: quàm in tribubus esse possunt inferioribus: vt quoniam vacuum actoribus theatrum nulla esse volo hebdomade: spectandi non remittatur diligentia: si dies diem vincat: & postremi primis sint magis exercitati magisq; placeant spectatoribus.

Stilus. *Scribendi etiam & declamandi consuetudinem literatam*

ratam requiro: nihil non requiro artificiosum: siue scriptum adferatur: siue commentatione comprehensum: siue vtrumq; siue etiam versus ea sint & poëmata, siue soluta liberaq; sit oratio.

Quædam etiam festis licet exercere diebus. Ergo aut epistolam Pauli ipsi tibi explicabunt: aut locum aliquem illustrem, rhetorum more dilatabunt: nam id vobis licet facere in scholis: & hæc ratio etiam ad conciones & ad populum non paruas vtilitates adferet. Non enim eodem modo docentur, quo leguntur, sacræ literæ. Eloquentiæ vtilitates & arma theologum imprimis adiuuant: deinde iureconsultum & causarum actorem: neq; minus senatorem: quod nostra Respublica experta est: in Iacobo Sturmio: & Martino Herlino: sed Herlinus natura fuit disertus. Iacobum Sturmium præter naturam etiam literæ erudierunt: & Ludouicus Grempius: & Bernardus Botzemius Iureconsulti nostri: re ipsa comperiunt: quanta auxilia Iuris legumq; peritus ab oratore accipiat: & Senatus noster scholarum nostrarum adiumenta sentit: & sunt, qui exemplo suo ciues excitare poterunt: quorum mentē & linguam literæ eruduunt. Sacra.

Sed quid ego hæc ad te? verùm, quia Atticæ aues sunt: & tuarum Athenarum Mineruæq; tuæ: volui etiam has meas ad te volare, vt sentias, me ijsdem cogitationibus sæpe excitari, quibus te credo etiam suauiter affici, hoc potissimum tempore.

Non enim metu pestis: sed peste sæua & vaga liberati sumus: & reditus nobis est patefactus ad spacia atq; curricula nostra: quæ mihi certè annum & menses diesq; faciunt breuiores. Vale. Argentorati mense Martio.

LIBER II.

IOANNES STVRMIVS IOANNI *Marbachio doctori Theologo.*

PArtem muneris mei magnam confeciſſe me puto, de quo ſuperioribus diebus locutus ſum: cùm meam tibi ſententiam de ſcholis inſtaurandis noſtris atq; emendandis exponerem. Scripſi enim ſingulis curiarum præceptoribus: & cuiuſmodi velim vniuſcuiusq; eſſe munus, & quæ penſa quotidiana, literis meis indicaui. Spero facturos officium: & vt optimus quiſq; eſt: ita cum affici & delectari hac ratione video. Scio fore, vt multis videatur hæc ratio eſſe vna ἐκ τῶν ἀδυνάτων: atq; idcirco in nona curia, ego & mei & rationis huius periculum feci: & expertus ſum huius ætatulæ, quæ ſeptem annorum eſt, humeros: quantũ queant tollere, portare, atq; perferre. Salua res eſt: nihil in ſuperioribus erit ἀδύνατον eorum, quæ præcipio: opinor nos proximè ex omnibus ætatibus abfuturos ab illa admirabili facultate veterũ: & proximè ſequi illam εὐτοκίαν doctorum hominum Latinorum atque Græcorum: & illius ætatis, quæ maximè floruit: à Platone vſq; ad Cratippum, & à Demoſthene vſq; ad Ciceronem: cuius occaſu ipſa libertas vnà cum laude eloquentiæ occubuit. Opinor autem introduxiſſe me in ſcholas noſtras quatuor, quæ maximè deſiderabantur: verborum copiam & delectum: progreſſus maiores in Grammaticis, Dialecticis & Rhetoricis, quàm vſq; ad hoc tempus factos eſſe video: æquales etiam progreſſus & pares, in oratoribus, hiſtoricis,

historicis, poëtis interpretandis atq; explicandis: vsum sermonis Latini quotidianũ, & cum pueris vt loquantur, quasi ab Orco reuocaui Plautum & Terentium, Ciceronẽ. Scribendi & commentandi, & declamandi & dicendi videre mihi videor ipsos magistros non insequi, sed assequi facultatem illam optimarum ætatum: quæ Athenis & Romæ fuit. Si rides, quaso patiaris me sperare: quid dico sperare? frui me patiaris spectaculo & theatro magnæ industriæ atq; exercitationis. Si metuis, ne nõ adipiscamur, quod volumus: sis quaso animo magno: certè multò plura assequemur, quàm superioribus omnibus annis. Decima curia & nona iam mihi præsignificant, quid supremæ queant efficere. Senties paucis his proximis mensibus tu & Melchior Speccerus: & Iacobus Gloccerus: retinete nobis in scholis theologicis Moysem, Prophetas, Euangelistas, Apostolos, & in his explicandis Patrum authoritatem: quibus necesse est vt cedant, quicunque huic doctrinæ sunt inimici. Sed in scholis legi Patres non est neq; necessarium neq; vtile: quàm diu aliquid superest, quod legendum sit in his quatuor, quorũ iam mentionem feci: semper autẽ aliquid supererit. Re ipsa comperimus nostro seculo, quanta incommoda in academias & Ecclesias irrepserint seculis superioribus: posteaquam gnomologici & epitomici: meliores scriptores profligarũt de suis sedibus: quod inuentum indoctæ pigritiæ fuit: quæ ingeniosa est suæ ignauiæ patrona. Nostra ætas meliores habet commentarios: & institutiones: quæ neque interprete habent opus: neque explicatorem requirunt: & in illis tutum præsidium habet Ecclesia contra doctrinæ corruptionem: & cultus impios. Age igitur pugne-

mus pro

mus pro religione & pro literis: & date operam, vt illi, quos supra posui, scriptores soli locum in scholis habeant. Decem illa exercitationum genera, de quibus scripsi in scholis Lauinganis, tibi commendo: vt in collegio domestico, quod tuæ meæq; fidei commissum est, instituamus: neq; quicquam eorum, quæ ibi præcipiuntur: & ad collegium domesticorum nostrorum nostramq; familiam pertinent, prætereatur. Quod in classibus fit: idem suadeo vt in publicis nostris scholis fiat: & συζητήσεις instituantur: præsertim in theologiæ studio: & binis aut ternis: singuli Prophetæ, Psalmi, Euangelistæ, Apostoli & Epistolæ: Loci communes: controuersiæ: patres: nostrorũ hominum commentarij committantur, quos legant: de quibus inter se commententur: de quibus rogati respondere possint. Ista ratio quantas & quales allatura sit vtilitates: breui profectò in disputationibus poterimus animaduertere: & theologicæ declamationes atq; conciones documentum huius dabunt: quas tibi cæterisq; theologis vt concreditæ sunt: ita curæ esse non dubito. Sed de his omnibus coràm: & in conuentibus gymnasij nostri & collegij consilio. Vale. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS LAVrentio Tuppio doctori Iureconsulto.

ETsi neq; monere te neq; hortari opus est Laurenti Tuppi: nam de tua & doctrina & studio nullum mihi dubium est: tamen, vt alij sciant, qui in hisce scholis in nostrum locum nobis demortuis succedent: quam nos rationẽ omnes sequuti simus: visum etiam mihi est quædam

ad te

ad te scribere: & te hortari atq; rogare: vt nobis tua industria, & studio, & consilio adsis in nostris erudiendis adolescentibus. Non tibi præscribo, quod per te scis: quam viam sequi debeas: in tuis explanandis Institutionibus: quibus in locis properandum in his sit: & in quibus consistendum diutius: quæ nostræ consuetudines in foro & iudicijs sint: & quæ iam sint antiquata, moribus atq; institutis: nostræ religionis & nostri imperij: quæ etiam in his, quæ abrogata sunt, capi queant vtilitates. Neq; moneo, neq; præmonstro, quæ ex Pandectis addenda sint ad has Institutiones tuas: quæ & cognitionem habeant liberalem: & crebrò vsurpentur in iudicijs: & sint vsus quotidiani. Hæc enim vt tuum est scire: sic etiam scis & facis quotidie: vt etiam faciunt cæteri collegæ tui in hoc publico doctorum & magistrorum collegio. Sed est, quod in hoc tempore pro tua erga me beneuolētia: tuoq; erga scholas nostras studio abs te peto atq; contendo: vt tua industria exercitationibus nostris adsis, disputandi & declamandi: & adsis quàm celerrimè: properandum enim est, & quidem de principio: iam omnibus scholis classium restitutis, sublata peste, & mediocri auditorum & discipulorum frequentia. Hac in parte duo abs te requirimus: quorum primum est: vt disputatores nobis ex tuis subsellijs mittas: & videas, cui partes tribuas primas: & cui secundas atq; tertias: & vt istud queat fieri citò & celeriter: oro te, distribuas illis legum capita earum, quæ vsu sunt frequentissimæ: non solùm earum legum, quæ sunt comprehensæ Institutionibus: sed etiam, quæ Pandectis custodiūtur: singulis diuersa, vt breui tempore multa ad disputationes adferant: domi in bibliotheca lectitata, medi-

tata, intellecta ex cõmentarijs: in quibus deligendis tuam sequentur voluntatem atq; iudicium: hac ratione fiet, vt & ipsi plurima exiguo tempore assequantur: & in disputationibus & copia argumentorum audiatur: & animi omnium inflammentur magis. Alterum est, vt etiam declamantium numerum augeas: & declamatoribus nostris non solùm legum subministres subsidia, quoties abs te petent: verùm etiam ὑποθέσεις suppedites: nostrorum temporum atq; iudiciorum. Nam tametsi fictæ actiones declamantium sint: cupio tamen quàm proximè ad veritatem accedere. Scio varia esse genera horum argumentorũ & huius exercitationis. Vnum poëticum: vt Aiacis & Vlyssis contentio de iure armorum. Agamemnonis & Achillis dissidium: neq; inutilis est exercitatio, Homeri cõtrarias orationes dilatare more oratorum: sed quia fabulæ istæ sunt, minus mouent eos, qui audiunt: tametsi iuuent eum, qui sese velit exercere. Alterum historicũ est: suadere Syllæ, vt dictaturam deponat: consiliũ dare Augusto, vt imperio sese abdicet. Catonis orationẽ, & huic cõtrariam, quæ à Liuio historico stilo fabricata sunt: eas forensi dicendi genere persequi. Egregia ista exercitatio est horum negotiorum: quis neget? sed remota sunt à nostræ ætatis memoria: eoq; mouent minus: nostra tempora magis sensus feriunt: itaq; & à Theologis nostris rhetores adiuuari velim, & à vobis Iurisconsultis. Habet forum vrbis nostræ multas causas: quarum partem tu aliquam defendis: tales breuiter proponere: & argumenta vtriusq; partis vtriq; declamatori suggerere: vtilissimũ fore puto: vt & adolescentes libentius atq; facilius scribant: & hastas, quas abs te accipient amentatas, amentis bonis & firmis: co-

mis: conentur oratorijs torquere viribus. Nam si L. Crassum & M. Antonium, & summos illos oratores adiuuerunt Iureconsulti: & oratorum ista fuit in veris causis consuetudo: inuenire authorem, vt est apud Ciceronem in libro secundo de Oratore, à quo amentatas hastas istas, quas vocat Antonius, accipiat: cur in nostris scholis & in declamationibus: non eandem consuetudinem renouemus? Sed quoniam veræ lites istæ erunt: & fortassis nominari nolunt rei, quorum causæ aguntur: sequemur Martialem: qui in epigrammate acri & vehementi & infami: ficto nomine vtitur: ita etiam faciemus: & nostros habebimus Earinos, & Attalos & Gellias: qui ob hæc conuitia lachrymari & irasci non possunt: causæ tamen agi poterunt: & mores corrigi cum voluptate. Dabis veniam, si, vt proposui: non, vt doceam, ad te scribo: sed vt rogem & orem: vt nostrarum exercitationum, ne tibi molestum sit, adiutorem te & socium & participem fieri. Vale mi Tuppi. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS MICHAëli Beutero Iureconsulto & Historico. D.

SAlue mi Beutere. Etiamsi adesses: tamen hanc ad te epistolam scriberem. Cùm in manum calamum sumere constituerem: fuit apud me Doctor noster Eusebius Hedio, Gasparis Hedionis filius: eius, qui in æde primaria vrbis nostræ concionator fuit: vir admirabili præditus humanitate, & bonitate: charus omnibus ciuibus: etiam hominibus contrariæ factionis. Is mihi dixit: anno quinquagesimo, cum Pictauij Iureconsultos audiretis:

ephemerides te instituisse historicas: & illius instituti authorem tibi fuisse Philippum Melanchthonem: parentem multò maximæ partis literatorum hominum. Valde animum meum mouit atq; delectauit hæc illius oratio: propter eam, quæ inter nos futura est, officiorum necessitudinem. Spero enim te nostrum fore: neq; recusaturum historici officium. Quamobrē quasi noster sis, ita ad te etiam scribam: quemadmodū omnibus scripsi curiarū magistris, & singulatim cum illis per literas locutus sum: de scholis nostris instaurandis. Omnino confido te nostrum futurum: si ex sententia nostra non succedet, quod nolim: tamen, qui futurus est apud nos historicus: ex hac epistola intelliget, quid sibi faciendum sit: & quæ illius sint futura officia. Neminem autem admittemus nisi ea facere & promittere velit, quæ in te esse non mediocria audiuimus: Græci & Latini sermonis facultatem: historiam omnium ætatum: quæ literarum monumentis Hebræorum, Græcorum, Romanorum sunt comprehensa. Sed in te aliquid est grandius, Iuris scientia: quam etsi optaremus esse in historico: tamen exigere non possumus: quòd pauci sint, qui vtrumq; assecuti sint: historiarum memoriam: & legum iurisq; prudentiam. Quamobrem si tu venires: posses vt Titus Pomponius Atticus, septingentorum annorum, Romanis: sic tu adolescentibus nostris omnium annorum conseruare & notare tempora: & memoriam rerum omniū paruo volumine etiam vt Atticus colligare: aut tuas ephemerides nobis prodere: quæ idem propè efficiant. Et istud faceres: & ex historicis deligeres: quos explicares: non vt interpres, sed vt historicus: falsa reprehenderes: vera distingueres: asperitate in vitys magistratuum: acrimonia in

nia in sceleribus improborum: laudatione in virtutibus. Temporum ostenderes ordinem, locorum & pugnarum descriptiones indicares, qua ratione conficiantur: demonstrares, quæ collocutio atq; tractatio, consiliorum, actorũ, euentuum: causas etiam persequereris: quæ præteritæ ab historicis sint, & quæ positæ: & historicum dicendi genus, verba, ornamenta, ab oratorijs & poëticis distingueres.

Præter hanc bipartiti officij vtilitatem: adderes etiam tertiam: vel totas causas explicares discipulis nostris atq; proponeres, ad meditandum, scribendum, declamandum: vel illis postulantibus exempla suppeditares: vt copiosè de his, quæ probanda sint, argumentari & disserere possent.

Adiuuares etiam vt Iureconsultus, Iureconsultum nostrum: & ipse tibi adesset: & traderetis, vt ille inquit, operas mutuas: verùm in re meliore, quàm illi, de quibus hæc persona comica loquebatur. Has commoditates habituræ sunt scholæ nostræ: si venies: & has ab illo requiremus, qui noster volet esse historicus. Sed venies: sed manebis, sed noster eris: & inter nos colemus amicitiam: & ex literis & in literis viuemus suauiter. Vale. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS
S. Physico.

NAturam licet expellas furca, tamen vsq; recurret. Dabis enim veniam, si ad Physicum de natura γνωμολογῶ. Non possum te non monere & hortari & rogare, vt sis nobiscum. Argumenta mea & tua nosti: credo etiam

 alia

τὴν συνοικοῦσαν οὐκ ἀντιμαχήσεσθαι. *Galenũ explicabis, cùm placebit: etiam cùm placebit, Aristotelis Physicos libros. Horam quotidie vnam non amplius postulamus: nisi velis alteram addere. Extra ordinem iuuabis nos in cõmunibus muneribus: & claßicos præceptores iuuabis: in deligendis & digerendis vocabulis rerum, & sententiarũ formulis, quæ tuæ sunt artis: qui labor vnius solùm anni est, & perexiguus: propè enim omnia habemus in promtu: & semel inuenta & digesta: quærere deinceps non est necessarium. Herbas ostendere: humani corporis partes & vsum indicare: pharmacopœa explicare & indicare singula, ludus est: tibi præsertim* ἀρχιητρῷ. *Ignosces naturæ meæ, si quasi noster sis: ita præeo: aut quasi esse nobiscũ recuses: ita insto & vrgeo. Oro te, vt esse noster velis: non te pœnitebit. Sum importunus, vel quia te amo, vel quia me impellit gymnasij nostri vtilitas. Spero eiusmodi gymnasium cõstituere, cui nemo, nisi qui omnibus inuidet, inuidere possit: non maiore labore, quàm antea, præceptorũ: sed certè fructu longè maiore: etiam cum voluptate discentium. Velim te in hoc principio adesse posse: si istud nolis, quod volo: velis alterum, quod volo: te sanum, saluum, fœlicem & prosperum esse: rogo te, vt pro hoc optato meo alterum velis: nobiscum esse, & nobiscum vitam tutam & quietam viuere. Vale. Argentorati mense Martio.*

IOANNES STVRMIVS CONRA, *do Dasypodio Mathematico.*

P*Ater tuus, Conrade, Petrus Dasypodius, cùm multa habuit grauitatis testimonia, & constantiæ indicia multa*

multa ostendit: tùm in curatione scholarũ præcipuè: quòd à gymnasij nostri instituto nunquam deflexit: non authores & libros, non docendi rationem & viam mutari patiebatur. Idem Herlinus faciebat: vterq; sanè literatus: alter parens tuus: alter in mathematicis præceptor tuus. In vtriusq; locum tu successisti: & vnus ex tribus scholarũ nostrarum præfectis factus es: & à scholarchis visitator nominatus. Gaudeo hac te ætate esse: vt huic muneri præesse possis diu: & hac voluntate, vt velis patris vestigijs insistere: & leges nostras tueri: & classium institutionem retinere: & à præscripta ratione non recedere. Cùm hoc gymnasium Senatus noster constitueret anno trigesimo octauo: tametsi eram iunior: tamen quia vitam mihi longam promittere non poteram: consolabar me hac cogitatione: quòd me mortuo non dubitabam, quin Capito, Bucerus, Hedio, Bedrottus, Seuenus: receptos semel authores, & classium ordinem, & docendi rationem sua authoritate defensuri essent: si qui existerent: quibus sua, quàm aliena, magis placerent. Ecce omnes mortui: solus ego superstes ex omnibus illius temporis collegis: & quod tum putabã, diu me viuere non posse: iam scio nõ me duplicaturũ hunc annorum numerum. Itaq; tibi cæterisq; collegis: quibus & valetudo & vires & ætas, ætatem longiorem pollicentur: committo has partes defendendi instituti nostri: à quo non discedo. Nam & illa Lauingana institutio, quam per hosce dies diuulgari passus sum: & hæc ipsa, quæ ad classicos magistros: & publicos doctores scribo: non recedunt ab ea via, quam in libro de literarum ludis aperiendis patefeci. Vnum solùm propositum mihi in hac confectione est: vt paucioribus annis: maiores progressus

gressus pueri faciant: quod me assecutum puto: & tu vides, quid in nona curia pueri faciant: de superioribus minus dubitandum est. Perge igitur mi Conrade, vt cœpisti, adesse mihi: atq; etiam classiũ præfectus: faciamus aliquid, quod probent homines, qui nunc viuunt: & laudet posteritas. Tuum est hoc anno explicare Geographiæ elementa, Procli sphæram, Arati φαινόμενα, Euclidem, Arithmeticam, Aristotelem de mundo. Quicunq; enim illius libri sit author: certè vtilissimam doctrinam est complexus. Non tibi modum præscribo: scis enim rationem meam: sat multa hoc anno facies, si hæc absolues: absolues autem, vt confido: ex hoc enim initio intelligo: curriculum te istud totum confecturum: & ne minimum quidem velle discedere. Quod ad officium præfecti & prorectoris pertinet: adiuuabis collegas tuos: & curabis quotidie, vt magistri officia sua non deserant: vt adolescentes ephemerides suas conseruent: vt pensa sua pensitent: & quantum pensitandum pueris quotidie sit: id totum viribus puerorum ponderandũ est. Decem exercitationes vobis curæ sint: faciunt enim ad disciplinam morũ: & ad doctrinam literarum. Sed hæc omnia κατὰ δύναμιν, vt poëta inquit: absq; onere & fastidio. Videtis enim, cum quanta suauitate quàm multa Musæ noctesq; diesq; faciant, si poëtis credimus: vna Homero totam Iliada: Iram dic dea Pelidæ: & Odysseam totam: Dic mihi Musa virum. Magna res esset, si non eadem alijs multis poëtis: vt ab omnibus idem chorus Græcis atq; Latinis poëtis inuocatur. Eadem hæc Musa Vergilium docuit: Musa mihi causas memora. Hesiodus omnes appellat: Pierides Musæ. Idem facit Vergilius: Sicelides Musæ paulò maiora canamus.

Quid sibi

Quid sibi volunt hæ fabulæ, & fictæ commenticiæq; narrationes? Est natura vel potius diuina in nobis mortalibus vis atq; facultas, cui nihil est inuium: nihil, vt Vergiliano verbo vtar, inaccessum: per omnem naturam commeans, perlustrans, assequens: si ratio & modus adhibeatur: πάντα δυνατὰ, εἰ κατὰ δύναμιν & absq; fatigatione atq; fastidio: adiuuari enim, non opprimi vires volunt. Itaq; Musæ inuocandæ sunt: hoc est, naturam sequi decet: non cursu molesto ipsam anteuertere: quæ natura per omnes naturas est fusa: &, vt ille ait, Iouis omnia plena. Mirabile est, quæ sensibus numerari & teneri nõ possunt: eas res tamen omnes animo complecti: vt mundum totum, cælum, maria, terras. Quas res Astronomia & quantas te docuit? quantam varietatem tibi tradidit Cosmographia? Euclides tuus finita tibíne an infinita demõstrauit? sunt illa ipsa problemata Euclidis & axiomata Mathematicorũ finita: at quot res ex his intelliguntur, quæ ab his doctoribus non sunt expositæ? Multi mortales, & homines literati, multa sciunt: imò multò maximam rerum omnium partem in natura sciunt: quas scire se non sentiunt: sentiunt autem, cùm obuiam veniunt. De Theophrasto Paracelso noui medici affirmant: illum cuiusuis herbæ etiam inauditæ atq; inuisæ potuisse vires & facultatem prædicere: si aspiceret antea non visam, etiamsi nõ attrectaret, antea nõ tractatam: aut si non masticaret antea non gustatam. Sed an nostra ratio sit vna τῶν ἀδυνάτων: breui documenta dabimus: & ego in nona curia, diebus superioribus te astante atq; audiente: & tu heri atq; nudius tertius in decima expertus es. Annum non opus est expectare: quid annum dico? non sextus mensis expectan-

dus est: non tertius: hic mensis, hæc hebdomas, hesternus dies tibi ostendit, quantum assequi quotidie nos docendo: & pueri discendo poterimus: quantumq; opum atq; facultatum vno anno, pueri adiutoribus magistris coaceruare & custodire poterunt. Vale. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS LEONARdo Hertelio Aristotelis doctori Dialectico: & Visitatori.

Scholarchæ à principio instituti nostri tres mihi adiunxerunt adiutores: qui absente me aut occupato, curias omnes obirent: aut quos ego mihi aduocarem propter doctrinam & virtutem & authoritatẽ in causis grauioribus: Gasparum Hedionem doctorem theologum: Iacobum Bedrottum Græcæ linguæ explicatorem: & Christianum Herlinum mathematicum. Hos visitatores & me rectorẽ nominabant: reliquarum scholarũ vocabulis. Ac rectoris quidem nomen nimis mihi videtur magnificum: tametsi Romanorum sit: qui rectores dominos semper oderant: visitatoris verò appellatio dignitati muneris vestri videtur, neq; respondere, neq; satisfacere. Amicitiæ enim tametsi tribuatur: nam amicos visitamus, cùm animos relaxare volumus: tamen magis delectationis & voluptatis, quàm studij & solicitudinis est. Assidui enim vestri labores sunt: & seuera vestra est, hoc est, diligens et grauis cura: non solùm in adolescentibus castigandis: verùm etiam in monendis præceptoribus: & in dandis consilijs: & in officijs mandandis: in probandis etiam & interrogandis atq; docendis, quoties erit opus, adolescentibus.

Sed quia

Sed quia id vocabulum & in alijs scholis, quas Academias vocant, vsu receptũ est, & in nostras admissum: retinere illud placet: cùm quòd assiduò vos inuisere oportet tribus omnes quotidie: tùm quòd voluptatis vocabulũ, vestris officijs atq; laboribus quotidianis, iam sibi virtutem & grauitatem atq; authoritatem vindicauit: nõ minus quàm in Græcia & in sacris ἐποπτῶν appellatio: quorum honorificum munus fuit. Hi tres primi fuerunt ludi nostri visitatores atq; præfecti: anno trigesimo octauo delecti à scholarchis Iacobo Sturmio prætorio viro, & Nicolao Cnipsio consulari senatore: & Iacobo Meiero tredecemuiro militari. Sed Iacobum Bedrottum infesta pestis anno quadragesimo primo abstulit: cui successit Christophorus Cærlinus: qui octauo anno muneris sui, diem suum obijt: & successorem habuit gymnasium nostrum Petrum Dasypodium: Hedionem amisimus anno quinquagesimo secundo: cui Doctor noster Ioannes Marbachius successit. Petrus Dasypodius vsq; ad annum Christi quinquagesimum nonum ætate peruenit: & in illius locũ suffecimus Gerardum Seuenum grammaticum sanè eruditum, quem quartana necauit, ante Herlinum mortuum: & successorem in illius locum substituimus Conradum Dasypodium. Herlinus pluribus annis hoc munere functus est, diligenter sanè atq; constanter: sed illius mors Seueni mortem non longo interuallo est subsecuta: diem enim suum obijt anno sexagesimo secundo, anno post Seuenum: & tu nunc visitatorem agis successor & gener Seueni: & affinis Georgij Nesselij, in cuius demortui locum Tuppius noster succesit: sanè docti & iureconsulti, & viri boni, & magni nominis: si vita suppedi-

tasset longior. De his ego ad te memoriæ & honoris causa scribo: deinde, vt horum exemplo moriamur in nostro officio: ad quod quasi voce Reipublicæ vocati & delecti sumus. Docti omnes hi & diligentes viri fuerunt: idonei authores, quos imitemur. De cæteris taceo: de Seueno socero tuo ipse iudicare potes: qui discipulos post se multos & literatos reliquit: inter quos tu vnus es & discipulus & gener: qui si suis voluisset inseruire magis commodis, quàm communibus, plus tibi genero, & liberis reliquisset hæreditatis: & minus debitorum, minusq; molestiæ mihi tutori. Sed vir erat non sibi, sed omnibus natus: nostrum est, illius liberos adiuuare: nostra, quoad possumus, ope & opera: & magistratus opem implorare: si magnum dedecus volumus fugere: & exemplum non excitare impium.

Non opus est, vt te moneam, quò huius similis esse studeas: minus, vt rogem: facis enim tua sponte: & potes omnia, quæ à te requiruntur, officia explicare: rogo tamen, vt pergas porrò facere: & Marbachio Theologo doctori: & Conrado Dasypodio visitatori, collegis in hoc munere adesse: de quorum etiam diligentia, fide, constantia, nullum mihi dubium est.

Placet mihi, quòd Aristotelicam doctrinam inde ab elementis institutis etiam Porphyrianis. Placet etiam, quòd prima cura tua est: vt illius scriptoris verba discipuli tui & genus dicendi, & eorum, quæ traduntur, sententiam intelligant. Deinde quòd Aristotelis ἐκθέσεις & ἀποδείξεις ostendis: postremò, quòd tua exempla addis. In Philippo Melanchthone cùm alia fuerunt multa præclara: tum illud etiam adolescentulo mihi valde placuit, & fuit perutile: quòd in omnibus, quæ docuit, idoneis, & quæ doctrinam

ctrinam sapiunt, vsus est exemplis: ex hoc cùm adiuuari poteris: non te pudebit sumere, quæ Aristotelem queant explanare: ea parte præsertim dialectices, quæ probabilium est argumentationũ: in altera verò, quæ ἀποδεικτικὴ dicitur: primùm Philoponus optimus est & breuis explicator: sed Iacobus Sceccius Medicus eruditè & copiosè de demonstrationibus tradidit: qui libri tibi adesse possunt, vt labor tuus sit leuior: & à Mathematico Dasypodio nostro iuuaberis: à Medicis etiam nostris doctoribus Andernaco, Sebaldo, Luberto Esthio, Obrechto, Sigismundo Roto, Chelio, Gallo: multas accipies ex Galeno & Hippocrate ἀποδείξεις: ex quibus ipse absq; præmonstratore intelliges, quales in alijs artibus conclusiones queant confici ἀποδεικτικὰς, quæ à Dialecticis, hoc est, probabilibus ita distant: vt illæ cum his dignitate non queant comparari. Toxites noster putat Paracelsum suum veras habere demonstrationes: habes hominem promtum, & cupit ista Theophrastea nouæ nostris probari hominibus.

Martinum Bucerum, dum viueret, semper sum admiratus propter industriam, doctrinam, vsum, iudiciũ in omni disceptatiõe religionis. Ille in cæteris virtutibus istud quoq; habuit laudabile, quod imitandum est. Res, quas ad disputandum proposuit, in duas diuidebat partes: & propositiones necessarias separabat à probabilibus: & hac ratione condocefaciebat τὰ ἀναγκαῖα à probabilibus distinguere adolescentes: vt scirent, quæ retinenda & defendẽda essent fortiter in Ecclesia & Republica: & in quibus largiendũ aliquid temporibus necessarijs. Si verò aliquid pro necessario posuisset: & demonstrabatur ab altera parte, probabile esse: ita confitebatur: vt ignoraretur, boni-

taténe naturæ concederet: an tentandi causa posuisset. Vt ille in omni disputatione faciebat: idem tibi in tota doctrina, & in locis argumentorum, & in argumentationũ figuris faciendum censeo: vt sciant, qui loci, & quæ figuræ ratiocinationum, verisimilium & probabilium rerum sint: & qui necessariarum & perpetuarum.

Demonstrationum exempla è mathematicorum doctrinis mutuabis, aut à medicis nostris petes, si illorum indigebis opera, vt suprà posuimus. Dialecticarum rationum plena sunt scripta philosophorum & oratorum: Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis: quorum opera tua iuuabitur plurimùm industria. Hi enim tam sunt viri boni, vt velint & cupiant: & tam docti, vt possint, & sciant facere, quæ postulabis.

Sed quoniam declamationes tibi commissæ sunt: cura quæso, vt eas crebras & frequentes audiamus: non omnes te emendare atq; corrigere necessum est. Quas purgabis aut elimabis, hæ aperto & publico loco habeantur: alterum genus clausis ianuis inter æmulos, aduocatis aliquot arbitris præceptoribus: aliquando etiam curia vnà admissa recitentur: vt æmulatio non frigescat: sed feruor τοῦ ζήλου existat: qui sæpe virtutum etiam est administer. Neq; necesse est memoriter has recitare: satis officiosi sunt, si scribant diligenter: vt puritas appareat: & insignia ornamenta extent. Honorarium sit, si qui memoriter pronuncient: non necessarium.

Duobus collegis tuis adsis: in monendis & hortandis classicis magistris, vt institutum nostrum persequantur: nullum diem prætereant, cuius rationem non queant reddere: & suum defendere officium. Omnes enim nos sic vitam in-

tam instituere, sic viuere, sic elaborare debemus: vt cogitemus omnibus reddendam rationem esse: cùm totius vitæ, tùm huius muneris atq; officy nostri. Vale. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS VALENTINO ERYTHRÆO MAGISTRO ETHICO.

ETsi libri tibi de moribus, Erythræe, Aristotelis atq; Platonis commissi sunt, vt in nostris scholis explices: tamen laudo, quòd ab ea doctrina non recedis: in qua tu à primis annis benè institutus es: dicendi arte, & à Demosthenis ac Ciceronis orationibus. Placent etiam mihi rhetoricæ tuæ ἀναλύσεις: sed futurum breui spero: si hanc viam ingredientur classium magistri: quam aliquot ad vos literis patefacio: vt non necessarium sit εἰς λεπτὸν τέμνειν Ciceronis & Demosthenis orationes. Properare & magnis itineribus proficisci poterimus: cùm è locis inferioribus, ad hoc supremum nostrum & publicum collegium instructiores venient, verborum & formularum copia: disserendi & dicendi præceptis, exemplis etiam multis & varijs, eorum omniũ, quæ à dialecticis & rhetoribus solent præcipi atq; doceri. Licebit igitur tibi aliquando à Philosophorum bibliotheca, ad oratorum myrothecia deflectere. Ac certè eò licebit magis, quòd Michaël Beuterus Iureconsultus, historias tradet, vt spero, in gymnasio nostro: qui ad hoc historicum officium: politicos libros non recusabit adiungere Platonis atq; Aristotelis: quoties vtriq; videbitur idoneum tempus: & tibi redeundi ad subsellia oratorũ: & illi digrediendi ex historico suo museo:

museo: inq; Academiam vmbriferam nitidumq; Lyceum. Atq; etiam hac ratione duo assequentur commoda adolescentes nostri, vt Beuterus ad philosophiæ præcepta de regendis ciuitatibus: multa & grauia exempla ex historys adferat: & tu in Cicerone atq; Demosthene demõstres philosophorum fontes: è quibus oratores suas segetes irrigarunt. Neq; necesse habebis ad verbum interpretari: totam illis orationem distribuere poteris vel partibus æqualibus, si pares sint facultate dicendi, & linguarum peritia: vel inæqualibus, si impares: vt in ludum tuum reuersi, vel Græcas verborum comprehensiones latinis verbis atq; latinis sententiarum figuris à se domi conuersas adferant: vel Latinas Græco pallio induant: aut vtrasq; patrio sermone exprimant: siue memoriter id pronuncient: siue de scriptore recitent. Si istud facient, facere progressus maiores poterunt: & tu illo grammatico officio leuaberis interpretandi ad verbum: & adolescentes melius intelligent, quæ domo cõmentata adferunt, hærebuntq; in memoria firmius: & cætera tu addere poteris: quæ tam magno & longo vsu in philosophis & oratoribus obseruasti. Has orationum conuersiones pro declamationibus admittam, si videam æmulationem inter eos in probanda nobis industria sua: & si diligentiam in stilo elimando: hæc enim recitandi atq; scribendi consuetudo etiam poëtarum fuit: vt videre est apud Martialem & Persium: & Homerum istud factitasse, scriptores tradiderunt: & eiusdem poëtæ rhapsodiæ Iliados ostendunt: quas ex locis diuersis, vbi cantauit hæc poëmata: vno volumine cõportatas colligauerunt: & viginti quatuor distinxerunt libris, quas rhapsodias nominauerunt Græci Aristarchi & Grammatici:

homines

homines doctrina magna, & acri præditi iudicio. Adiuuabis igitur tu hac ratione Hertelium nostrum: vt nulla prætereat hebdomas, nullæ nonæ, nullæ idus, nullæ calendæ: quibus non aliquid vel pronuncietur memoriter: vel recitetur de scripto: quod demorsos, vt ille inquit, vngues sapiat. Vale mi Erythræe. Argen. mense Martio.

IOANNES STVRMIVS VILVELSEMIO Professori Græco.

QVam ad Erythræum misi epistolam, Viluelsemi, eam tibi cum illo communem esse volo. Nam tametsi ille publicos auditores doceat: & tibi duas curias hora meridiana duodecima coniunximus: tamen, quia ex prima curia illorum pars aliqua egressa recenti tempore est: non magnum discrimen inter tuos, & illos nostros habendum censeo: & eandem rationē vtrisq; maximè conuenire censeo. Meridianum istud tempus, propter calores & prandia, somnum plerunq; parit: idcirco interrogationibus & responsionibus ille depellendus est: & hoc sermonis genus vtilius est hisce horis: quàm illud alterum perpetuæ orationis genus: quo libentius, quàm isto, nescio qua de causa, vti scholarum magistri consueuerunt. Leges igitur Erythræi epistolam: & illam sequeris, id quod te facturū non dubito: noui enim naturam tuam, & tuam erga me beneuolentiam. Scriptores, quos explicabis, non tibi nomino: scis enim aut historicos hos esse debere, vt est Herodotus & Thucydides: sed Xenophon facilior est ad intelligendum: & ad illam distributionem, de qua in literis ad Erythræum: primis præsertim mensibus: aut poëtas, in

quibus etiam te facilitatis rationem habere velim sex primis mensibus: reliquis concedo vt ad difficiliores accedas: siue historici illi sint, siue poëtæ: vtrosq; enim sermonis genere exerceri & erudiri oportet imberbes adhuc nostros adolescentulos:

Plurimùm enim intererit, quibus artibus & quibus hos tu
Moribus instituas; serpente ciconia pullos
Nutrit; & inuenta per deuia rura lacerta;
Illi eadem sumtis quærunt animalia pennis.

Quales enim per omnem vitæ cursum esse adolescentes volumus: tali oportet eos tanquam cibo, sic literarum genere educari. Vale mi Viluelsemi. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS ELIÆ

Kybero amico, interpreti Hebræo.

Linguæ Hebraicæ institutionem in curijs consultò nõ proposuimus: primùm, quia multùm profecisse illum arbitror, qui ante sextum decimum ætatis annum, facultatem duarum linguarum mediocrem assecutus est: vnà cum dicendi, disserendiq; doctrina: & præter catechesim Ecclesiæ in curijs, etiam Euangelia & apostolorum cognouit epistolas, & psalmodijs exercitatus est: & reliquos sacros libros, in quotidianis collegij recitationibus: sæpè per illos annos, quibus in curijs docẽtur, possunt recognoscere. Deinde, quia consiliũ meũ est, sermonis Hebraici grammaticam extra ordinẽ tradi: aliqua earum horarũ, quibus in classicis tribubus non docetur: & cuiuis concessum est,

sum est, quod velit, extra ordinem discere, modò liberale sit, & moribus nō obficiat, & cursum nō impediat in stadio classicorum. Postremò, tametsi pœniteat me huius linguæ studium vsq; in hunc annum quinquagesimum nonum distulisse: tamen nolim alios cogere, vt faciant, quod ipse nō feci. Hortor tamen omnes, vt ad duas illas classium linguas etiā hanc adiiciant, meo exemplo: qui superiore proxima æstate ea fundamenta absq; doctore posui huius sermonis: vt absq; ope & voce magistri sperem, quod reliquum est, breui posse in hoc curriculo perficere. Te verò, mi Kybere, oro, Horatianum illud sequare:

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Excipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Antequā Nicolaus Clenardus Hebraicas literas Louaniī docere inciperet: exiguus erat eorum numerus, qui huius sermonis essent cupidi: & tamen Ioannes Campensis in Collegio Buslidiano docebat: eruditus & doctus homo: sed non æquè ac Clenardus ad docendum idoneus. Posteaquam verò Clenardus suas tabulas edidit, & illas explicare incepit: mirum erat tam multos subitò extare: qui huic studio sese dederent & breui tempore, quod optabant, assequerentur. Et tamen hic Clenardus Louaniī mihi notus, & Lutetiæ familiaris: præter tabulas suas nihil attulit præceptorum: quibus huius sermonis assequebantur doctrinam: & bibliorum intelligentiam. Istud tibi, Kybere, scribo: vt statuas, Horatianum illud consilium optimum esse: de breuitate, hoc est, paucitate & perspicuitate præceptorum: quæ in Clenardi præceptis ambæ virtutes elucent. Capnio noster, qui in Michaëlis Deliī locum substitutus fuit: etiā tabulas confecit non inutiles: accipe

ex his, quas voles. Flegelius, quem pestilens superioris anni lues abstulit, & cui tu succedis, fuit prolixior, quàm oportuit: eruditis magis idoneus, quàm huius linguæ discipulis: habeo Hieronymi Massarij, quem eadem pestis necauit, viri certè docti, & literati medici, institutiones plenas atq; perfectas: quas annis abhinc decem confecit, non edidit: ego verò Iosiæ Rihelio concredam, vt diuulgeti sed hæ ad legendum domi magis idoneæ sunt, quàm ad docendum: nam his me multùm adiutum esse confiteor: & credo, absq; his difficilior mihi fuisset labor in hac lingua adipiscenda. Ergo & hoc quasi præceptore vsus sum, & subsidia quæsiui ex interpretibus: & Sanctæ Pagnini contractis commentarys Geneuæ diuulgatis, & Ioannis Forsteri Lexico. Sed si meum consiliũ sequeris: ingredieris in eam viam, in quam induco curias nostras: vt vocabula non viginti quatuor literis distinguant: sed generibus in ordinem cogant: eademq; genera suis partibus ac formis diuidant: quam rationem etiam ego domi retineo: quæ paucis diebus ostendit, quanta copia sit sententiarũ, verborum, formularum: in ea lingua, quæ paucorum verborum & inops esse videtur. Sed quid ego hæc ad limatulũ virum: propè huius sermonis rudis & tyro? verùm habes, quid tyro requirat, & tyro, qui proximè à sexagesimo ætatis anno abest: & ij boni magistri sunt, qui tyronum suorum naturam sequuntur & adiuuant. Vale. Argentorati mense Martio.

IOANNES STVRMIVS MATthiæ Stiffelreutero Musico.

SI vox est, canta, inquit Ouidius, si mollia brachia, salta:

salta: me hac ætate neq; cantare amplius decet, neq; saltare: satis est, iudicare me posse: quis saltet aut cantet artificiosè. Musica tibi commissa est: in qua non dubito: quin officium facias boni & periti cantoris: ita vt Ecclesijs & Scholis nostris placeas. Illud velim, quod tu facis: vt perpetuò in Republica nostra retineatur. Primum, vt canat, non clamet, chorus: deinde, vt non ora distorqueantur sonorum grauitate: neq; hiulcent barbarorum vocalibus atq; diphthongis, vt ne in ore & faucibus appareat, quod turpe sit. Canere volubili lingua, vt non sentiatur, numeris velociter incisis, vt non spacia animaduertantur: artificiosum & suaue à doctis habitum est. Romani, vt ne Musicos vociferari necesse esset: vasis cõcauis theatra interstincta habuerunt: quæ numerorũ suauitatem auribus spectatorum exprimerent: vt nec ipsi cantores clamoribus fatigarentur, & turpiter contenderent: & singuli, quid caneretur, cum suauitate perciperẽt. Belgæ & Celtæ optimos Musicos habuerunt: & adhuc laudabiles habent: etiam Leodienses ante annos viginti nouem audiui suauiter modulantes. Tubingæ Melchior Volmarus Iureconsultus ita ipse canere potuit, & ita discipulos suos cantare docuit: vt non ibi nati esse viderentur, vbi nati erant: mirabili suauitate. Sed vt cæteræ artes, sic etiam Musica & διαφίσιν habet & πρόξιν. Tuũ agere & canere officium est. Sed tamen, qui publici sunt: & publicis proximi, secundæ & primæ curiæ tyrones, facilè assequi poterunt: si canere possunt, quis imus tonus sit, qui proslambanomenos dicitur: & quis summus nete hyperboleon: quid item harmonia, quid chroma, quid diatonon: & horum omnium potcrit scire varietatem.

Multa â Boëthio præcipiuntur de hac re: quæ ſcire adoleſcentes non illiberale eſt. Sed iſta ſcire, honorarium eſt. Vt autem canant pſalmos, præſertim in Eccleſijs & ſcholis, non ἐικῇ, ſed κατὰ τέχνλω: tuum officiũ eſt docere. Illa verò honoraria tibi committo, & Conrado Daſypodio: vt ſtatuatis, quando aliqua ex his, & quæ illa ſint, quæ adoleſcentibus ſint explicanda. Sed quid ego hæc ad te? Si vox eſt, canta, ſi mollia brachia, ſalta: Salta, ſi habes: & canta, ſi potes: ſed artificioſè, ſed honeſtè, ſed, vt diſciplinæ noſtræ proſit: non noceat: vt nihil religioni obficiat. Ad me quod attinet, neq; collum ego mihi, neque vocem Ariſtoxeni opto. Vale. Argentorati.

LIBER III.

IOANNES STVRMIVS SIMONI Oſtermanno Ellero Iureconſulto, Rectori gymnaſij Lauingani.

QVod â me petijſti, vt ad leges veſtras adÿciam, quæ mihi addenda videantur: facere omnino non potui: vt ante nundinas Francofordianas haberes. Nam ſcripſi hæc quarto Calendas Aprilis ipſo primo diluculo. Neq; noſtras perficere potui: itaq; veteres retinui, quẽadmodum videbis. Memini hæc ſcribens vnius verſus, quem Conradus Goclenius in quodam epigrammate poſuerat, contra quendam virum ſanè doctum: qui Officia Ciceronis explicabat: & in vna re peccabat: non animi vitio, ſed corporis valetudine: is verſus poſtremus in epigrammate,

Qui

Qui docet officium, non facit officium.

Idem vereor, ne mihi idem eueniat: qui alijs officia præscripsi, ipse mihi nihil mādaui. Et sanè heri & nudiustertius propositū mihi fuit, me ipsum interpellare aliquot hendecasyllabis: & memet mei officij commonere: sed nō potui, nec possum: expectat enim librarius postremum hunc codicillum à me. Hac epistola obstringam me viris bonis & magistratui nostro: non solùm docere me & cogitare: sed agere & facere, quæ doceo, mei esse officij. Itaq; diem nullum intermittam, quin de scholis cogitem: quin aliquid vel doceā, vel scribam, vel classes obeam: quin etiam, quod nūc aliquibus forsitan ἀδύνατον videtur in institutis nostris: ego ostendam posse fieri: & facilè posse fieri: idq; in curijs infimis, nedū superioribus. Doctorem nostrū Marbachium habeo assentientē, cuius tu nosti φιλοσοφίαν: etiam Conradum Dasypodium: de Leonardo Hertelio nō dubito: hi visitatores sunt nostræ, vt ita loquar, academiæ atq; Lycei. Hos mihi aduocabo, quoties necessariū erit: horum vtar consilijs atq; auxilijs. Nam horum & meum officium est: prouidere, vt omnes officiū suum faciant: classes quotidie obire: vt post tempus magistri in ludum & curiam non ingrediantur: & ante tempus non exeant: neq; se interpellari in studio sinant: vt adolescentes, qui foris veniunt: præceptoribus distribuant, quibus curæ sint: qui ad hospitia ducant: qui ab hospite fidē accipiant: quibus hospes ipse notus est: qui domi foriśq; non patiatur aliquid facere adolescentem alumnū suum, quod dedeceat scholarum nostrarum disciplinam: neq; à se sinat adolescentem hospitium commutare absq; permissu visitatorū. Hoc & visitatorum officium est: & meum esse fateor facere.

or facere. Est autem omnium, rectoris, visitatorũ, magistrorũ, videre, ne quid disciplina detrimenti accipiat: & nihil facere, cuius rationem non reddere possimus, magistratui & viris bonis: & illius semper meminisse:

Telephe vel Peleu, malè si mandata loqueris:
Aut dormitabo, aut ridebo: tristia mœstum
Vultum verba decent: iratum plena minarum.

Itaq; aut legam, aut docebo, aut scribam quotidie aliquid, quod exemplo esse possit. Hæc visum fuit mihi legibus nostris apponere: quas marmoreas pro tempore emittimus: veteres illas quidem & cum nostro gymnasio natas: vtiles tamen, & aureas faciemus: si in tua persistas sententia. Visitatorum necessarium est auxilium: & consulo, vt tibi etiam aduoces Fridericum Celestinũ Theologum: & Cyprianum Leouitium Mathematicum: & Medicum Martinum Rolandum: vt non solùm adiutores habeas: sed etiam testes tuæ fidei atq; diligentiæ: & optimo Principi rationem semper reddere possitis factorũ & consiliorum vestrorum. Vale. Argentorati quarto Calendas Aprilis.

IOANNES STVRMIVS SIMONI Ostermanno Iureconsulto.

MEnse Martio non vacabat, tibi leges ita conscriptas mittere: quemadmodum cupiebam: & ego volebam. Instabat enim atq; vrgebat Iosias Rihelius librarius noster: & tu nosti, librariorum operæ quàm sint exactores impatientes. Sed quoniam exemplaria omnia diuendita sunt: & sub incudem idem opus reuocauit: venit mihi in

mihi in mentem petitionis tuæ, & aliqua addidi ad leges nostras, quæ ad vestram nostramq; disciplinam deesse in legibus videbantur. Non tibi mea, aut leges nostras commendo: sed vestrum Lauinganum gymnasium, quod æquè mihi atq; nostrum gratum est: neq; minus diligo, quàm pater pulchram filiolam, in qua formæ & virtutis præclara apparent indicia. Quanquam etiam tua causa mihi grata est: quoniam in hisce scholis moderandis spero te & gratiam omnium hominum, & bonorum virorum laudem consecuturum. Vale mi Ostermanne. Argentorati mense Iunio, M. D. LXV.

RECTORIS ET PRORECTORUM, & Professorum officium.

Rectorem, & eos, qui illi adiuncti sunt: rectorem tamen imprimis: decet authoritatem suam doctrina diligẽtia, temperantia, humanitate, grauitate tueri. 1.

Vt præceptorum & magistrorum quisq; officia quotidiana faciat, diligenter ydem animaduertunto. 2.

Præceptores primi ad horæ sonum ad ludum obuersantor, postremi egrediuntor. 3.

Vestitu, cibo, potu, vigilantia, diligentia, lectione domestica, etiã scriptione domestica, exemplo sunto. Exemplo enim præfectorum & magistrorum perduntur, exemplo seruantur adolescentum ingenia. 4.

Ebriosum præceptorem, aut ludis deditum è scholis non eÿcere: corruptæ disciplinæ indicium est. 5.

In monendis & castigandis adolescentulis: negligen- 6.

tia & remißio abesse: seueritas absq; crudelitate: vituperatio absq; maledicto debet adhiberi.

LEGES COLLEGII
Anno 1538. latæ.

SENATVS POPVLVSQVE ARGENtoratensis sic sentit, sic vult, sic constituit, sic iubet: vt religionis, doctrinæ, bonarq; disciplinæ causa scholæ habeantur, & scholarum sit collegium, idq; hisce conseruetur, atq; huiusmodi legibus.

1. *Preces antemeridianas & pomeridianas singuli frequentanto: quorum concionari est, suo loco & tempore concionantor.*

2. *Collegium Theologis, Iureconsultis, Medicis, Rhetoribus, literarum studiosis constituitor.*

3. *Ad collegium nemo adolescentum admittitor, nemo retinetor: in quo nō sit verecundiæ & diligentiæ indiciū.*

4. *Qui admissi erunt, nomina danto, Moderator eadem asscribito: ijdem trium mensium pecuniam persoluunto: idem insequentibus mensibus faciunto:*

5. *Sine fideiußione nullum in collegium admittito: neminem rationibus non subductis, missum facito.*

6. *Extraordinarios sumtus parentes & propinqui faciunto, aut moderatori pecuniam suppeditanto: qui ante tempus exierit è collegio, cum moderatore decidito. Omnes moderatori morem gerunto.*

7. *Qui moderatori nō obtemperat, impatiens pœnæ, non audiens dicto: à præfectis castigator, mulctator, punitor.*

Damnum

Damnũ etiam, quod quisq; dederit, vt præstet, videto. 8.

Dum locum in collegio habere, & cubiculum sibi seruari volunt, etiam absentes pro cibarijs soluunto, aut cum pædagogo transigunto. 9.

Festis diebus bini templa ordine, verecundè adeunto: conciones omnes diligenter audiunto: absq; psalmorum volumine, aut Testamento nouo ne sunto, domi memoria conciones repetunto. 10.

Quotidianis & repetitionibus & exercitationibus interfunto: abesse nemini impune esto. 11.

Sermo vbiq; omnium Latinus esto: omnes suas scholas & classes frequentanto: aliorum scholas non impediunto: non clamore, non cantu, non ambulatione, nullo sonitu, nullo strepitu: qui peccarit, pro peccati ratione & modo bono pœnas luito. 12.

In collegio neq; discipulus absq; pædagogi consensu, neq; pædagogus absq; scholarcharum permissu ædificato. 13.

Honestè vnusquisq; vestitor: in vestibus ciuium consuetudinem & scholæ institutum colito, nihilq; liceat in vestitu, quod foris domiue dedeceat. 14.

Extra domicilium collegij nemo egreditor, nemo stato, nemo emaneto, nemo alibi, quàm in eodem domicilio absq; moderatoris consensu pernoctato, per hyemem verò imprimis id licitum non esto. 15.

In cœnis, in prandijs, in ientaculis & merendis, in omnibus congressionibus sermo esto de rebus bonis, honestis, vtilibus, idemq; Latinus, pudicus, verecundus, liberalis, nõ morosus, nõ contentiosus. In cœnis etiam & prandijs, vt ne desit sermoni materies, aliquid memoriter, qui iubebũtur, recitanto: nemo impunè exercitationes collegij cõtemnito. 16.

17. Rixæ, conuitia, probraq; omnia à congressionibus absunto: qui secus facit, in hunc moderator bono modo animaduertito.

18. Author discordiæ, ni desinat, è collegio & scholis excluditor.

19. Arma, gladios, pugiones, non gestato: qui cum armis aduenerit, ea ille moderatori custodienda committito.

20. Qui vim alteri armis fecerit, è collegio eiicitor: qui sine armis idem facit, pro noxa luito.

21. Malorum famtliaritates, consuetudines, congressiones omnes fugiunto: qui secus egerint, puniuntor.

22. Ad cauponas, tabernasq; publicas, atq; conuiuia, nemo absq; permissu moderatoris accedito.

23. Exterorum nemo iniussu pædagogi, in collegio aut dormito, aut edito. Hyeme ad horam nonam: æstate ante medium decimæ cubitum quisq; ito: secus absq; causa necessaria & probabili nemo facito. Deum quisq; suis precibus ante somnum inuocato, placato, laudato.

24. Ianua collegij, hyeme ante cœnam: æstate, cùm pædagogo visum erit, clauditor: nemini post id tempus exire fas esto.

25. Pædagogus, quin cubicula omnium circumeat, intusq; eadem probet, hebdomadam nullam prætermittito: eidem cubiculorum ianuæ simul ac pulsarit, apertæ sint, quisq; facito.

26. Simul ac quiuis cubitu surrexerit, stragula conuoluito, sternito, strata per diem retineto: cubiculum verrito, sordes ad sterquilinium portato, omnia benè collocata in his sunto.

27. Condiscipulum & contubernalem tempestiuè dormientem,

entem, aut studys incumbentem, non voce, non ambulatione, non strepitu, impedito.

Ad vicini cubiculum, nemo sine causa accedito: coitiones & consessus per cubicula vitantor: qui secûs faxint, pædagogus pro noxa, ratione bona vindicato. 28.

Quibus Reipub. beneficio alimenta studiorum causa dantur: quod de principio Scholarchis & visitatoribus promiserunt, in posterum seruanto. 29.

Qui officium non posse facere iudicabuntur, vt aliud vitæ genus instituant, missionem petunto: Scholarchæ hos missos faciunto. 30.

Qui missi facti erunt, cùm per facultates poterunt, sumtus & impensæ pecuniam dimidiam Scholarchis rependunto, idemq; cùm dimittuntur, promittunto, ac facere astringuntor. 31.

Demortuorum libri, vestes, omnisq; supellex Scholarcharum pecunia comparata, collegij sunto: cæteris illa alumnis, vt videbitur Scholarchis, donantor. Idem in illorum bonis, qui ob delicta eijciuntur, ius esto: qui bona venia Scholarcharum exierint, libros, bona, omnemq; supellectilem illorum venia secum auferunto. 32.

Quibus studiorum causa in Academijs abesse permissum est, hi de se quotannis testimonia virorum doctorum idonea mittunto: reuocati à Scholarchis, aut collegij præfectis redeunto, moram nullam faciunto. 33.

Et his legibus omnes obtemperanto, & cæteris legibus, quæ pòst doctrinæ, disciplinæ, religionis ergò ferentur, obsecundanto.

LEGES CVRIALES.

Primarius studiorum finis religio est: & Dei diuinorumq; operum atq; beneficiorum cognitio.

Hæc ipsa religio doctrina traditur: & eloquentia excolitur: sed ita hæc duo distinguuntur, vt doctrina necessitatis sit, eloquentia ornatus.

Adiuuantur autem hæc duo disciplina, & legibus bonis: in quibus hoc discrimen est, quòd leges absq; disciplina parum possunt: disciplina verò per se leges inuenit, si prudenter constituatur.

Est igitur Magistratus, scholas literarũ constituere, & magistros literarũ cõparare: quoniã hæc voluntas Dei est.

Magistri verò multis de causis officia suscipere & facere debent, nõ solùm diligenter, sed etiã cupidè & auidè.

Nam hæc voluntas primùm Dei est, deinde Magistratus: postremò requirit charitas Christiana, vt quantum quisq; potest: tantum prosit societati Christianæ.

Sed præceptores morum, & magistri literarum ipsi sibi pro legibus esse debent, etiamsi nullas haberent: Adolescentia verò & puericia huiusmodi regenda & seruanda est legum habenis.

Si id assequi absq; legibus non possis, quod optandum est, vt vltrò faciant: quod faciunt ingenia bona, vt velint & obtemperent, & laborent in ijs, quæ à magistris præscribuntur.

Quod seueritate corrigi potest, indulgentia non debet negligi. Quare si quis ad horas constitutas non adest: vel in scholis gymnasij: vel in concionibus Ecclesiæ: virgarum verberatione corrigendus est: nisi excusationem à parentibus, aut heris domesticis probabilem adferat. Istud enim voluntatis peccatum est: non ingenij imbecillitas.

Qui post

Qui post horam constitutam veniet, castigari debet modo & ratione bona, iudicio Rectoris, visitatorum, & præceptoris: magis, si bis in hebdomada id fiat, maximè, si ter idem admittatur. 2.

Qui negligenter auscultat: qui lectas & traditas res non repetit: qui interrogatus respondere non potest: qui cætera officia bonorum discipulorum negligit: is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro ætate debet castigari: sed grauissima medicina in his morbis erit virgarum seueritas: minima, verborum prudens remedium. 3.

Qui non diligenter auscultat: qui alia cogitat: qui nugatur: qui scriptitat res alienas: aut alia legit, quàm quæ doceantur: in his peccatis minima castigatio est, cõminatio & obiurgatio. Seueritate enim disciplinæ, istud naturæ vitium sanari potest. 4.

Qui malis delectantur familiaritatibus: qui verbis litigant: qui pugnis præliantur: aut quoquo modo dimicant: qui iurant: qui præceptores contemnunt: qui irreuerenter prætereunt, aut aspiciunt, aut alloquuntur eos, qui reuerentia digni sunt: vt senes, vt magistratus, vt homines præditi authoritate, aut virtute: qui in plateis & cœtibus hominum non versantur verecundè, & vt decet literarum studiosos: ratione bona aut grauiter aut seuerè debent emendari. 5.

Qui sermone vtũtur alio, quàm latino, qui impudẽti, qui impudico: pro peccati genere, ratione bona puniantur. 6.

Qui aduersus magistros & præfectos suos falsam querelam ad parentes deferet, aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quos suis necessarios & viros bonos: & quia falsum dicit: & quia aduersus præceptorem, & præfectos suos ingra- 7.

suos ingratus est: & quia mœrorem mendacijs suis excitat, pro facinoris grauitate aut virgis castigetur: aut custodia coërceatur: aut modo aliquo bono seueritatis fiat melior.

t. *Decurio si officium non faciat: in animaduertendo & accusando: virgis corrigendus est: non enim hic vitiosus esse potest: vt non nouem condiscipulos, vel offendat exemplo: vel in societatem vitiorum pertrahat, & disciplinam corrumpat gymnasij.*

DECRETVM SENATVS & viginti virorum.

CVM antehac ad confirmandam Religionem, & ad publicas commoditates amplificandas, Scholæ literarum in hac Ciuitate constitutæ sint: & cùm quotidie magis atq; magis copia eorum, tùm quos exteri mittunt, tùm quos ciues ducunt ad literarum magistros, augescat: ita vt præceptoribus difficile & arduum sit futurum, in tali multitudine & turba officium suum facere: retinere iuuentutem in disciplina & obedientia: nisi certis legibus constitutis atq; obseruatis, quò sibi vtiliter, & cum ciuibus tranquillè atq; amicè & cum cæteris omnibus honestè, & moratè viuant: decretum est à Consule & Senatu, & Viginti viris: quò deinceps insequentes leges conseruẽtur.

Adolescentes in minoribus classibus, leges atq; decreta, quæ superiore anno de principio facta sunt, summa cũ diligentia colant.

Qui ad publicas auscultationes distributi sunt, Rectori, cùm primùm in hanc vrbem venerint, aut è minoribus classibus

bus classibus eductí fuerint, nomen dent: eidemq; reuerentiam atq; obedientiam erga præceptores atq; disciplinam scholæ promittant.

Omnes honesto & huic vitæ conueniente vestitu vtantur, non colore militari, non discisso, non ex humeris pendulo: non arma: & hi, qui in classibus minoribus sunt, non pugiones gerant.

Quoniam ab exteris hominibus & bonis viris & multis, liberi mittuntur doctrinæ & disciplinæ nomine, neq; omnes cum præceptoribus habitare possunt: qui cum præceptoribus esse non possunt, si necessarium videbitur, ex præceptoribus aliquis à Rectore deligatur, qui curam gerat eius: cui committetur, vt consulat, moneat, castiget: adolescens etiam obtemperet, & mandata faciat.

Nullus discipulorum ad choreas & nuptias similiaq; loca eat, nisi iusta de causa inuitatus, idq; cum permissu præceptoris: In plateis etiam nemo absq; huiusmodi causa atq; permissu noctu versetur. Quicunq; verò contrà deprehenditur, à vigilibus capi & in custodiam duci debet, & pro delicti genere puniri.

Qui verò his, similibusq; Senatus decretis obtemperare nolet, is nec à præceptoribus, nec à ciuibus excipi debet, sed viuere in publico diuersorio: quò Senatus cognoscat, non literarum causa eum adesse.

Decretum 26. Nouembris 1539.

LEX DE GLADIATORIbus & vestibus.

Vt ciuium liberi rectè educarentur ad vitam, & ad religionem. 1.

2. *Vt delectum semper Senatus habere posset in copia, & in his, quos concionibus cæterisq; Senatus & Reipublicæ muneribus atq; ministeryis præficeret.*

3. *Vt huius vrbis commoditate etiam cæteræ Respub. vti possent: & suos ad nos liberos mittere.*

Est igitur Senatus voluntas, vt non solùm suos in doctrina retineat: verùm etiam exteros atq; alienigenas: vt neq; animi adolescentum corrumpantur disciplina vitiosa: nec spes absentium fallatur parentum.

Et quoniam noua quædam & pestifera digladiandi consuetudo irrepere incipit in hoc gymnasium: vt maior gladiatoribus detur à nonnullis adolescentibus opera, quàm literis, earumq; magistris: Decreuit Senatus, vt nemo ex Classicis absq; consensu Visitatorum & Scholarcharum comprobatione, gladiatoribus operam nauet. Ex publicis etiam nemo, qui magistris ac professoribus commendati sunt, vel à parentibus, vel à tutoribus atq; amicis. Nemo etiam eorum, qui pædagogos habent: nisi id per pædagogos à visitatoribus impetrent: quibus hæc cura à Scholarchis est demandata. Atq; istud priuatim permittetur: publicè autem nullum placet scholastici nominis digladiari.

Adfert hæc consuetudo gladiatorum alia etiam secum vitia: pernicioſa literis: commessationes & ludos alearum: quorum vtrumq; omnino omnibus interdicimus, præsertim in cauponis & locis publicis.

Etiam vestium luxum, tunicas militares, dissectas caligas, ipsa etiam formà feras, agrestes, & carnifici magis conuenientes, quàm decoras viris honestis. Hoc vitium nemini concedimus scholastici nominis in classibus,

neq; etiam

neq; etiam pædagogis facimus potestatem permittendi id suis, absq; visitatorum scitu atq; permissu.

Quamobrem veterem legem de vestibus atq; sicis, pugionibus &c. cum noua hac lege volumus & repetitam esse, & renouatam, & confirmatam.

Qui secus faxit: in hunc Scholarcharum authoritate animaduertetur: aut scholasticis pœnis, aut exterminatione, aut spoliatione societatis scholasticæ: prout peccasse, aut refragatus esse videbitur, cùm de eo iudicium fiet.

DE EXERCITATIONIBVS quotidianis communibus Scholarũ Argentoratensis & Lauinganæ.

HAEC igitur de classicis & publicis magistris: qui si officia fecerint ea, quæ præscripsimus, non dubiũ est: quin eò perducturi sint suorum discipulorum cœtum: quò perduci vtile & glorioſum est: pietatis & religionis: doctrinæ & eloquentiæ: quos fines statuimus nostrorum studiorum.

Caput disciplinæ in adolescentibus instituendis exercitatio quotidiana est: ignauiæ inimica, insciticæ hostis, omnisq; molestiæ explicatrix. Genus verò exercitationis non vnum est: sed in hoc nostro gymnasio decem volumus esse præcipuas: psalmodias, recitationes, conciones, scriptiones, declamationes, disputationes, collocutiones, demonstrationes, dramata, ludos. Legendi enim ratio & explicandi quotidianum officium tametsi exercitationis sit: tamen quoniam illud ad præceptores pertinet: nos hæc decem in discipulorum retinemus officijs.

DE PSALMODIIS.

Quoniam igitur primas tenet religio: sacris cantibus & recitationibus & concionibus primas damus: & primo loco de cantu præcipimus: vt antequam in curia magister docere incipiat: psalmos aliquot alternatim è regione duplicato ordine modulentur adolescentes: voce media soni vnius: linguæ mobilitate eadem & spaciis ijsdem: non solùm versuum atq; sententiarum: sed verborũ etiam atq; syllabarum: vt simul incipiant, simul progrediantur, simul consistant: mora verò tanta fiat: quæ neq; fastidium pariat, & obsticiat intelligentiæ. Intelligenter enim cantari debet, quod canitur: vt & lex Dei cognoscatur: & memoria discipulorum adiuuetur: & copia comparata sit, quoties authoritatibus contendendum est. Istud officium ter quotidie faciendum est: manè, cùm in scholas ingrediendum est: meridie, cùm domum reditur: ante cœnam, cùm finis sit laboris quotidiani.

Psalmorum numerus, quos hebdomadibus oportet singulis modulari: breuitate & prolixitate singulorum æstimandus est: vt tertio mense omnes in his scholis resonent: & quotannis quater queant decantari.

Ter igitur canendum est, & ter precandum: quas preces pium & sanctum est ad psalmorum argumentũ referre, & Theologi officium est, has preces conficere: & in his scholis custodire.

DE RECITATIONIBVS.

Recitationes voco, quæ à Græcis appellantur ἀναγνώσεις:

σεως: vnde ἀναγνωσαὶ *Ecclesiæ lectores nominabantur. Hæ instituendæ sunt prandijs & cœnis: quarum materies sit, libri Regum & Geneseos: & Euangelia pleraq;: difficiliores enim libros Apostolicos & Propheticos, qui opus habent diligentis Theologi explicatione, doceri potius, quàm recitari, placitum est.*

Recitator in conclaui prius sibi legat: quàm alijs recitet: vt legere possit absq; vlla impeditione: vt pronunciare intelligenter: vt aptè sententias distinguere: vt non solùm vocem, sed etiam motum aliquem adferat: qui rei, de qua dicitur, sit accommodatus.

Vtile etiam est, psalmos eos, qui per hebdomadā canentur, Latinos: verbis Græcis & Hebraicis explicari. Nam eruditiores esse oportet lectores hos: hi enim & recitant intelligentius: & huius officij quasi reuerentiam cōmendant condiscipulis.

CONCIONES.

Conciones appellamus ὁμιλίας, *quæ Argentorati habentur post cœnam: antequam adolescentes ad conclauia & cubitum redeunt. Hæ breues sint: sed diligenter conscriptæ: vt doctrina appareat sacrarum literarum: vt pietatis studium: vt etiam Dialectici acumen atq; veritas: & Rhetoris elegantia atq; ornatus. Huius generis exempla sunt apud Augustinum: cum hoc doctore velim adolescentes contendere: cùm verborum puritate, tùm sententiarum claritate: vt non solùm illius scriptoris adolescens esse videatur interpres & recitator: sed imitator etiam & æmulus.*

SCRIPTIONES.

Scripta esse volo quotidiana: & discipuli manū aut auriculam nunquā absq; stilo & calamo & absq; papyro & charta esse placet. Sed scriptio classium triplex est: vna classis infimæ: in qua puer literarum figuras assuescet scitè facere, à scriba eleganti manu: qui hunc cœtum propè infantiæ etiam in quartam curiam comitabitur. Re ipsa comperimus, quantum hæc consuetudo vtilitatis adferat non solùm studijs literarum: sed etiam officijs publicarum operarum: in magistratuum & consiliorum cancellis huiusce rationis commoditas conspicitur: imò in officinis negociatorum cernitur: ad Reipublicæ elegantiam pertinet erudita manus & scriptura elegans.

Alterum genus scriptionis est diariorum & ephemeridum, de quibus diximus, verborum & nominum: sententiarum & authoritatum: exemplorum, earum rerum, quæ in Dialecticis & Rhetoricis scholis præcipientur. Horum librorū diligentior debet esse custodia: quàm facultatum: hi libri magistro indices sunt earum rerum, quæ cognitæ notatione quotidiana: in puerorum mentibus latent reconditæ: hi testes sunt diligentiæ: hi custodes memoriæ: hi defensores contra accusatores & pueri & magistri.

Tertium genus est stili: quem quotidie acui volumus: & indies magis atq; magis splendescere: vel tota aliqua oratione & declamatione: vel insigni aliqua argumentatione aut amplificatione: vel epigrammate lepido: & epistola benè morata: vel narratione aliqua heroica. Hæc etiam in commentarijs quotidianis, quas ephemerides appellamus, notari debent: & repræsentari magistris & modera-

moderatoribus: quoties probatio fiet à scholarum præfectis.

DECLAMATIONES.

Declamationes quæ sint, omnes intelligunt: sunt enim rhetoricæ μελέται, sed Græcorum vocabulum rei est elegantioris: diligentiæ nimirum & commentationis: nescio quare Latinis placuit declamationes vocari: nisi fortassis, quòd primum vitium clamando soleat admitti ab imperitis: vel quòd nō minoribus aliquando in hac vmbra vtendum sit vociferationibus declamatori: quàm in foro & grauibus causis oratori.

Vtilitates declamationum omnes confitentur: sed pauci sunt, qui, quod confitentur & laudant: idem vsurpent atq; colant.

Primum igitur officium sit præceptoris: vt & moderatoris, quem Rectorem nominant: vt videat, ne declamādi consuetudo intermittatur: & crebræ declamationes habeantur: idq; statis temporibus: vel paribus cum disputatione gradibus: vel vicibus alternis.

In declamationibus eadem debent extare indicia, quæ in concionibus: doctrinæ, morum, eloquentiæ.

Argumenta, quoad eius fieri potest: sint earum rerū, quæ animos eorū, qui audient, moueant: & ad veritatem quàm proximè accedāt. Ecclesiasticum velim, si fieri possit, aliquod iudicium certorum negociorū: & has causas latinè defendi. Mirum enim dictu est: quantū hæc consuetudo habeat vtilitatis: cùm ad mores, tùm ad laudem studiorū atq; literarum. Si istud obtineri non poterit: in huius locū substituantur contrariæ actiones, suadentis & dehortantis: lau-

tis: laudantis & vituperantis: accusantis & defendentis: sed altera ratio commodior esset: ad veritatem rerum & ad vtilitatem Reipublicæ & literarum gloriam.

DISPVTATIONES.

Vt declamandi exercitatio ad rhetorem pertinet, ita disputandi ad Dialecticum: atq; idcirco etiam διαλέξεις sunt appellatæ huiusmodi philosophorum ἐντεύξεις: atq; artis differendi vtilitas ac vsus in hac consuetudine maximè percipitur. De hac multa præcipi possent: & multa præcipienda essent: propter vitia, quæ irrepserunt in hanc consuetudinem: sed huius loci non est ea persequi: emendari autem poterunt: si quæstiones eligantur vtiles ad vitam: si regulæ retinebuntur Dialecticorum: si sint moratæ absq; inuidia, maleuolentia, iracundia: quæ vitia grauissimè puniendæ sunt: & quomodo vitanda sint: apparet in Platonis & Ciceronis sermonibus. Consuetudo hæc æquè in locis retinenda est: vt illa superior declamandi: & eò magis, quòd veritatis sit: & Ecclesia multas & graues quæstiones habet: quas vtile est disceptari in vtramq; partem. Sed delectu est opus: & ad disputandum nihil proponi debet, quod à scholarum præfectis non sit permissum. Idem de declamationibus præcipitur: vt in hac consuetudine nihil proferatur in medium: cuius rationem non reddat, & culpam præstet non solùm disputator aut declamator: sed etiam moderator atq; præfectus.

CONFABVLATIONES.

Sermones iuuentutis Latinos esse volumus: omniũ etiam eorum, qui in extremis latent classibus. Præceptorem

patrio

patrio sermone vti nolumus, nisi cùm erit necessarium. Simulac enim puer in ludum ingreditur: habet magister, quod illum latinè doceat: rerum vocabula: inflexiones nominum & verborum: mandata certorum officiorũ. Hæc consuetudo magis in superioribus decurijs retinenda & colenda est: & confirmanda lege: & custodienda severitate & castigatione. In ludo dum magister ludi docet: silentium esse volumus: cùm in scholas ingrediuntur pueri, & cùm domum redeunt: cùm colludunt: cùm simul ambulant: cùm obuiam veniunt: sermo sit Latinus aut Græcus. Nullus veniæ locus, si quis hic peccet petulanter. Sed hæ confabulationes liberæ sunt: nam adolescentes domum reuerti etiam apud se aliquid commentantes: peræquè est vtile atq; laudabile, atq; loqui & latinè colludere. Sed collocutiones quædam necessariæ sunt, & præcipiuntur, in scholis & prandijs & cœnis: in quibus gymnasia erudita, interrogationibus & responsionibus iuuentutem exercebant: earum rerum, quas præceptores docebant: aut ipsi priuatim legebant: aut quæ recitabantur cœnantibus atq; prandentibus. In huiusmodi conuiuijs etiam infimi ordinis pueri habent, quæ rogent, rerum vocabula: inde à summo genere vsq; ad extrema membra distributa. Hæc facilis ratio erit: si moderatorem habeat præeuntem: Nulla enim via in errorem ducit: si ducem habeat: nulla molesta, si comitem facetum.

DEMONSTRATIONES.

Demonstrationes non solùm voco Mathematicorum ἀποδείξεις: sed etiam Grammaticorum ἐνδείξεις. Duplex

enim natura rerum est, quarum vocabula traduntur. Vna earum, quæ notæ sunt, aut quotidie oculis obuersantur: vt panis, vinum, domus, tectum, paries, anser, anas, capo: quibus quotidie vescimur. Sed est alterum genus ignotum atq; incognitum, quod indice & demonstratore habet opus: vt Planetarum septem, vt Pleiadum, vt Cynosuræ in cœlo, vt in hominis carne musculi, in oculo color crystallinus, in capite rete mirabile, vt nerui recurrentes. Herbæ multæ demonstrari possunt: & herbarum atq; plantarum omnes partes: gemmæ etiam atq; lapides: multa supellex non noscitur, nisi videatur: nulla ars est, quæ non opus habeat aliquo præmonstratore: si quæ in scholis vtiles atq; necessariæ sunt consuetudines, retinendæ sunt: hæc minimè est negligenda: maximam vim habens ad depellendam inscitiam: ad amplificandam copiam atq; facultates: ad conseruandam memoriam: ad facilitatẽ: ad refectionem ingenij: ad vitandum fastidium: quo nihil est perniciosius in hac disciplina iuuenilis ætatis.

DE COMOEDIIS ET Tragœdijs.

Comœdias & Tragœdias non placet in gymnasio multas explicari à præceptoribus: ne alia, quæ necessaria sunt, negligantur: multas tamen agi & memoriter recitari velim à iuuenibus. Hanc facultatem assequentur: si singulis curijs singulæ proponantur fabulæ. Ac earum personarũ, quæ pauca loquuntur, facilis est actio: plus laboris requirunt primarum partium actores. Quæ ab his agẽda sunt: diuidi possunt: binis aut ternis: vt memoria inchoetur in pluribus:

in pluribus: constituatur in omnibus: vt irrepant res quotidianis aut crebris actionibus in mentes adolescentum: non sua mole fatigent: vel opprimant: paucis mensibus pars magna fabularum in scholas hac ratione introduci poterit: absq; magistrorum explicatione: & absq; labore atq; fastidio discipulorum. Quæ enim obscuritatem, cùm priuatim cognoscuntur, habere videntur: ea vel actione & consuetudine: vel præceptoris breui explicatione: vel collocutione & conquisitione inter se adolescentium illustrantur. Est tamen præceptorum officium: eas fabulas diligenter cognoscere, quas agent discipuli: & in authoribus atq; historicis explicandis ex his fabulis loca adducere: in quibus aliquid est vel obscurum aut vitiosum: vel acutũ & eruditum: vel dissimile aut contrarium. Difficile creditu est, sed tamen verũ est: mirabile est: quàm exigua ope eruditi & industrij magistri quantas res, & quàm multas queat assequi discipulus.

DE LVDIS, ET ANIMO, rum relaxatione.

Superiores omnes exercitationes pro ludis habendæ sunt: sed sic natura est hominũ, vt ludos in corporis agitatione, non in mentis exercitatione quærant. Itaq; aleæ & tali, & disci quæruntur: curricula & saltationes petũtur: venationes, piscationes, natationes delectant: & gladiatores plerunq; magis, quàm magistri, reficiunt: neq; ego adeò seuerus sum: vt huiusmodi ludis non velim recreari adolescentium animos: sed Ciceronẽ sequi debemus, qui iocis & ludis ita nos vti vult, vt somnis & quietibus: &

In exercitatiõe corporis vitanda pericula.

tùm demum, posteaquam grauibus & serijs satis factum est negocijs: & ita ludendum, vt ludus sit ingenuus, & moderatus: vt animus voluptate non efferatur: vt pericula vitentur: cuiusmodi multa sunt: in digladiando, natando, piscando, venando. Illud autem proprium nostrarum scholarum est præcipere: vt in ludis sit sermo latinus: vt ludorum stata sint tempora: vt moderator adsit: vt ludi deligantur magis idonei, & magis vtiles: in curriculis metas figere, currere, saltare, castra metari etiam: & exercitum ducere: & aciem instruere: duces, centuriones, decuriones constituere, legiones conficere, & eas cohortibus distinguere: & liberale est, & vtile, & iucundum. Aedificiorum etiam demonstrationes facere, & hortorum, & villæ, suaue & ingenuum est. Ex vrbe egredi: prata, & hortos visere: herbas effodere: nomina interrogare: gustare eas, & partiri, plusne voluptatis, an vtilitatis hæc ludendi ratio habeat, dubium est. Hæc facere, & his similia alia ludorum genera quærere: & vtile est, & honestum, & iucundum, & necessarium. Volunt enim refici animi hominum fatigati serijs studijs: sed ea demum laudanda quies, & voluptas, & recreatio est, quæ intra modestiæ, & verecundiæ se terminos continet.

Argentorati 11. Calend. Iulij.
M. D. LXV.

ACADE=

ACADEMICÆ EPISTOLÆ VRBANÆ,

IOAN. STVRMII RECTORIS LIBER I.

AD SENATVM.

FVIT QVONDAM TRIBVS præclara laudibus Athenienſium Reſpublica: nam & bonis fuit à Solone conſtituta legibus: quarum domi militiáq; autoritas eſſet: & militari virtute floruit: in totiusq; Græciæ imperio cum paucis aliquando excelluit: & literarum ſtudijs, maximum nomen habuit: exiſtimatumq; eſt, eam omnium artium inuentricem, & propè procreatricem eſſe.

Sed bellicæ virtutis nomen, commune cum Lacedæmonijs habuit: cum Philippo verò & Alexandro, fortunam habuit inferiorem: & tandem, quicquid nominis erat, amiſit. Et Solonis leges partim ab ipſis prætoribus commutatæ Romæ ſunt: & leges à Romanis ſapientiùs fixæ, apud quos earum pars maior diutius culta eſt, quàm apud eos, à quibus tranſlatæ Romam ad ſeptemuiros erant.

Literarum verò gloria: tot iam elapſis ſeculis, ex quo

Athenæ euersæ sunt: adhuc in ore omnium literatorum hominum est: & eò apud nos maior literarum honos: quò minus nos, quàm illi, doctrina literarum possumus. Quod verò maius est, cùm leges ciuitatis ferè omnes antiquatæ sint: tamen literarum monumenta præcipua, nobis tot pòst seculis sunt diuinitùs relicta: Poëtarum, Historicorum, Mathematicorum, Philosophorum.

Ac certè si licet mediocria cum maximis comparare, licebit mihi etiam de nostra Ciuitate aliquid dicere: præsertim ad vos, Patres conscripti, qui ex præcipuis ordinibus estis, & iudicare potestis, verane sit vox mea ad laudem: an falsa & ad adulationem composita.

Licet autem mediocria cum summis componere, propterea quòd virtus in medio posita, & mortalitatem propter mediocritatem non extimescit: & diutius steterunt mediocres opes vrbium, quàm ingens populi & immanis potentia.

Et bella quidem maiores nostri ita gesserunt, vt sua sólum tueri, aliena non appetere viderentur. Et cùm leges vtq; facultates à maioribus acceptas: leges emendatas, facultates auctas, ad posteros & ad nos adhuc conseruarunt: & ita auctas facultates, vt frugalitate illa potius & prudentia: quàm vi, aut armis comparatæ sint: & ita leges correctas, vt istud religionis potius norma, quàm voluntate impulsi fecerint. Hanc rationem Deus, hanc mediocritatem veritas, perpetuam esse vult: hanc immortalem, si quid natura sinat esse immortale.

Literæ in nostra Vrbe restabant, quas contenti puerili instituto, vt olim Romani, ab vrbe Athenis: sic maiores nostri à vicinis Academijs, eò liberis vestris missis, maluerunt

luerunt accipere, quàm domi perfectum aliquid instituere: vt tunc ferebant tempora.

Nunc verò vita, & moribus, & periculis, & vsu edocti: huiusmodi educationis atq; doctrinæ beneficia alijs impertiri: quàm ab illis accipere placitum est: quæ quondam Athenienſium fortuna etiam fuerat.

Erat enim Athenis phanum Herculis, quod Cynoſarges appellabatur, in quo pueri ſpurij gratis alebantur: ſed non ſolùm hi ibi educabantur: verùm etiam ciuium liberi erudiebantur doctrina literarum. Hoc in loco literarum erant ſcholæ, ante Academiam Platonis, aut Stoicorum porticum, aut Ariſtotelis lyceum: hoc etiam contenti loco, nihil viſi ſunt requirere perfectius.

Ita etiam vos, annos iam triginta duos claſsibus acquieſcentes: ſatis & veſtris liberis prouiſum eſſe, & exteris communicatum ſtatuiſtis.

At ante biennium Cæſaris comparato beneficio: & noua Academia conſtituta: nobis quaſi præſcribere videmini: quid claſsicis exercitationibus nos oporteat adijcere.

Itaq; mihi commiſſa est confectio Academicarum epiſtolarum: vt meo arbitratu: quid de Academia inſtituenda ſentiam: id ad amicos epiſtolis explicem.

Atq; hac in re voluntatem veſtram, atq; conſenſum: pro re præclarè geſta habeo: & militari vel triumpho antepono. Prælium enim cùm primùm commiſſum est, eſſe deſijt: Lycei verò alicuius, aut Stoæ, aut Academiæ conſtitutio: ſimul ac inſtituta est, eſſe incipit: & diuturnitatem policetur: & immortalitatem ſperat: & quotidianos gloriæ fructus quotidianis laborum ſeminibus parit in æuum, dum mundus ſtabit, perpetuum.

Quamobrem

Quamobrem quæ res mihi commissa est, & à me susceptа, non ab ea digrediar: antequam totam eam vobis effectam attulero.

Et quanquam nihil ab ijs scribam diuersum, quæ in libro de literarum ludis rectè aperiendis tradidi: tamen paulò altiùs ascendam: & longiùs progrediar: vt ex his appareat, quæ tum sperarim, quæue prouiderim.

Proponam verò mihi florentissimas illas Athenas: quæ vno tempore & militiæ duces habuerunt clarissimos: & rerum gestarum explicatores summos: poëtas etiam excellentes: & oratores perfectos: & tribus in locis tres maximorum philosophorum familias: in Academia, Stoa, & Lyceo: qui viri quàm magni fuerint industria, diligentia, doctrina: indicio sunt libri illorum, quos conscripserunt: & qui à Diogene Laërtio, & à Suida numerantur: & intelligi possunt ex reliquorum scriptorum authoritatibus.

Ac in huius, quicquid id futurum est: scripti confectione: vos appellare atq; mihi aduocare visum est, vt ostendam hominibus, vos bonarum artium patronos esse: & quæ instituimus, ac quæ facimus, id nos vobis auctoribus suscipere. Valete. Argentorati.

AD SCHOLARCHAS: HENRICVM MVLHEMIVM, CAROLVM MIEgium, & Fridericum Goteshemium.

MAgnum nomen est: magistrum artium liberalium atq; Philosophiæ appellari: & ipso Philosophi cognomento glorioſius. Omnium enim rerum scientia, ipsaq; sapientia,

sapientia, propria Dei est possessio atq; facultas: harum verò rerum studiosum esse: semper honestum est habitum. Non excedit verecundiæ fines: qui ad omnium rerum limites conatur aspirare. Itaq; concessum est omnibus: naturam rerum perquirere: & omnia ea discere: quæ Physici tradiderunt de mundo, & omnibus illius partibus, totoq; ornatu eius: de principijs etiam rerum, ex quibus omnia orta sunt: etiam ea cognoscere, quæ de prima philosophia à magnis autoribus sunt prodita: animum etiam altius eleuare: & formas rerum quasi à suis abstrahere corporibus: & quicquid numerosum est, in doctrinam redigere: quicquid figuratum est, eius figuram multiplicem partiri: modos etiam vocum per se considerare: & inter se cõponere: cœli motus annotare, atq; dispertiri. Denig; quicquid Physici, primi sapientes, tradiderunt: quicquid Mathematici: id nolle ignorare: id industrij adolescentis, atq; etiam boni senis officium est.

Neq; hæc solùm scire velle laudabile est: sed etiam gloriosum, ad vitam atq; ad mores traducere: vt non sola sedeat ea pars Philosophiæ, quæ θεωρικὴ dicitur: sed cum comite incedat sua, quæ πρακτικὴ est nominata, eamq; docebit, agros colere, vites plantare, pecudes alere, apes custodire: quæ omnia sibi agricultura arrogat, & huic non dissimilis, quæ οἰκονομικὴ dicitur. Arces sibi etiam hæc Pallas condet, & sacras ædes ædificabit, & theatra constituet, & cætera faciet ædificia, architectosq; erudiet. Etiam imperatores docebit exercitum conficere, tyrones exercere, aciem constituere, vrbes oppugnare, prælia committere, quæ artis sunt militaris. Neq; enim Minerua solùm ex Iouis cerebro suum ipsa attulit cerebrum, verùm

etiam armata atq; hastata prosilyt in lucem. Et cœlestis Vrania Iouis etiam filia, non solùm siderum situs, ortus, occasus, reditus, doctrina complectitur, quæ Astronomia dicitur: sed etiam medicos instruet, etiam nautas docebit, quasi rerum euenta & signa, eosq; προρρητικούς facient: & Apollo ipse cùm morborum causas & remedia sciet: tùm etiam Aesculapium docebit inprimis, mortales à morbis atq; cruciatibus liberare. Hæc omma naturæ sunt, & eorum, qui Physici nominantur: hæc scire, liberale atq; ingenuum est: hæc exercere fructuosum plerunq;: sæpe necessarium hominibus.

Sed quoniam omnia hominum sunt creata gratia: non tantùm corpus curandum est, (id quod medicorum est) sed multò magis animus est virtute colendus: & bonis moribus ornanda mens est. Et præclarè Socrates, cùm ab Archelao magistro suo, principia quædam & quasi semina de doctrina morum accepisset: ipse neglectam hanc doctrinam à Physicis, ita Platoni & cæteris suis discipulis tradidit: vt & ipse Plato, & huius discipulus Aristoteles, cum alijs condiscipulis: literarum monumentis eam absoluerint: & nobis de officijs disputationes reliquerint: & leges explicarint: & Rerumpublicarum omnia genera exposuerint: & quasi doctores extiterint Regum, Legumlatorum, Magistratuum, Iudicum. Hæc enim omnia, ea ars, quæ Ethice nominatur, conſummauit: cuius potentissima pars est Politice: quæ absq; Oeconomice non potest consistere. Partior enim Ethicen: tum in ipsam Ethicen: tum in Politicen: tum, quam Oeconomicen Plato & Aristoteles nominant.

Verùm nullum genus Rerumpublicarum sanctius est, quàm

quàm Christianorum, & nemo de ciuitate Dei melius præcepit: quam Theologi: itaq; quarta hæc species propria Theologiæ est: & Doctores habet cùm Deum ipsum, tùm Prophetas, tùm Apostolos, tùm Euangelistas, tùm eos, qui Patres appellantur: quo genere doctrinæ, omnes Philosophos superiorum ætatum, omnem Academiam: atq; Athenas ipsas vincimus. Horum vera ethica est morum disciplina: ignorata & septem totius Græciæ sapientibus: & non cognita Thaleti & Ionicis: neq; à Pythagora atq; Italicis intellecta, neq; notata à Socrate, neq; ab ijs, qui Socratem secuti sunt, Academicis, Stoicis, Peripateticis animaduersa: eaq; talis atq; tanta, vt nihil humanũ & caducum: sed omnia diuina atq; immortalia esse appareant: & talia sint, qualia esse videntur.

Et quæ hactenus commemorauí, propria sunt Academiæ nostræ, quam instituistis. Nam tertiam partem, quæ sermonis est & linguarum & artis disserendi atq; facultatis dicendi: ita in classicis epistolis distribuimus, & ita coluimus: vt penè propria scholarum nostrarum sint, atq; habeantur.

Quomodo verò illa superiora duo genera, quorũ vnum naturæ est, alterũ morum, tradi ita possint: vt, cùm omnia in scholis legi & explicari non possint: tamen ab omnibus mediocriter intelligi atq; teneri queant: quoniã istud munus mihi mandastis: exponere instituí Academicis epistolis, non vt leges feram cuiquam, sed vt meam sententiam aperiam, & suum cuiq; relinquam iudicium.

Atq; huius rationis conscriptio si vobis atq; Senatuí placebit, assequar, quod velim in hoc tempore: sin minus, tamen quia vestrum mandatum est, contra officium non

faciam obseruantiæ: cuius satis firma defensio est contra impudentiæ vituperationem. Valete.

CAROLO MIEGIO CONSVLARI ET SCHOLARCHAE.

QVoniam institutum Academiæ nostræ est, vt omnia, quoad animus humanus assequi possit, conemur docere: oportet nos præceptores omnia didicisse, id quod nondum adepti sumus. Neq; enim video quenquam nostrum istud sibi potuisse promittere, neq; vt sentio, promisit quisquam: aut si promisit, fecit id magis studio & cupiditate: quàm rei difficilis & arduæ cognitione. Si quis Platonis libros omnes legat, aut etiam Aristotelis, Plutarchi etiam: quotus quisq; est, qui non putet, eos omnia audiuisse, interrogasse, cognouisse? at quot quantæue res ijs defuerunt? Credo equidem, & verum credo: si omnium Philosophorum, siue Epicurei illi sint, siue Academici, cùm veteris tùm nouæ Academiæ, siue Stoici: horum inquam omnium: atq; cæterorum Græciæ totius sapientum si quis doctrinas cogat & redigat in ordinem: tamen videbit, eos potiùs omnia voluisse, quàm potuisse: & magis partitos esse, quàm explicasse: quæcunq; Philosophia profitetur. Et vt nihil aliud esset: certè nihil de Deo, nihil de mundi creatione, nihil de natura hominis: nihil de hominum reditu in vitam dicere potuerunt. Poëtæ Iouis filios ausi fuerunt, & filias nominare: at quantùm aberrarunt vnà cum Philosophis à veri filij vestigatione, vt de cognitione taceam. Iam in Physicis atq; Mathematicis, posterioribus multa inuenta sunt, quæ à primis sapientibus

pientibus fuerunt ignorata. Et tametsi hæc ita sint: tamen quoniam Philosophus vnus omnia quasi profitetur: & id assequi omnes sunt moliti, vt omnia cognoscerent & traderent: cur non nobis idem, quod illis, concessum sit? aut cur nos minus, quàm illi, possimus adipisci industria? an libri nobis desunt? an otium? an stipendia, aut facultates? an denique ingenium? quo si cedimus veteribus, magis id fit corruptela disciplinæ, & ignauia nostra: quàm naturæ facultate, cuius bonitas non minus Dei donum, & beneficium est: quàm frugum atque annonæ. Protulerunt sanè ætates, aliæ aliis & plures, & acutiores, & doctiores homines: vt anni etiam alij ab alijs superantur fertilitate: & habeant Arabes plures ingeniosos viros, quàm Germania habeat: non tamen idcirco Dei tollenda est benignitas: qui humanæ mentis est illuminator. Omne enim ingenij lumen à Deo proficiscitur.

Itaque fuerint doctæ Athenæ: & floruerint ibi Poëtæ, Mathematici, Philosophi: non tamen semper floruerunt eodem modo: neque nobis idcirco negatum est: quia illis istud ante nos concessum fuit: & monumenta literarum nobis reliquerunt: quæ nos docent, quot res & quantas illi doctrina complexi sint: easque intelligunt homines eruditi: & quantum primis additum à posterioribus: & quantum posterioribus adiungi à nobis possit: sunt, qui considerant, & qui animaduertunt, qua via ad hanc facultatem perueniatur. Sed σὼτε δ' ἐρχομένω, vt ille ait, συζητήσει opus est: & vt ille ait in re mala: ita nos in bona loquamur: tradendæ nobis operæ sunt mutuæ: vt si singuli omnia assequi non possumus perfectè: tamen assequamur mediocriter singuli singula: certa verò vnusquisque

pro suo ingenio excolat: cætera, quoad poterit, attingat: et ex alijs suis collegis cognoscat: vt, quod singuli nō habeant, id possideant vniuersi. Quamobrem si vos velitis autores mihi & collegis meis esse: vos efficere possetis, vt artiū & librorum, quos legamus, inter nos distributionem instituamus: vt paucis annis, non in libris atq; bibliothecis: sed in mente atq; memoria, omnia inter nos & diuisa, & cognita, & acquisita possideamus: quæ quidem veterum libris sunt conseruata. Partiantur igitur inter se Theologi autores, quos domi legant, siue Græci illi sint, vt Ecclesiastici sunt historici: vt Chrysostomus, vt Basilius, vt Nazianzenus, cæteriq;: siue Latini, vt Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus.

Idem faciant in suis scriptoribus Mathematici, & Physici. Ego ad dicendi præcepta, & ad Ciceronem atq; Demosthenem: libenter hoc anno apponam Platonis & Aristotelis libros de Republica, & de legibus, & quæ illi de moribus tradiderunt. Idem alij elaborent in historicis, & Poëtis: vt his instructi, in congressionibus & sermonibus quotidianis: in disputationibus & scholis: in declamationibus rhetoricis, aperiant: quot & quantas res mens humana adipisci possit, si conetur: et si rectam rationē & viam ingrediatur: quantos queat progressus facere animus hominis: cōmunicatis studijs: distributis laboribus: distinctis horarum spacijs: ratione denig; ac via modoq; bono.

LAVRENTIO TVPPIO, DOCTORI IVRECONSVLTO.

CRedo & tibi permolestum esse, toties Institutiones Iustiniani

Iustiniani Imperatoris repetere: & ijs, qui te audiunt, iniucundum: nihil abs te præter Institutiones cognoscere. Atq; etiam obficit laudibus Academiæ nostræ: tam paucos nos in nostro gymnasio Iuris habere interpretes. Scio sic à maioribus nostris constitutum fuisse: & idem retinuisse: nisi vnum habere legum explicatorem: & creditum ab illis fuisse: Iuris studiosos dissolutiores esse: quàm sint reliqui discipuli: qui bonis literis & Theologiæ præcipuè operam nauant.

Ac tametsi in cæteris Academijs aliqui petulantiùs vitam instituunt: qui hoc studium colunt: quanquam quid dico colunt? non colunt, qui viuunt turpiter: sed violant vitijs: & vnum ex primis huius doctrinæ præceptis negligunt. Vbi enim illud est? HONESTE VIVERE: tametsi igitur aliqui sint: qui viuunt petulantiùs: tamen hos possumus nos nostris legibus coërcere. Et vsu comperimus, paucitate horarum, non solùm adolescentes, sed pædagogos etiam ipsos ocio vel deprauari, vel languescere: vt antè à nobis discedant: quàm vtrisq; expediat: taceo, quòd etiam ciuium nostrorum liberis hæc paucitas, quæ inopiæ consimilis est, noceat.

Itaq;, si meum consilium locum haberet, suaderem, vt tu cum Beuthero: & Hugone Blotio: & Wilueshemio, Pandectas partiaris: vt reliquis Academijs etiam hac parte philosophiæ componi possimus.

Iuris vestri fontes habetis in Philosophorum libris de Republica, & de moribus: qui libri posthac diligenter in nostris scholis explicabuntur. Præclarè facietis: si & vos vestros riuos ad suam reducatis originem: & illi ex suis fontibus ad vos riuos suos deriuent.

Hac via,

Hac via, & ratione hac, & iucundius euaderet Iurisprudentiæ studium: & labor esset facilior: & plenior fieret legum doctrina.

Vt enim fontium amœnior est aspectus: & sapor suauior, quàm riuorum: & vt pisciculi in illis riuulis, qui è fontibus demanant, sunt salubriores atq; delicatiores: vt sunt salares, & muræniulæ nostrates: sic suam & discũt hanc artem maiore cum voluptate, philosophorum præceptis imbuti: & sanius adferunt ad controuersias distrahendas iudicium: idq; minore labore & faciliore contentione: propter dialecticorum rationes, quas tradunt Philosophi: & quas sequuntur in morum atq; legũ disciplina. Et quid quæso causæ est? quòd Iuris vestri capita vsque adeo mutilata sunt? nisi quòd πραγματικοὶ magis fuerũt: quàm ἐπισκμονικοί? & cùm in singulis occupati essent: neq; intueri potuerunt res vniuersas: neq; vniuersam rem in partes diuidere: quas quoniam ignorarunt, & philosophorum fontes non gustarunt: stagnis suis contenti: fructuosis quidem suo genere piscium: opes potiùs atq; facultates comparare: quàm sapientiam atq; doctrinam perfectam excolere voluerunt. Nam quòd Cicero vel Crassus apud Ciceronem, sermone primo de Oratore: paucis mensibus Iuris sapientiam pollicetur: non potuisset istud profiteri, nisi his artibus Philosophorum atq; Dialecticorum fuisset institutus. Hæc habui, quæ in hoc tẽpore tibi pro nostra necessitudine scriberem, tu, si quid melius habeas, vt Horatius ait: Candidus imperti: si non, his vtere mecum.

DOCTORI MICHAELI BEVTHERO.

Dassypodio

DAsypodio exponam meam sententiam, de tribus nostræ Academiæ voluminibus, quibus contineatur vniuersa Mathematicorum doctrina: vt ijs perceptis: quiuis possit & discere priuatim: & docere publicè: quæ sunt reliqua. Statui autem vtile fore nostro instituto, vt duo prima volumina in duabus explicentur superioribus curijs: tertium publicè omnibus explanetur. Et hæc ratio quoniam vobis heri extra ordinem in vestro consilio comprobata est, rursus ego certè approbo, &, vt felix ea sanctaq; sit nostris ciuibus, atq; etiam exteris nationibus, opto.

Sentio autẽ primo volumine comprehendenda esse quatuor artium principia: Geometriæ, Logisticæ, Astronomiæ, Geographiæ. Principia verò στοιχεῖα ea voco prima: quæ traduntur ante problemata, & theoremata: vt sunt definitiones, partitiones, axiomata, ætemata: quibus scilicet principijs insequentia probantur, ac demonstrantur proposita: siue ad efficiendum aliquid directa illa sint: siue ad intelligendum.

In secundo verò opere, doctrina tradetur maior logistices: & regulæ comprehendentur logistices cùm quotidianæ: tùm illius, quæ astronomica à vobis nominatur. Plenior etiam doctrina Astronomiæ, de primo motore globi: & cœli motu: de terræ situ: de cœlestibus circulis: de ortu & occasu siderum: de dierum atq; noctium differentia: Zonarum & climatum descriptiones: explicatio etiam aliqua de solis defectionibus: non, vt hæc demonstrentur more vestro Mathematicorum: sed vt, quæ sint & qualia existant, agnoscantur. Nam & nos scimus discrimen illud vestrum: τὸ ὅτι & τὸ διότι.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

Iam tertium volumen complecti debet horum omnium ἀποδεικτικὴν *explicationem: &* ἀναλύσεις *sex librorum Euclidis: & confirmationes logisticarum præceptionum: & Gebranum* κανόνα: *etiam Astronomicas conclusiones primi motoris: & Theoricas expositiones Planetarum.*

Et quanquam hæc tria sunt volumina: non tamen idcirco ternas singulis oportet impendere horas: sed singulas: sunt enim ingenia tribus distincta locis: primæ & secundæ curiæ, & publico auditorio: concedes enim mihi, Beuthere, vt in nostro instituto, verbo mihi Quintiliani & Plinij vti liceat. Ergo & classicis ipsis spacium datum est, ad reliquas scholas: quas dicendi & disserendi ratio requirit: & qui publici vocantur: vna hac occupati, tres poterunt & amplius reliquas horas in alijs studijs adiungere: quarum diligens habenda ratio est: & distinguenda sunt ea, quæ cognoscuntur quotidie: ab illis, ad quæ paucis horis fit digressio. Quotidie enim, si fieri poterit, docere debent Ethica, & Physica, & Dialectica Aristotelis: at satis est, te binas horas dare duobus tuis globis: vni Astronomorum, alteri Geographorum.

Sed ego classes, quas vocamus: cupio quàm literatissimas esse. In his enim fundamenta ponuntur architecturæ nostræ: in his nostræ agriculturæ seminaria: ex his ad publica subsellia ascendunt: qui nobis, qui publici vocamur, præscribunt: quantas res scire, & quomodo eas docere debeamus. Nam qui frequentia delectatur eorũ, qui audiunt: qui eos iuuare & docere volunt: eos oportet excellentius aliquid facere: quàm in classibus perceperint.

Et quantum ad Mathematicorum doctrinã attinet: satis instructi sumus à Dasypodio: te præsertim adiutore:

quorum

quorum vterq; hæc præclarè tradere potest: & vterq; studiosi estis linguarum: & cupidi elegantiæ literarum: & inimici impuritatis: & hostes barbariei: & vterq; Academiæ nostræ vultis & causam, & amplificationem, & laudem perpetuam. Non enim vs, qui viuunt, prodesse volumus: sed posteris etiam nostris, quod diuturnum & perpetuum sit, tradere. Vale mi Beuthere.

CONRADO DASYPODIO MATHEMATICO.

MEmini in quadam epistola ad Capitonem, Theologum olim Vrbis nostræ, Martinum Lutherum scribere: ex omnibus scriptis suis, nullum esse, quod sibi probetur: præter Catechesim suam: & alterũ quoddam, quod nominare non volo: propter infesta & perniciosa nostro tempore Ecclesiarum dissidia.

Sanctissima apud me est Lutheri memoria: itaq; libenter vtor eius quasi autoritate: & nihil esse aio in hac constitutione Academiæ nostræ: quod mihi magis placeat: quàm primordia ipsa, quæ in libro, quem ante annos triginta duos de literarum ludis rectè aperiendis edidi, apparent: & renouata sunt in classicis à me epistolis.

Ac certè si interroger: si alterutro carendum sit: vtrùm classicam illam rationem mallem aboleri: an ab hac Academiæ constitutione recedere: malim id retinere: quod annos iam triginta, ab omnibus & approbatum & laudatum extitit.

Nam tametsi propter eas artes, quæ λογικαὶ nominãtur: classes potissimùm institutæ sunt: tamen hæc ipsa facultas

sermonis: tùm puri, tùm veri, tùm diserti: ita traditur in his sce ordinibus: vt etiam reliquarum scientiarum condoceantur principia: atq; præcepta intelligantur: præsertim cùm ea, quæ eximia sunt apud Poëtas, & Oratores, & Historicos: quos classici interpretantur: ex Philosophorum sint deducta riuulis.

Sed præclara tamen accessio est ad vetus facta institutum: nouo Maximiliani Cæsaris Augusti beneficio: quod si Iacobo Sturmio prætore, aliÿsq; etiam prætoribus, atq; consulibus, Theologisq;: quorum magna per totam Europam autoritas erat, obtineri potuisset: perfectam iam, quam nunc quærimus, haberemus Academiæ constitutionẽ.

At ita hæc instituenda est: vt ne classium puritas negligatur: & vt nil his ipsis auferatur eorum omnium, quæ inde ab initio huc vsq; sunt professa.

Primùm igitur abs te contendo: vt principia Mathematicorum in hisce curÿs supremis duabus doceantur: duobus illis, de quibus inter nos locuti fuimus, voluminibus: quorum alterum abs te habemus: quod secundæ curiæ erit: alterum à te etiam expectamus: & primæ curiæ conficiendum: vt ÿ, qui ex primo ordine progredientur: quod reliquum est in hisce studÿs: biennio comparare & absoluere possint. Atq; hisce principÿs, Euclidis primum librum addo: vt in libro de literarum ludis traditur. Nam quoniam ἀποδεικτικὴ explicatur in prima tribu: cur non Euclidis hĩc primus liber? qui solus omnium eorum, quæ in hac logicæ parte docentur, exempla continet: & nihil est, quod doctrinas magis obscuret: quàm exemplorum inopia: imò absq; hisce elementis ea, quæ ἀποδεικτικὴ dicitur, percipi non queat.

Vnum

Vnum igitur istud est: quod classibus adimi nolim: imò quod adiungi velim: vt & amplius aliquid explicetur: & omnia dilucidè intelligantur: quæ in hac gymnasij nostri parte sunt cognoscenda.

Alterum est: vt ne accessione Mathematices, puritas sermonis Latini corrumpatur. Habent enim omnes scientiæ sua propria rerum vocabula: quæ aut non in Græcis rectè intellecta: aut barbarè conuersa: vt malum fermentum, farinam totam, quæ fermentanda ad sanitatem & voluptatem est: corrumpit contra valetudinem ad fastidium: sic hæc linguam contaminant: & sermonem purum vitiant.

At quid quæso laudis habuit tot iam annis ludus noster? quàm disciplinæ in moribus: & elegantiæ in loquendo atq; scribendo?

Placet igitur mihi facere te, quod facere instituisti: & exponere Procli Sphæram, & quæ in Sacrobustani Sphæra vtilia sunt: & à Proclo non annotata: ea ex Græcis scriptoribus arcessas: sed Græcis retentis, aut etiam seorsim in fine libri puriùs quàm in Sacrobustano tradita sunt, conuersis: cuiusmodi autores esse scis Ptolemæum, Achillem Statium, Proclum etiam ipsum, & Cleomedem, & Hipparchum Bithyniũ, & Euclidis Phænomena, & Sphærica Theodosij. Nõ pauca etiam Theon suppeditabit: quos scriptores scio te omnes habere. Verùm ista omnia bona ratione & modo: vt ne magnitudo aut confusio fatiget animos discipulorum. Breuitas enim in multis & varijs applicari desiderat, & in hac varietate Horatianum illud tenendum est:

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citô dicta
Percipiant

Percipiant animi dociles, teneantq; fideles,
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Vt enim, quicquid pleno vrceo infunditur aquæ: id defluit: sic etiam, quicquid in docendo superfluum est: memoriam fugit: quæ sese in breuitate reficit atq; oblectat.

Sed vt hæc assequaris: atq; efficias: horarum requiritur descriptio: de qua inter nos disseremus. Et placet mihi, vt sex horas singulis consumas hebdomadibus: binas in secunda tribu in volumine primo: totidem etiam in prima & altero volumine: in tertio opere publicè doceas binis etiam horis. προγνωσικῶ *etiam, quam* προρρητικῶ *vocat Laërtius, vtile videtur, extra ordinem priuatim te tradere, vt prouoces acutiora ingenia ad amorem harum disciplinarum: id quod Philippum Melanchthonem factitasse animaduerto. Velim autẽ ignoscere te mihi, quòd plus tibi imponam oneris, quàm tu mercedis assequaris. Nam istud nobis omnibus faciendũ est: vt plus laboris suscipiamus: quàm superior requirebat consuetudo. Tribui verò tibi semper laudem industriæ & diligentiæ: quam nobis, quamdiu prorector fuisti: multis indicijs comprobasti. Vale. Argent. 69.*

CONRADO DASYPODIO.

Quæris ex me, Dasypodi: quem ego esse putem magistrum Philosophiæ: & quem hominem dignum tali & tanto nomine. Magnum enim certè nomen est: & longè glorioſius, quàm ipsum Philosophi vocabulum: qui cùm studium sapientiæ sibi vendicat: sapientiam veretur sibi

retur sibi arrogare. Eum enim magistrũ Philosophiæ esse statuo: si verbum consideres: qui omnia, quæ Philosophus scire auet, siue illæ res diuinæ sint, siue humanæ: omnes, inquam, has res cognouit: & didicit: scit, & docere potest. Nosti illam vocem Euangelicæ sapientiæ: σὺ εἶ διδάσκαλος τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; Jesus Christus sempiterna Patris sapientia atq; imago, quoniam se magistrũ cognominari voluit: Nicodemus rei inuisæ & inauditæ plerisq; omnibus hominibus cognitionem in ipso magistro requisiuit: hominum παλιγγενεσίαν: cuius Pythagoras Philosophus nomen inuenit: rem ipsam & causam ignorauit: imò ne cogitauit quidem. Omnia requirit: qui summa efflagitat.

Sed hanc ego perfectionem atq; consummationem sapientiæ optandam potiùs esse credo: quàm præscribendam nostris hominibus. Mediocritate contentus, nõ perfecta doctrina, sed studio & viribus, hanc facultatẽ metior: & eum magistrum artiũ atq; doctrinarum esse statuo: qui ea, quæ Philosophi inuenerunt atq; suis monumentis literarũ nobis communicarunt: si ea assecutus est, docere potest: sin minus: tamen potest per se cognoscere: & alios docere. Διδάσκαλον enim Græci vocant, hoc est, doctorẽ: qui qualis sit, absq; discipulo intelligi non potest: cùm tamẽ μάθησις atq; διδασκαλία eiusdem sint & hominis & potestatis. Perfectam habent propè scientiam ij, qui Mathematici vocantur: & tamen nemo illorum in quadrum potuit adhuc redigere circulum: & Archimedes ignorabat id, quod quærebat: antequam diceret, εὕρηκα. An idcirco tùm non Mathematicus? nequaquam: erat enim summus & propè perfectus: satis enim erat potuisse inuenire. Ante Socratem omnes

tem omnes Philosophorum familiæ ignorabant doctrinam de moribus: quæ multas & magnas sub se artes continet. Complectitur enim non solùm, quæ traduntur de moribus hominum atq; virtutibus: verùm etiam ciuitatum, quam πολιτικὴν nominant: in qua etiam est ἡ νομικὴ: Iurisconsultorum doctrina: & οἰκονομικὴ: singulorum hominũ rei familiaris administratio.

Et quanquam hæc omnia ante Socratem explicata non erant: tamen omnes Philosophos sese appellari non recusabant. An idcirco ergo non Philosophi? minimè: semper enim discendum aliquid est. Annos ego iam quadraginta & amplius, doceo artes dicendi: & hoc sexagesimo tertio ætatis meæ anno, quotidie aliquid in his artibus obseruo & annoto: quæ antea à me fuerant prætermissa. Concedamus igitur stulticiæ hominum Magistri tanquam honoris vocabulum: vt statuant plus Philosophum, quàm Philosophiæ magistrum profiteri: & studio & diligentia vehementi, & facultate atq; doctrina mediocri, magistri officium describamus, & eum esse proponamus: qui ex scholis Grammaticorum adfert sermonem purum atq; dilucidum: ex disceptationibus Dialecticorum differendi præcepta Aristotelis Organo explicata: ex Rhetorum verò officina sermonis ornati & apti doctrinam, & scribendi atq; dicendi aliquam facultatem.

Adhæc teneat ea, quæ tribus voluminibus, in nostro gymnasio & à te complexa sunt. Hunc, inquam, decerno: satis instructum esse à Philosophiæ apparatu: vt quæ necessaria sunt, & tradita à Mathematicis atq; Philosophis, & legendo atq; cogitando discere queat: & dicendo explicare: & eundem ad hoc cognomentum: hunc ad istum honoris

noris gradum, admittendum esse sentio. Sed omittenda non sunt, quæ sunt præcipua: & propria Socraticorum: de Ethicis loquor & Politicis atq; Oeconomicis: de quibus modò dictum est: vnà cum Physicis Aristotelis, definitionibus, partitionibus: cæterisq; huius generis, quæ ad naturam pertinent: cui muneri Bruno noster præpositus, quem ita confido explicaturum Aristotelem: vt adolescentes necessaria memoria custodiant: controuersa intelligant: sed ita, vt, quibus rationibus falsa refutata ab hoc autore sint, cum voluptate animaduertant: quorũ cognitio & distinctio & digestio: ex fallacijs sophistarum Aristotelis nostri sumenda est. Nam absq; huius fucosæ artis obseruatione: nihil Aristotelicis disceptationibus possit esse magis infrugiferum: nihil fastidiosum magis. Hæc inquam vel didicisse: vel per se posse quotidie discere perfectiùs: magistri Philosophiæ esse statuo facultatem atq; officium. Sed vtilior futurus hic doctor erit hominum societati: si ea, quæ didicerit: doceat. Est enim quidem scientiæ & doctrinæ didicisse: sed est virtutis atq; officij explicare. Non enim θεωρητικὸν solùm nostræ Academicæ scholæ requirunt: sed πρακτικὸν etiam efflagitant: qui labor à discipulo suscipitur discendo: sed docendo à præceptore explicatur.

EXAMINATORIBVS.

AVdio, heri relatum ad vestrum consilium esse: de probatione eorum: qui lauri baccis donandi sunt: de quibus nihil certi decerni poterit: nisi cognoscatur: quarum rerum Philosophiæ magister sese doctorem esse profiteatur:

fiteatur: de cuius officio ego heri ad Conradum Dasypodium scripsi: in qua epistola hæc mea est sententia: vt, qui eas res omnes, quas Philosophia traditas habemus: aut teneat intelligendo: aut tantum teneat: quantū ad cæteras per se percipiendas absq; doctore sit satis: docere eas possit. Nemo enim extitit vnquam, qui sciret omnia. Discēdo senescimus: & quò quis plus, quàm cæteri, industria assequitur: eò doctior illis habetur atq; perfectior. Ac vos certè, qui Examinatores vocamini: quasi quæsitores & probatores ingeniorum: non minimum onus vestris mihi humeris sustinere videmini. Neq; enim tùm demum vestrum initium sumit officium: cùm progressiones faciendæ sunt: & illæ sunt in expectatione propter Autumnum: sed inde ab initio anni: vnà cum magistrorum, qui docent, fide: & eorum, qui hos audiunt, adolescentum industria, necesse est explicari. Vestrum enim est scire: quas res doceant magistri: & quibus eas rationibus explicent: siue perpetua oratione eas tradant: siue interrogationibus explorēt. Tum etiam ingenia vobis discipulorum: & facultates suis sunt ponderanda momentis: vt, antequam honos cuiq; ordine tribuatur: & priusquam quærere atq; interrogare incipiatis: quid vobis pronunciandum sit: quasi diligentiæ & artificis statera sit examinatum.

Atq; apes quidem examina sua cùm eiiciunt: sobolem parentes eiiciunt tanquam in nouam coloniam: ipsi verò in suis remanent sedibus. Vobis verò contrà faciendum est: vt adultiores extrudatis, eorumq; in locum substituatis iuniores: nouamq; veluti sobolem. Illud tamen simile in vestro officio est: quòd illæ eas in alia loca educant: quæ nouas sedes quærere possint: & quean-

t m elli-

ant mellificare: & cùm primùm in aluearium nouum ingrediuntur: fauos queant confingere: & ceram conficere: & inter sese distinguere domicilij fundamenta: vt ipsa κόμμωσις à πισσοκήρῳ distincta sit: & hoc à propolide sit separatum: imò, vt Rempublicam constituant: secum Regem educant: & duces atque consilia describant: quam disciplinam secum deportant à parentibus atque è patria: quasi in nouam orbis terræ regionem: in quam etiam cibum secum & materiã deferunt: vt ingressæ in domicilium nouum: statim conclauia ædificent: quæ hora vna posteaquam inuolarunt, nidolis distincta possunt conspici.

Sic quos vos probabitis: & quos baccata corona donabitis: necesse est, vt secum apportent ad gradum superiorem: quibus adiuuentur ad coædificandum sapientiæ templa: in quibus aliquando omnia queant diuina atq; humana contemplari.

Itaq; in his sermonem primùm purum & latinum atq; perspicuum requiretis: quem acceperunt à Grammaticis: deinde ornatum ex doctrina Rhetorum: quam tradit classis prima: tùm veritatis regulam, non popularem trutinam: sed Dialecticorum stateram: quam accipiunt duabus supremis curijs. His adiungentur duo volumina Mathematica: quæ vno anno explicari possunt ab vno eodemq; interprete. Nam tertium volumen ijs comparatum est: qui sese magistros artium appellari volunt: quod duobus annis exponi potest ab eodem: qui duo volumina in secunda & prima curia tradit. Hæc ita distincta sunt: vt cum senis horis omnia tria explanentur hebdomadibus singulis: singuli tamen discipuli: horas duas tan-

tùm: singulis hebdomadibus consumant, nullo labore: ne molestia quidem: aut vlla impeditione reliquorum studiorum. Equidem, si quisquam alius, odi epitomas: præsertim eas, quæ ab autorum verbis & ordine recedunt. Improbo etiam eos, qui scriptores ipsos docent ἐπιτομικῶς & quasi carptim. Autoritates enim & præcepta suis debent autorum verbis tradi: & sensum totum & rationes omnes continere: quæ in autore sunt, non solùm in his Mathematicorum doctrinis, verùm etiam in disciplina morum: & in naturæ explicatione. Sed hæc tria, de quibus loquor, volumina: nulla in parte ab autoribus suis recedunt: eadem retinetur doctrina: eædem repetuntur definitiones & partitiones: eadem theoremata atq; problemata: yſdem etiam autorũ, idq; optimorum, idq; Græcorum verbis atq; vocabulis: integris etiam aliquando voluminibus.

Verùm redeo ad vestram probationem: si qui ex prima curia: ad publicas scholas: horum duorum voluminum baccas attulerunt: ydem ex his seminibus si serant: lauros excolere poterunt, perpetuis fructibus: vt nihil difficile illis in tertio futurũ sit: quo percepto: nihil tam obscurum & reconditũ in his studijs est: quod nõ suo, vt aiunt, Marte queant discere atq; docere: id quod officiũ magistri esse ducimus. Si hæc omittantur, quid quæso Academia nostra habebit singulare? quomodo ad id fastigium, quod propositum à nobis est: poterimus vel aspirare, vel ascendere?

IOANNI REINHARDO DIALECTICO.

QVòd vobis consilium meum de tribus voluminibus placet

placet Mathematicis, vehementer gaudeo. Ita enim futurum video: vt altero anno posteaquam discipuli nostri ex curijs progressi erunt: magistri queant appellari. Nam si istud in Mathematicis assequemur: cur non idem comparemus in ijs artibus, quas λογικάς vocant?

In prima enim & secunda tribu Dialecticorum vtilia & necessaria propè omnia præcepta breuiter quidem, sed tamen perspicuè explicantur. In ys autem non latum digitum declinaui à doctrina Aristotelica: ipsum Aristotelē & explicatores eius secutus: quorum regulas enumeraui potiùs in locis multis, quàm exposui: verùm ita: vt qui te iam audiunt exponentem Analytica: nihil nouum, nihil inauditum, nihil non ratione aliqua præcognitum recognoscant. Sed vt in Mathematicis, sic etiam in Rhetoricis & Dialecticis præceptis: duos esse oportet, qui has artes doceant. Atq; in Rhetoricis Erythræum & me habent scholæ nostræ: tu socio & adiutore cares. Hertelium enim nobis podagra continens: doctissimum cæteroquin virum, & vtilissimum, dum valuit, gymnasio nostro hominem, domi detinet, vt alius nobis quærendus sit: nisi Scholarchæ nobis Speccerum reddant: id quod video obtineri non posse: propter quotidianas in Ecclesia occupationes. Meum consilium si locum haberet: suaderem, vt Theophilum Golium adiungerent: & alius quæreretur: cui prima curia committeretur: reliqui ordine ad superiores tribus ascenderent, id quod minori stipendio fieri possit: & omnium eorum, qui succederent, gaudio atq; lætitia.

Si hic Analytica priora demonstraret: & tu posteriora explicares: à te acciperemus quot annis: qui magistri atq; doctores Dialectici dici & haberi & esse possent. Sin ob-

tineri non queat: id quod non puto: duplicandum tempus esset: & protrahendum curriculum studiorum: id quod alijs moram: Dialecticis fastidium: omnibus sumtus atq; impensas maiores pareret: & ærarium Academiæ non paruum detrimentum faceret.

De modo docendi, & de explicandi elegantia non est quod te moneam: nosti optimum docendi modum esse positum in explicandis verbis Aristotelicis: in exemplis: tùm in demonstrationibus Mathematicorum: tùm in Dialecticis conclusionibus Ethicorum: quorum magnam copiam Plato noster suppeditabit. Philippus Melanchthon, quem honoris causa nomino: cùm alia multa scripsit præclarè: tùm in exemplorum explicatione & acutus fuit, & perspicuus: quos tu libros discipulis commendabis, vt domi legant: non enim explicatorem maximopere requirunt: lectore contenti diligentiore.

Quid de elegantia tibi scribam? æquè enim atq; ego perspicuitatem amas, & puritatem sectaris, & ornatum quæris: &, quod aptum atq; decorum est; in dicendo requiris.

Duæ enim sunt res, propter quas scholæ nostræ multos iam annos maximè laudantur: disciplinæ grauitas, & eloquentiæ studium: quorum vtrumq; nisi retineamus: actum est: & eam, quam inuenimus superioribus annis, laudem, nouo isto instituto amitteremus. Sed si & has retinebimus: & adiungemus ista Academica: & nos ad vetera Athenienſium referemus gymnasia: nisi inuidiosum esset: libenter dicerem: magnum nos aliquod, & eximium, & singulare Ciuitati nostræ ornamentum cum omnium bonorum comprobatione possemus adipisci.

VALEN.

VALENTINO ERYTHRÆO RHETORI.

SAEpe animaduerti: eorũ, qui publicè in noſtris ſcholis docent: & Poëtas, aut Hiſtoricos, aut Oratores explicant: arduum & difficile munus eſſe: & ſæpe admiratus ſum: cur in claſsibus maior ſit frequentia: quàm in publicis Rhetorum & Poëtarum ſcholis, imò ſæpe in hiſce profeſſores earum deſtituantur auditoribus. Animaduerti autẽ vnam eſſe cauſam: quòd in curijs, quas vocamus, etiam inuiti retineantur diſciplinæ neceſsitudine & temporis atq; tribuum deſcriptione. Alteram verò: quòd in his ipſis locis inferioribus ſcriptores exponantur omnis generis. Nam & Poëtas habent, Homerum, Pindarum, Sophoclẽ, Euripidem, Græcos: præter Latinos, Vergilium & Horatium: & Hiſtorici ibi exponuntur vtriuſq; linguæ: Demoſthenis verò & Ciceronis monumenta præcipua. Itaq; ad liberas noſtras ſcholas progreſsi: & res ſecum adferunt: & omne genus verborum: ſi non aliquid à nobis cognoſcant, quod nouum ſit, atq; inauditum, dilabuntur: & vel delabuntur ad alios, qui res nouas docent: vt Iureconſulti ſunt, quos hucuſq; paucos habuimus: vel propter horum paucitatem ocio ſeſe dedunt, & ocio pereunt. Ac reliqui quidem præceptores ſuam poſſunt retinere frequentiam, vt hi ipſi Iureconſulti, quos ſpero nos habituros plures, & Ethici explicatores, & Phyſici, & reliqui Mathematici: propter quos non viſas merces habent: nos verò eaſdem proponimus: quas niſi aliter exornemus: quàm in curijs claſsicis, actum ſit: eueniunt illa, quæ ſenſimus aliquibus euenisſe, incommoda.

Et certè,

Et certè, qui ex alijs locis ad nos venerunt: hac in parte valde laborarunt: & pauci frequentiam retinuerunt: nos adhuc consistimus: fortassis, quòd διαλεκτικώτερον *aliquid, &* ῥητορικώτερον *adferamus.*

Ego semper animaduerti, discipulos nostros breuibus partitionibus in singulis orationis partibus: & in vnoquoque genere argumentorũ digestione delectari: & voluptatem capere ex comparationibus exemplorũ: plurimum etiam adferre ad delectationem: si sententiarum genera ad suam reuocentur originem: & illa, quæ docent, ab alijs, quæ aut concilient, aut flectant, separentur: & Democraticæ ab Aristocraticis regijs distinguantur: imprimis verò harum expolitio placet: præsertim, si præmonstremus: quibus in rerum generibus similis debeat & possit adhiberi & ordo, & ornatus: quà in re Hermogenes quidem nos adiuuat, sed subtiliter: Cicero verò copiosè, & cum ornatu: ex quo etiam eorum, quæ ab eodem præcipiuntur, exempla capimus. Quid enim ornatius, quid plenius, quàm tres libri de Oratore? quàm Orator perfectus? quàm de claris Oratoribus? quibus ego me imbutum & eruditũ libenter confiteor. Sed dum aliquid excellentius nos facere oportet: quàm in curijs faciant: interea non nobis nimium debemus magna polliceri de nostrorum discipulorũ ingenijs atq; doctrina. Nuper enim orationem Milonianã explicans: sensi, eruditiores etiam aliquot illa ἀναλύσει *oblectari. Cùm enim Exordij partem priorem quatuor generibus personarum dissoluissem, Ciceronis, Pompeij, amicorum, &, vt Plautus ait, fauitorum: & Clodianorum: vt posteriorem partem tribuissem* κατασάσει: *quæ præcipuos complectitur status: &* planè τεχνικῶς: *mediocriter stabam hac*

bam hac distinctione. Sed quæ sequebantur: sensi probari magis: indicabam aditum ad ipsam refutationem: Sed « antequam ad eam orationem venio: proponebam Clodianũ κεφάλαιον: Negant, intuerí lucem esse fas ei: hinc addebam « Ciceronis ἀντιπροβολὴν: In qua tandem urbe: ostendi pòst « genus ipsum refutationis: cuius argumentationem in duas digessi capitum formas: quarum una est παραδειγματικὴ: consimilis Philosophorum ἐπαγωγῆς: & sex enumerauí auctoritates atq; exempla: & illorum monstrauí συνέχειαν, quæ est collocationis. Hoc demonstrato genere perbreui: ad alterum, quod δεικτικὸν atq; συλλογιστικόν: & primã illam propositionem, quam Dialectici vocant τὸ μεῖζω, transij: Atq; si tempus est vllum: & hanc indicaui conformi e- « xemplo adolescentis militis: & quum istud exemplum à superioribus differret, non prætery. Inde ad illam ἐλάττω veni: illiusq; approbationem: Insidiatori verò & latroni: « tùm ad illam concinnam ἐξεργασίαν vtriusq; propositionis: Est enim hæc, Iudices, non scripta, sed nata lex. Deinde « breuem illam ἀπόδοσιν subdidi: de legislatoris sententia: « postremò conclusione absolui hunc locum: Quapropter hoc « maneat in causa, Iudices. Cum viderent, quomodo ra- « tio vna aduersarij duplici contraria ratione refutata esset: & animaduersa collocatione singulorum: & annotatis generibus verborum, illorumq; ornamentis: simul obseruatis sententiarum acumine, earumq; insignibus: & similibus breuiter notatis à me virtutibus: & vsu præmonstrato: quàm latè pateat: & ad quas quótue res hæc forma queat applicari: videbatur mihi, ipsos videre: quantũ Cicero ab alijs differat scriptoribus: quantũ esset discrimẽ inter Forense dicendi genus: & Philosophorum aut Historicorũ.

Ignoſces mihi, quòd hæc ego ad te veteranum militem & veganium propè ſenem: proſpicientem Herculis poſtem: nondum tamen ducentem ilia, ſed ferocem adhuc frenis equum, & frena mandentem. Scribo autem, vel quòd delectent me adhuc iſta primæ ætatis meæ προγυμνάσματα: *vel quòd putem, profutura iſta ſuo exemplo: vt, ſi ego ſenex iſta non negligam: cogitent, qui me ætate ſequuntur: nihil dedecere in omni ætate: quod iuuentuti aliquo modo prodeſſe poteſt: & pertinet ad vitæ atq; muneris officium.*

IOANNI BRVNONI
PHYSICO.

IN Phyſicis non dubito, quin, ſi velis, poſſis præclaram operam nauare: velle autem te ſcio: cùm, vt patriæ proſis, & præfectorum expectationi ſatisfacias: & meis votis reſpondeas: cui ſcis ſcholas noſtras eſſe charißimas: tùm imprimis verò, vt exiſtimationem de te doctrinaq; tua noſtram & omnium hominum non ſolùm confirmes, ſed etiam amplifices ad memoriam ſempiternam. De facultate tua nullum etiam nobis dubium eſt: qui & tuapte natura es, & ſemper fuiſti diligentißimus & ſtudioſißimus harum artium: & Witembergæ Doctores habuiſti, poſteaquam à nobis profectus ad eas partes fueras: Witembergæ, inquam, & in Italia homines literatißimos & eruditißimos: imprimis verò Cardanum, virum iam in omni Philoſophia: tùm præcipuè in hiſce tuis ſtudijs exercitatißimum: cuius familiaritas, vt ſæpe ſenſi, te ſolet etiam in his remotißimis ab eo locis delectare. Sed tamen in hac tua voluntate & induſtria, & facultate: arduum &

duum & difficile munus sustines: dum Aristotelis doctrinas profiteris & explicas. Nam tametsi hic autor optima via & ratione doceat, & sit, vt nunc loquimur, præ cæteris scriptoribus omnium temporum methodicus: tamẽ, quoniam illius copia ad breuitatem contracta est: ex scriptore perspicuo, obscurus effectus est: & cùm doctrina omnis non tam exponatur copiosè, quàm enumeretur concisè: reddita est subtilior: quæ subtilitas peperit tenebras: quibus intelligentia impeditur, & fatigatur memoria: nisi artificem nacta sit, qui omnem difficultatem depellat, noua aliqua voluptate: quam ego quatuor in rebus positam esse puto: & arbitror te etiam animaduertere.

Earum rerum prima ratio est, vt verborum vis intelligatur & retineatur in omni explicatione: in qua ego ita soleo esse solicitus, vt vel ab Aristotele non soleam discedere, vel vltra Themistij paraphrasim procedere.

Altera ratio est posita in ipsis Exordijs disputationum: quas Rhetores in suis causis κατασάσεις nominant: problemata, inquam, totius futuræ disceptationis. Hæ si ita demonstrentur, vt ordo animaduertatur, perfectio intelligatur, res ipsæ videantur: omniaq; ad memoriam in extrema parte scholarum reuocentur: tolletur difficultas: discutientur tenebræ: fiet onus leuissimum: quod, antequam intelligebantur: grauissimum visum est.

Tertia ratio est, in refutationibus contrariarum opinionum: quas ostendit esse, aut falsas esse, aut res earũ effici fieríue, aut esse non posse: earum scilicet, vt Dialectici & Physici vocant, τὸ ἀδύνατον. Hic suaue est ex præceptore intelligere causas erroris ex sophisticis elenchis: & veritatem earum rationum: quas contrà in medium attulit

Aristoteles. Sed hic cauenda prolixitas est: & nihil est, quod huc maius lumen adferat, quàm breuitas: quæ sita est tùm in expositione eius, qui docet: tùm etiam interrogatione. Non enim in hac Philosophia perpetua oratio semper vtilis est: sæpe animus interrogando, & excitandus est, & docendus.

Quartum est: in Aristotelis doctrina demõstrandas nam superiora ἀναστκθιαστικά sunt: hæc verò κατασκθυλώ requirunt: & confirmationem desiderant argumentationũ: & indicationem ordinis: in quo definitiones, & partitiones, & quæ ex his deducuntur problemata & theoremata continentur: in quorum tractatione, quoniam in dubijs generibus argumentationum versatur: quarum vna est συλλογισμῶν, altera ἐπαγωγῶν: sæpe hæc aliqua copia illustranda sunt: vt singulorum & partes, & collocatio, & numerus teneatur. Sed quid ego hasce aues ad tuam bibliothecam Athenasq; tuas? Non enim hæc scribo: vt te doceam, sed vt videas, me etiam aliquando philosopharı: & vt omnes intelligant, quæ docendi ratio in hac nostra noua Academia sit proposita.

HVGONI BLOTIO: IVRECONSVLTO: DOCTORI Ethico.

QVod heri mihi dixisti, Bloti: molestum esse ijs, qui te audiunt: primùm quòd à quinto Aristotelis libro de Moribus initiũ sumseris: deinde, quòd hora quarta pomeridiana eam doctrinam tradas: vtrumq; credo verum: & miror, te hac incommoditate gemina: tamen retinere discipulorum frequentiam. Lator

Lætor tamen: quòd ita doceas: vt neq; tenebræ noctis: neq; frigora hyemis, quicquam imminuant vel in te de diligentia: vel in tuis auditoribus de aßiduitate. Videbaris autem mihi in eodem heſterno ſermone noſtro: aliam requirere horarum diſtributionem: & locorum diſtinctionem aliam: quàm quæ inſtituta eſſet. Equidem quemadmodum iſta in publicis ſcholis deſcribi & diſcerni debeant: cùm in libro de literarum ludis, expoſui: tùm in claßicis meis epiſtolis. Et hæ Academicæ noſtræ aliquid etiam lucis adferunt: ſed tibi tamen breuiter meam exponam ſententiam. Si horam quiſq; ſuam magiſter poſtulet: & tamen in eodem loco, in quo etiam reliqui docent: qui publicis ſcholis præfecti ſunt, docere velit: neq; multi docere poterunt: neq; multa poterunt explicari anno vno. Et iſtud eſſet potiùs ſuam autoritatem augere: quàm ſingulorum vtilitatem quærere. Si omnes velint eandem ſibi dari frequentiam: & auditores eoſdem: iniquum poſtulant: & ingeniorum genera confundunt, atq; æquè, vt ſuperiores, rem ſuam quærunt. Si vnus arbitretur, annis ſe duobus poſſe Organum Ariſtotelis, vt oportet, explicare: aut doctrinam naturæ tradere, quemadmodum decet: aut abſoluere, vt rei magnitudo requirit, diſciplinam morum & rerumpublicarum: is mihi rei magnitudinem non videtur rectè conſiderare, ſed plus oneris humeris ſuis imponere, quàm vires ſuſtinere & perferre poſſent. Cur non in cæteris artibus atq; doctrinis: eadem queat retineri aut inſtitui ratio: quæ in ſcholis Grammaticorum, & in claßibus? In curijs enim ſex ijſdem horis docent omnes: ita vt nullus tranſiliat ſua ſepta: & alterius poſſeßionem occupet aut impediat: & in quarta &

tertia curia ita explanantur autores: vt neuter præceptorum alteri obsit aut obficiat: & in secunda tribu & prima: Dialectica præcepta absq; vlla impeditione tradũtur. Ac tametsi puerorum ætas: & illius ætatis imbecillitas: plures præceptores & maiorem partitionem laborum requirat: tamen etiam maiores publicarum scholarum doctrinæ non vno possunt contentæ magistro esse: veruntamẽ à paucioribus edoceri poterunt. Et sic arbitror: sic etiam, si mea esset autoritas, statuerem: vt Dialectica, Rhetorica, Mathematica, binis quotidie magistris annis duobus, hisce publicis auscultationibus explanentur. Hac etiam ratione horas satis nobis multas fore puto quotidie ad hæc conficienda: si, vt in classibus, bini in suo genere: separatis in locis, sed ijsdem horis, doceant: distinctione tamen librorum atq; ingeniorum facta, vt faciliora tradantur imbecillioribus: difficiliora peritioribus demõstrentur.

Vt enim vnus Ethica Aristotelis annis duobus tota, vt oportet: aut etiam Physica: aut Dialecticum Organum vnus doceat, fieri non potest: ἐν τοῖς δυνατοῖς *officium nostrum versatur: stulticia est* ἐν ἀδυνάτοις *laborẽ instituere. Sed quoniam horarum satis etiam æstiuus dies suppeditare non possit: si quisq; suam velit sibi vacuam dari: cõmunicandæ quædam horæ binis aut ternis sunt. Cur enim Iurisconsulti duo ea hora, qua docent Theologi: alter Institutiones, alter Pandectas non doceat? cur non duo Mathematici hora prima: cur non secunda duo Ethici: & tertia Physici duo? si, vt libri discriminati sunt difficultate & facilitate: ita etiam auditores distribuãtur ingenijs atq; naturis: facultate atq; progressu studiorũ? Vt*

enim non

enim non vnus cibus ægroto & sano, neq; vna esca puero & viro conuenit: ita etiam vna docendi ratio, non potest doctioribus atq; indoctioribus aggregari. In campo Martio, alij magistri tyronum, alij veteranorum, alij gladiatorum & pugilum, alij equestrium ludorū: et natationes habebant suos præmonstratores: & sæpius vno die oēs, quàm diuersis singuli. Quod in rebus leuioribus fit: id non vel queat, vel debeat in difficilioribus retineri? Hæc officiorum coniunctio, & horarum separatio: primùm efficeret, vt biennio quisq; suum munus consummaret. Deinde confusio ingeniorum vitaretur, & docti ab indoctis, aut minus eruditi ab eruditioribus segregarentur. Tùm etiam facilior erit animaduersio vitiorum: quæ corrigi necessum est: & virtus suas audiret quotidie laudes: & disciplina non minor esset publicarum scholarū: quàm in classibus est: quæ nunc publicè dissoluta est: confusa quadam petulantia, atq; licentia: non solùm intermissis: sed sæpe omissis auscultationibus necessarijs, magno cum contemtu magistrorum: & ipsorum discipulorum pernicie. Denique aptius ageretur cum studijs, si quisq; sua & suis, & sua ratione bona traderet. Quanquam non nego, posse etiam horis separari eiusdem doctrinæ professores, & minores Physicos, cum Ethico maiore coniungi: & inferiores Ethicos, cū superiore Physico diei hora copulari: vt vtriq;, qui diligentiores sunt: ambos audire queant: sedita, vt non indoctiores doctioribus immisceantur, & seueritas retineatur ordinis atq; disciplinæ. Hæc habui, mi Bloti, quæ tibi de horarum descriptione exponerem: cùm quòd de eare priuatim collocuti sumus: tùm quia tu, qui Iurisconsultus es: facilè potes animaducrtere.

Iustinianus

Iustinianus enim vester Imperator & legislator: omnẽ Iurisprudentiæ doctrinam & cognitionem descripsit: Iustinianeis, & Pandectarijs siue Prætorijs, & Papinianistis, & Lytis, & Prolytis: quinq; generibus non solùm discipulorum, sed etiam professorum. Et velim Bibliorũ etiam explicationes hoc modo distribui: & Euangelistas ab Apostolis: & Pentateuchum ab Historicis & Propheticis separari: & certis omnem hanc varietatem distribui: vt magistris, sic etiam discipulis. Vt enim nunc legunt: & superioribus multis annis docuerunt: longè fuerunt magis industrij ante Troiam Græci: qui ea decimo tandem tamen anno sunt potiti. Quota quæso est quæq; Academia, quæ istud vel tribus lustris faciat aut effecerit? Sed vos magis industrij: præsertim Tolosates: qui tertio anno iura omnia percurrunt. Biturigibus doctores sunt velociores: nam biennio ad metam perueniunt: sed nescio an laudabilius, quàm Tolosates: Parisienses testimonia dant in suis Decretis quinq; annorum: quæ singulis annis à discipulis non negliguntur: sed auditorem adhuc nullum audiui, qui queat dicere, hæc omnia intra id tempus in scholis Decretorum fuisse tradita & exposita. Sed Aurelianos amo, qui quatuor annos præscribunt, & ijsdem quinquennalem laborem Iustiniani consummant. Nõ temporibus ista æstimanda sunt, sed rebus, ad quas tempora debent applicari: vt suis quæq; res, & in rebus explicandis sua quæq; officia suis temporibus perficiantur. Poëta vituperatur ab Aristotele, qui fabulam vnius diei sole prolixiorem facit: & Histrio reprehenditur, qui decursu solis tragœdiam bonam non potest peragere. Quod necessariũ in fabulis est: cur id in veris rebus, idq; grauissimis non requiratur? Vale.

IONÆ

IONÆ BITNERO.

ETsi dolui impeditas fuisse successiones classicas: tamen vtile fateri cogor, te in hac curia detineri. Nā quoniam Grammatica ad te vtriusq; linguæ præcepta adferunt adolescentes discipuli tui: oportet aliquem huic quartæ tribui præfici: qui inde à pueritia in nostris scholis educatus sit: & annos aliquot præfuerit educationi puerili: cuiusmodi tu es, atq; Golius noster: quorum vterq; inde à quadragesimo octauo anno vsq; ad hoc tempus docet vtiliter. Hæc verò curia, quam tu ducis, opus habet: vt non solùm Oratores audiat: verùm etiam Poëtas atq; Historicos, & vt instruatur omni apparatu verborum, & verborum copiam non solùm congestam, sed etiā digestam habeat: vt Oratorum vocabula & Poëtarum distincta sint: & in medio posita videant Historicorū propria verba, & eorum inter se discrimina, & potestates varias. Nā huic studio & te & Iunium in tertia curia oportet incumbere: vt ad superiores duas curias sermonem purum & perspicuum secum queant apportare: & armati esse contra barbariem: quæ irrepere solet sæpenumero ex barbaris cōmentarijs, & deprauata consuetudine aliquorum, qui docent: qui sapientiam dicunt esse, loqui barbarè: & πραγματικὸς potiùs χρηματισάς sequi: quàm primos scriptores artium: quibus magis placet Thomas Aquinas, quàm Aristoteles: Scotus, quàm Lactantius aut Hieronymus: Bartolus & Baldus, quàm Scæuola aut Iustinianus: Auerrois & Auicennæ voces, quàm Hippocratis aut Galeni: quæ in Academijs in auribus auditorum è faucibus magistrorum personant: vsq; adeò, vt in Italia etiam ne-

gligi incipiat eloquentia: & ad paucos reducatur. Inquinata enim lingua latina est interpretum vitijs, & impuritas pro ornatu colitur: & barbariem Ethici & Iurisconsulti pro prudentia: Physici pro veritate: Medici pro vsu: Theologi pro pietate habent. His malis vobis in hisce curijs occurrendum est: tibi præsertim & Iunio: vt à vobis adiuti: discipulos in veterum Academicorum & Peripatcticorum spacijs retineamus: quæ inter illos Græcæ puritatis, & ornatus, & copiæ, & amplitudinis fonticulos & riuulos, & flumina fiebant: à quibus stagna putida, & loca palustria, & insalubria procul remota erant: nos verò cogimur hoc deprauato iudicio: & corruptelæ cõsuetudinis veteris, in luto cõsidere: nulla re alia, quàm corporis vestitu, elegãtes: impura lingua, & barbaro verborũ sono.

Huic etiam nostro instituto: actiones tuæ Comicæ & Tragicæ conuenient. Sunt enim hæ exercitationes pro quotidiana consuetudine sermonis latini, imò firmiores, quàm quotidianus erat Romanorum & Athenensium sermo: & diutius theatra & scenæ: quàm forum atq; iudicia, laudes conseruarunt eloquentiæ. Tria volumina etiam Musica tibi cõmendo: quæ digesta sunt à Dauide Nepheletha: vt Dasypodio nostro, quemadmodum in actionibus scenicis: sic etiam in exercitatione Musicæ adsis: vt non Musas habeamus silentes: sed Camœnas nos colere canentes atq; amœnas videamur. Odi enim vt barbariem, sic etiam tristiciam in scholis nostris, & nihil magis studia confirmat atq; exornat, quàm hilaritas. Et credo, vultus obscuritatem Palladi in Paridis obfuisse iudicio: & spretam Iunonem in eodem arbitrio propter oculorum mœrorem, quẽ Zelotypia accersiuerat.

AD

AD CONVENTVM EXTRAORDINARIVM.

AVdio, vos Erythræo permisisse: vt rationem aliquã tradat conscribendarum epistolarum: tametsi ista ratio illi obficiat: qua iubemur alternatim nos duo artem dicendi: & Oratores explicare: tamen non muto factum vestrum: & vt felix hac res sit Academiæ nostræ, opto, & Deum deprecor, vt, quod instituit, vtiliter perficiat. Disputationes verò & declamationes in nimis longũ tempus differuntur: quod factum non oportuit. Et disputandi consuetudo non difficilis erat ad constituendum: si ad confirmandum vetus illa Romanorum atq; Græcorum disciplina reuocaretur. Declamandi verò exercitatio & in omnibus scholis & Academijs elanguescit: & in nostris semper friguit: cuius incommodi duas video esse & fuisse causas: quarum prima est: quòd natura difficile est, & iuuenibus scribere: & præceptoribus corrigere, quæ à discipulis sunt conscripta. Deinde, quia multis ea cõmissa res fuit: vt pueros sibi deligerent: quorum eadem facultas non est omnium. Allatæ sunt sæpe in medium orationes: multùm inter se dissimiles: non virtutibus: id quod scholis nostris optabile esset: sed vitijs, ijsq; barbaris, non natura solùm ingeniorum singulorum: sed consuetudine multorum: quæ puritatem verborum labefacit: sententiarum pondera negligit: ordinem contemnit: decorum non respicit: quod in omnibus eloquentiæ partibus retinendum est. Hac ratione factum est: vt neq; ego, neque Seuenus, neque Erythræus, neque Hertelius, neq; Reinhardus: huic malo remedium inuenerimus. Est

etiam tertia causa, quòd adolescentibus vel non emendata sunt vitia abÿs, quibus commissi erant: vel emendata negligenter: vel totæ orationes conscriptæ à præceptoribus: quo factum est: vt nihil vel proprium discipulorũ: vel perfectum allatum sit. Quarta verò causa, omnes complectitur: & vitia continet omnia. Dum enim veterum Rhetorum, cùm apud Romanos, tùm apud Græcos, consuetudinem amisimus infelicitate maiorum: nec resuperamus negligentia nostra: necesse est, nos in hac parte in luto aut iacere, si nihil conamur: aut hærere, si eam non reuocamus integram exercitationem. Quanam erat illa? Præerat vnus quotidie hisce exercitationibus: qui idoneos ad hanc facultatem eligebat: ineptos excludebat: qui argumenta dabat quædam, quæ subitò tractari poterant: quædam, quæ meditationem paucarum horarum requirebant: nonnulla etiam, quæ aliquot dierum confectionem flagitabant. Voco autem argumenta ὑποθέσεις, hoc est, causas ipsas: quarum indicabat locos, & locorũ præcipua argumenta: & eorum collocationes per omnes causæ partes. Sed ad hanc facultatem non volabant: verùm gradibus perueniebant: quorum vnus aliquis si interscindatur: graues solent casus infantiæ subsequi. Non autem omnia præmasticabat, sed præcipua, & præscribebat, quæ in discipulorum esset officio domi agere & elaborare: & inde in scholas afferre declamantum. Comparata verò facultate aliqua: & firmatis viribus declamatorum, coronam admittebat eorum, qui audirent: & iudicium atq; censores ad suum tribunal aduocabat: qui tanquam res ageretur seria: ita de facultate declamantis iudicium faciebant: & honoris erat inter eos, qui dicebant, magna

contentio.

contentio. Vbi hunc inueniemus: dicetis fortaſsis? aut vnde illum euocabimus? Quærendus eſt: ſi volumus efficere: quod à nobis expectatur, & quærendus vobis quauis mercede, præſertim primis duobus annis, intra quod tempus: ſi rectè hæc inſtituetur exercitatio, nō defuturi ſunt in Academia noſtra: qui hanc queant retinere & percolere conſuetudinem. Habent enim ingenia, vt plantæ, ſuos prouentus, & vt ex planta vna, ſi bonum colonū nacta eſt: propagatione aut inſitione: magna naſcitur vbertas: ſic pauca ingenia ab vno benè educata, plurimos ſolent ſui ſimiles efficere: vt ab vno Socrate quot Philoſophorum? ab vno Iſocrate quot Oratorum? ab vno Hippocrate quot Medicorum genera? quorum ſinguli an non aliquid habebant ſingulare, quod eſſet eximium? Sed Socrates atq; Hippocrates vnici non poterant: Iſocrates, ſi vixiſſet: herbam certè Demoſtheni porrexiſſet libenter: vt Poëtæ, qui Homerum ſecuti ſunt, libenter palmam ei ſemper conceſſerunt: præter Zoilos fortaſsis, quibus nihil placere ſolet.

At hac conſuetudine ſcribendi, meditandi, agendi, in vſum & ad noſtram Academiam reuocata, futurum ſpero, vt multi, qui ſequentur nos, qui anteceſſerunt, diſcipulos atq; magiſtros ſint ſuperaturi. Hæc mea ſententia eſt: & huius ego teſtem eſſe volo hanc epiſtolam. Felix ſit & fauſtū, quod Senatus, Scholarchæ, Conſiliumq;, & vos ſtatuetis.

Valete.

SCHOLÆ LAVINGANÆ.

AD D. PHILIPPVM LVDOVICVM, ET D. IOANNEM, COMITES PALATINOS Rheni, Duces Boiariæ, &c. Illustrissimi Principis Wolffgangi filios.

JOANNES STVRMIVS.

Nobile Lauingum Musarum commoda sedes,
Te Deus instituat, te Deus erudiat.

En tibi truncus iter, mutusq; per auia monstrat
Hermes: mentiris: nuncius ipse Deûm.
Fidus adest ductor: Musæ comitantur euntem:
Queîs artes pandit casta Minerua suas.

S. Ostermannus, Rect.

AD ILLV.

AD ILLVSTRISSIMÆ FAMILIÆ PRINCIPES: PALATINOS RHENI, DVCES BOIARIAE, & Comites Veldentianos: D. Philippum Ludouicum, & D. Ioannem: clarissimi Ducis Wolffgangi filios, Ioannis Sturmij Præfatio.

MENSE DECEMBRI CVM Neoburgi in Boiaria essem: & nobis industriam vestram: & Præceptoris vestri Petri Agricolæ fidem, atq; diligentiam probaretis: mirabar, tot de rebus vos: & tam varijs: respondere posse memoriter: idq; in tanta nobilium, ac Doctorum hominum corona atq; consessu. Nam & Grammatica præcepta Latinorum, atq; Græcorum, vnâ cum exemplis singulorum tenebatis: Latinum nullum sensi vobis proponi potuisse scriptum: quod non ad verbum interpretaremini. De religione illiusq; principijs respondebatis ita: vt nescirem, memoria vestra magis, an pietas ipsa atq; religio admiranda esset. Historiam temporum, & antiquitatis memoriam: inde à mundi exordio vsque ad nostram ætatem, & ad postremum Cæsarem reuocabatis bene, vsq; adeò, vt nullo in loco vestra hæreret memoria. Quid de Dialecticis, & Rhetoricis regulis, atq; exemplis dicam? in quibus nullum sensi à vobis necessarium præteriri. Quid de Arithmetica? de qua

de qua respondebatis horis promeridianis. Quid die insequente? Quod vobis Germanico vestitu propositum fuit: id Romana veste subitò ornatum, atque togatum reddidistis. Quid de sermone Gallico? & legebatis, & interpretabamini, & scribebatis subitò. Mirabar tunc, quid causæ esset: fratres duos adolescentes, Boiariæ Duces, apud patrem, apud matrem: quorum charitas multa soleat indulgere liberis: in tali, & tanta aula: in equorum hinnitu: canum venatu: armorum strepitu: etiam in arena gladiatorum: simul omnia facere posse: equitare, venari, cum gladiatore contendere: & ne quidem gladiatori cedere: & tamen tot tantasq; res in literarum curriculo esse assecutos. Hæc cogitans cùm res alias animaduertebam in vobis esse: quæ naturæ vestræ, atq; ingenij sunt: & quarum pars ad doctoris vestri Agricolæ pertinebat fidem, atque officium: tùm imprimis patris curam: atq; solicitudinem in vobis educandis: cui ego primas tribuo in hisce vestris progressibus. Memini enim, nihil me, cùm adolescens essem, magis retinuisse in literarum studio, & officio constantiæ: quàm Wilhelmi Sturmij patris mei de meis studijs spes, & expectatio: & matris quotidiana vota. Credo, in vobis eundem esse charitatis paternæ, & pietatis vestræ sensum: qui in me fuit: & ipsi sensistis patris occultum gaudium, quod lachrymæ non obscurè indicabant: cùm de tot, tantisq; rebus ita interrogaremini: & ita responderetis: vt vestram probarent, & admirarentur, qui aderant, industriam: & Præceptoris confiterentur, atq; laudarent fidem, & diligentiam. Magnam vim habet in adolescente probatis moribus prædito, patris voluntas, spes, expecta-

tio. Necesse est magnum videri: quod parentum quotidianis suspirijs atq; votis optatur liberis. Quantas vtilitates adferat doctrina literarum: cùm in hisce patris votis videre potestis: tùm in constituendis scholis Lauinganis: qui Hornebachiano gymnasio non contentus: quod magnos sumtus quotidie flagitat: etiam hanc impensam ampliorem facit: & ad sermonis artes, ad Grammaticos, & Dialecticos,& Rhetoricos magistros: etiam Theologos adiungit, & Iureconsultos, & Physicos, atq; Mathematicos. Hanc patris, liberalitatemne dicam an pietatem? certè & pietatem, & liberalitatem: etiam vel comparare cum militari virtute, vel huic ipsi fortitudini clarissimorum hominum anteponere ausim. Quid enim, nî istud faciam? cùm videamus in Carolo Magno gloriam bellorũ: quæ in Gallia, Aquitania, Italia, Hispania, Saxonia, Sarmatia, Pannonijs: apud exteras gentes,atq; nationes terra mariq; gesit: minus futuram fuisse præclaram: nisi studio religionis, & patrocinio literarũ magis fuisset illustrata. Ita ipse erat doctus, & ita literarum atq; humanitatis studiosus: vt sermonem patrium ad Grammaticorum regulas reuocarit: viris doctis magna prẹmia proposuerit. Alberum Anglium, eruditum virum,secum esse voluit: & à se non discedere: & hoc comite fieri aliquot annis eruditior. Albinum Scotum, literatum hominem, in Insubriam misit, & illum Ticini ludo literarum præposuit. Clementem Scotum, Albino æqualem, etiam benè doctum, Lutetiam misit: stipendia adolescentibus constituit: & collegium instituit: quod non solùm ex nobilium liberis: verùm etiam ex plebe ciuium non locupletum filijs cooptatis, constare vo-

luit:

luit: quo vsque adeò delectatus est: vt probationi illorum adolescentum adesse voluerit. Probabatur enim in illis non solùm memoria præceptorum: verùm etiam exercitatio: quæ fiebat aut scripto subito, aut dictione subita: aut oratione meditata: aut versibus compositis: de quibus ipse Imperator sententiam dicere potuit: & dixit, si verum est, quod tradunt Historici. In probatione Parisiensi: quàm honesta pauperum adolescentum laudatio? Agite pueri: pergite, vt cœpistis: amplissima industriæ præmia consequi: qui meam autoritatem secuti estis: vestra sint sacerdotia: ex vobis Episcopos deligam: ex vobis Pontifices constituam: vobis hic honor tributus sit: vt hîc ad meam dexteram collocati, atque conspicui sitis. Quanta verò seueritas in illa condemnatione nobilitatis? Vos verò belli & delicatuli: delibutis & compositis capillis adolescentes: qui parentũ vestrorum facultatibus nitimini: & nobilitati confiditis: & Cæsaris vestri authoritatem, Imperatorisq; maiestatem contemnitis: exemplum in vobis constituam, meæ seueritatis, & vestræ ignauiæ. Hi inopes atq; pauperes vobis in honoribus anteponentur: vobis etiam in præmijs præferentur: Deum testor, nullum vobis reditum ad honores: & præmia patere posse: antequam in virtutis, & diligentiæ, & verecundiæ viam redeatis. Quis non hanc disciplinam scholarum cum illa castrorum eiusdem Imperatoris comparet? Militum enim disciplina sæpe cum ipsis militibus, atque Imperatoribus cecidit: at scholæ, & gymnasia, & literarum ludi postquam semel constitutam disciplinam habent: tam diu eorum vtilitates sentiuntur atque percipi-

untur: quàm diu doctorum hominum, qui ex huiusmodi scholis egressi sunt, extant monumenta. Admirandum est: in vno Imperatore tot, tantasq; fuisse virtutes: sed illud mirandum imprimis: quòd rerum gestarum & armorum non putarit satis magnam esse gloriam, si solis castris contineretur: nisi etiam in eruditorum hominum collegijs homines armaret contra barbariem & mores improbos: armaret, inquam, legibus, moribus, institutis, artibus, doctrinis, disciplinis, præmijs, honoribus. Hoc enim literæ armis præstant: quòd ex disciplina armorum nemo artes & disciplinas potest cognoscere: ex literarum verò monumentis multi præclari duces, & Imperatores extiterunt. Egregius Imperator: cui in re honesta nihil fuit satis. Non enim contentus hoc collegio, & hoc Clemente illius collegij præfecto: ex Sueuia etiam Valdonem, magni, vt credibile est, nominis virum, euocauit: & collegio, quod ad phanum D. Dionysii est, quod ab vrbe Lutetia duarum horarum abest itinere, præposuit: vel quòd æmulos esse voluit Parisiensium Dionysianos istos: vel quòd longinquum esse putaret: diei non horæ itinere scholas inter se dirimi. Et optauit ille persæpè duodecim sibi Augustinos, vel Hieronymos iuxta numerum prouinciarum: quæ bello captæ imperio Francico parebant. Cuius voti si compotem eum Deus illis temporibus fieri voluisset: quid aliud facturum fuisse putatis: quàm, vt his tam præclaris gubernatoribus singulis in prouincijs scholas cõstitueret? Simile ego consilium in fortissimo, & clarissimo Principe, patre vestro, laudo: qui ad Hornebachianum illud in Cisrhenana prouincia magistro-

rum, &

rum, & discipulorum collegium: etiam istud Lauingæ addit in Danubiana: amplioris coædificationis, & maiorum sumtuum: & futurum discipulis, atq; doctoribus magis copiosum: quod veluti insignis gemma in pectore Aaronis, sic istud in patris virtutibus splendescet. Istud ego & curijs partitus sum: & magistris atq; doctoribus distinxi: & authores præscripsi: & rationem docendi eam me indicasse puto: quam si præceptores artium sequantur: nõ dubium est: quin paucis annis adolescentes incredibiles sint facturi progressus. Et quanquam nostræ Argentorati scholæ ijsdem sint coædificatæ præceptorum fundamentis: imò hæc Lauingana ex istis deriuata sint: tamen habent hęc vestra, quæ iam ad vos mitto, quosdam scaturientes fontes: quos à vestris in nostra prata in contrarias partes deriuabo: vt vtrumq; gymnasium alterum ex alterius videatur oriri, atq; consistere initijs. Sed nolo hanc laudem solam patris esse: tametsi illius sit propria: tamen velim etiam vos ad huius gloriæ hæreditatem accedere: & vestra beneuolentia, atq; autoritate istud institutum complecti: & superstite adhuc patre & incolumi, cogitare: & dum in hac vita non tam sua, quàm vestra gerit negotia: adesse patri: & adiutores vos profiteri: dum DEVS patriq;, & vobis hanc lucem concedit aspicere. Eberhardus primus Wirtenbergensis Princeps: primus est suæ gentis Dux appellatus: magnæ dignitatis illustrissimum nomen ab Imperatore est consecutus: sed dignitatis. Quòd verò Tubingæ artium collegium, & academiam constituit: id ad dignitatis nomen etiam testimonium addit pietatis, religionis, humanitatis: quæ virtutes artibus atque

doctrinis maximè excoluntur. Ergo & illustrissimum illum Principem, & sanctissimũ Ducem si quis appellet: vero appellabit nomine. Illud verò maximoperè laudandum: quòd hanc paternam & auitam laudẽ liberi, atq; hæredes, & nepotes, perpetuent. In Vlrico Duce nihil est: quod me delectet magis: quàm quòd in suorum consiliorũ constantia: hanc etiã præstitit mortalibus benignitatem: qui recuperato patrimonio suo: sua sponte statim de principio: eruditos viros ad se vocarit, Philippum Melanchthonẽ, Ambrosium Blaurerum, Erhardum Snepphium, Simonem Grynæum: Ioachimum Camerarium: & illorũ consiliȝs, hoc collegiũ ita legibus atq; stipẽdiȝs instaurauit, vt neq; Platonis Academiæ, neq; Aristotelis Lyceo, neq; Stoæ Zenonis videretur volũtate & studio velle cedere. Hanc paternã atq; auitam laudẽ clarissimus Princeps, Dux Christophorus, ita amplificat beneuolentia, studio, liberalitate: vt Eberhardo auo patris nomen propè videatur eripere: & illius Academiæ parẽs dici debeat. Ad istud huius principis factũ ego vos adhortor: vt quod pater prudenter & laudabiliter instituit: in eo patri adiutores sitis: vt ab illo, si vita dabitur, & à vobis cõfirmetur. Ac profectò quas laudes antea vobis dedi industriæ, & diligentiæ, quam nobis Neoburgi probastis: idcircò illas vobis tribui: vt si eas perpetuò esse vestras velitis: statuatis, constantiã vobis præstandã esse in ȝs omnibus: quæ à patre vestro, clarissimo viro, & fortissimo Principe præclarè instituuntur. Primùm igitur vestræ ego autoritati & beneuolentiæ scholas ipsas etiã atq; etiam cõmendo: deinde magistros, quos pater delegit: Simonem Ostermannũ, moderatorem gymnasii, & Rectorẽ idoneum:

idoneum: benè probatum virum iudicio, consilio, diligentia, grauitate, doctrina, memoria: Celestinũ Theologũ, veræ & antiquæ doctrinæ Martini Lutheri propugnatorẽ: Græcis literis eruditũ, & Hebraicarũ minimè rudem: & in patrũ monumentis diligentẽ hominẽ: & Cyprianum Leouitium, Mathematicũ, q̃ cùm omnia summa in hac disciplina cõsecutus sit: tamẽ multò maiora videntur ab ipso expectanda esse: Martinum Rolandũ Medicum, huius Lycei vestri doctorẽ Physicũ: cui ego diligẽtiæ, doctrinæ, industriæ, verecundiæ testimoniũ do, & do libenter: & verum do testimonium: & hos ego vobis cõmendo, & cæteros cõmendo oẽs: quos habetis, & quos his adiuncturi estis. Reuerẽdus & clarissimus vir, D. Ioan. Sebastianus Pfauserus, cõcionator Cæsareus, & Ecclesiarũ in Suincia Lauingana gubernator: ac Cõradus Lætus Iurecõsultus, homo diserus, patrisq̃ vestri, illustrissimi Principis, cõsiliarij: (qui huius gymnasii non minima pars sunt) mea cõmendatione nõ indigent: cùm eos sua virtus, & doctrina, & in Rempub. merita facilè vobis cõmendent. Sed quid me opus hortatore habetis? Petrũ Agricolã habetis: illud suaue pectus candoris, diligentiæ, studij, industriæ, doctrinæ: quasi parentẽ alterum in hac vita: certè educatorem illius, quæ in vobis est, humanitatis, intelligentiæ, doctrinæ, memoriæ: quarum virtutum egregia nobis, cùm Neoburgi essemus, dedistis documenta. Sed iam tempus est: vt de hisce scholis aliquid dicamus: q̃modo hæ curijs atq̃ magistris distingui debeant: quæ debeat institui docendi ratio: qui explicandi scriptores: quæ etiam præceptorum in docendo, quæ discipulorum in discendo officia: postremò, quę genera sint in hoc gymnasio cõstituenda exercitationũ.

SCHO-

SCHOLÆ LAVINGANÆ.

OPTIMA ET PVLCHERRIMA Rerumpublicarũ armamẽtaria sunt Scholæ Philosophorum.

Philosophia. Philosophia sapientiæ studium est, cuius pars est præstantissima Religio. Huius cupidi esse atq; studiosi cùm omnes mortales debent: qui post hanc vitam vita volent frui sempiterna: tùm imprimis viri literati, qui suo exemplo societatem volunt hominum adiuuare. Religionis scientiam Theologiam Græci nominant: quæ sanctitatem efficit: quæ erudita diuinæ doctrinæ præceptis, vitam constituit talem, qualem Deus in Prophetis nobis, atq; Apostolis ob oculos posuit.

Theologia.

Præter hoc beneficium: quod Deus in hominum genus contulit: quod cæleste & verè diuinum est, etiam res alias largitus est, vnà cum illarum rerum artibus, & res certè eas perneceſſarias in hac vita: non solùm, vt tutò ætatem degant homines: verùm etiam, vt societatem inter se vitæ colant suauiorem. Quid enim tam est necessarium post religionis cultum: quàm suus cuiusq; focus: domestici lares: paternæ sedes? Itaq; & res omnes nobis priuatim suppeditant diuinitus: à Deo datæ: earumq; rerum recta comparatio, & amplificatio, atq; custodia Oeconomice Græcorum vocabulo nominata est: cuius vestigia expressa extant à primis nostris parentibus, & Patriarchis: cuius scientiam descriptam à Græcis habemus, Latinisq; eruditis hominibus.

Oeconomice.

Patri

Patri verò familias necessariæ fruges sunt: & boum armenta, & pecudum greges: & equorum, asinorumq; subsidia. Itaq; & aratores comparandi sunt. & conducēdi pastores: & his illum mandare necessaria oportet: cuius rationis doctrinam Græci Georgica nominant: Latini agriculturam: quæ & cognitione comprehensa est: & exerceri debet industria: & est notata à Græco Xenophonte, & à Romano Catone, & Varrone. Georgice.

Atq; hæ duæ artes necessitatis sunt: quibus addita honestatis, & pulchritudinis gratia: morū scientia, quam Ethicen vocauerunt Philosophi Socratici: quæ à Græcis scriptoribus primis illis hominibus ante Euangelij lumen præceptis inchoata: Apostolorum & Theologorum doctrina perficitur. Sed & primi parentes nostri inde ab Adamo, & Patriarchis vsq; ad Moysen, Dauidem, atque Prophetas: etiā huiusce doctrinæ egregia posteris & præcepta tradiderunt: & exempla ediderunt: cùm ad viuendum, tùm ad artem constituendam: non solùm huius priuatæ doctrinæ: morum & religionis, quam singuli debent colere: sed etiam illius publicæ: constituendarum ciuitatum: de qua mox proponendum est. Veruntamen præclara etiam illa, quæ in Socraticorum, hoc est, Academicorum, & Peripateticorum monumentis disputantur, & docentur: acutè ab Aristotele: ornatè à Platone: de summo bono: de virtutibus, & vitijs: de bonis, malisq; animorum motibus. Hinc libri de moribus Aristotelis: hinc Platonis præclari & varij dialogi, atq; sermones: hinc M. Tullij libri de officijs: è virtutum quatuor deriuati fontibus: hinc Tusculanæ quæstiones: hinc Academicæ illius disputationes: & de bonorū, & malorū finibus excellens disceptatio. Ethice.

Sed quia singulæ per se non possunt ipsæ consistere familiæ: & mortales inter se alter alterius opus habent ope atq; subsidio: & vita degitur non à singulis & paucis: sed à multis atq; omnibus: dedit etiam Deus publicas vtilitates omnibus inter se hominibus: vel necessarias, vt viuas: vel cõmodas, vt viuas iucũdè: & hominũ genera distinxit agris, ciuitatibus, regnis, atq; imperijs: dedit etiã simul cũ ipsis rebus, quæ necessariæ regibus, atq; imperatoribus sunt: rationẽ administrandi res publicas: cuius nobis primùm patrum nostrorũ prima, & altera ætas post orbis diluuiũ, Moysis atq; Prophetarum libri fontes aperuerunt: sed eorum riuulos inde à patrum sedibus Græcia in suas ciuitates diduxit: imprimis verò Athenarum Academia, atq; Lyceum: & Stoa ipsa, in qua Philosophi de ciuili scientiæ

Politice *libros, & sermones diuulgarũt: quæ ars Politica est nominata: quæ ita latè diffusa est: & ita explicata ab his authoribus, vt vna hæc omnes artes complecti videatur. Ad hanc pertinent Platonis sermones de Republica: & de Legibus: Aristotelis item illi præclari: qui politici dicuntur. Huius etiam partes sunt libri de Legibus Ciceronis: ex quorum præceptis profectæ sunt Romæ Consulum leges: prætorum edicta: principum placita: prudentum & Iurisperitorum responsa: & ipsa quæ dicitur Iurisprudentia, νομική à Græcis vocata: sponsa ciuilis scientiæ, quam Politicen nominauimus.*

Hæ quatuor, quas nominauimus, artes, & harum artium res atq; materia: diuina beneficia sunt à Deo data, & demonstrata patribus nostris: & nobis per manus quasi hæreditario & perpetuo iure tradita. Harũ prima sanctitatis est: altera domus & fundi: tertia virtutis: quarta po-

testatis

testatis humanæ, quam Deus dedit magistratibus, quicunq; sint illi: siue ciuitatibus præfecti sint: siue regna administrent: siue imperia gerant. Principes enim societatis humanæ diuinitus constitui credendum est. Omnis enim potestas à Deo est: & à Deo traditum sibi gestat gladium iustitiæ, rerum publicarum moderator.

Sed vt paterfamilias villico habet opus: Sic hæc ciuilis scientia Iureconsultos requirit: quorum ars νομικὴ est nominata: cuius principium atq; origo à duabus sumtum est Dei tabulis: quas Moyses à Deo accepit: & ad populum tulit atq; promulgauit: longè sanctiores, quàm illæ duodecim Romæ septemuirorum tabulæ: longè etiam castiores, quàm vel Lycurgi apud Spartanos: vel Solonis apud Athenienses ἄξονες: sic enim illi duo legislatores vocabant legum suarum tabulas: ex quibus suas Romani confecerũt: & suis ciuibus, victisq; à se populis ac gentibus promulgarunt: quas nunc alijs multis explicatas, & dilatatas legibus Iureconsulti sua autoritate & prudentia custodiunt: & magistratus in melioribus Rebuspublicis retinent. Ac quoniam reges habemus, & principes viros Christiani nominis: quorum & maiores bella gesserunt pro religione & aris non minus, quàm pro focis & sedibus maxima: & nostris regibus & Imperatoribus idẽ non deest studiũ: vbi huiusmodi Respublicæ sunt: his etiam Theologiæ studium committimus: & concedimus, vt ciuilis scientia, quam Politicen nominamus, omnes comprehendat artes atq; doctrinas: easq; defendat et amplificet: optimos in hac sentẽtia autores secuti: nõ solùm Aristotelicos: sed etiam scriptores sacros: in quibus Paulus Apostolus est: cuius illa lex perpetua est: Omnis potestas à Deo est: & in quocunq; Nomice

anima & spiritus est: hunc aliqua regi potestate superiore necessarium est.

Medicina.

Ergo vt Iurisperitos, & eorum doctrinam intra vrbium & ciuitatum mœnia includimus: sic etiam Medicos. Nam & Hippocratis ope Græcia in peste opus habuit: & Galenum Romanum exercitum & castra sequi oportuit: & noti sunt Homerici illi duo Podalyrius, atq; Machaon: & ipse Homerus Medicum multis alijs ciuibus anteposuit: & in sacris libris traditur: non dari, sed creari Medicum, propter morborum curationem, & Medicinæ necessitudinem.

Polemice siue Srtategetice: ars militaris et imperatorum.

Ac quoniam Magistratui gladius à Deo datus, & concessus: imò traditus atq; concreditus est: non solùm illo vti debet domi contra scelera suorum: sed foris etiam se suosq; potest contra vim atq; iniurias sæpè defendere: quod ius regum, & imperatorum imprimis est. Hoc gladio & iustè vti debet: & adhibere scienter. Iusticia legibus tradita est: scientia arte comprehensa est militari: quæ πολεμική propter belli rationem: & propter imperatorem atq; exercitum στρατηγική à Græcis scriptoribus nominata est: Latim eam à militibus militarem vocant scientiam: non solùm, quòd ad belligerandum miles necessarius sit: sed etiam, quòd exercitatione, & consuetudine, & vsu militũ sit amplificata atq; perfecta disciplina militaris.

Sed res priuatæ atq; domesticæ singulorum, patrumfamiliâs clausæ sunt parietibus: ciues verò omnes murorum defenduntur terra propugnaculis: mari classe: quas ad commoditates fabris est opus, idq; peritis: quos magistros Architectos etiam Latini nominant: Græcos imitati, apud quos architectones sunt: quorum scientia Athenis Archi-

nis Architectonice nuncupata est: Romæ Architectura: firma, & vtilis, & elegans ædificandi ratio. Architectura.

Ac quas suprà proposuimus artes: exercitationes, & labores, sudoresq; requirunt: & versantur in hominũ frequentia. Sunt autẽ aliæ, quæ ocij esse videntur, & quietis: cùm tamen ocio, atq; ignauiæ grauissimè aduersentur: & nullare magis: quàm industria colantur: & nullare celerius, quàm desidia tabescant: diligentiam ament: industriam excitent: à strepitu & turba: nõ à labore & vigilijs remotæ. Physicæ artes.

Has sibi illi, qui se Philosophos nominarunt, Pythagorici arrogabant: & Physici cognominari & videri volebant: quarum vna est earum rerum: quæ crescunt & intereunt: quæ generantur, & corrumpuntur: de illis, quæ in aëre agitantur: vt sunt fulmina, fulgura, tonitrua, pluuiæ, niues, venti, & terræ agrorumq; motus, cometæ, & ostenta cœli: earum etiam, quæ in terris latent: vt sunt gemmæ, & lapides, metalla, plantæ, & herbæ, frutices & fruges, animantia, & eorum partes: imprimis verò homo: elementaq; horum omnium: quam Physiologiam primùm vocari voluerunt: cui cognatæ Mathematicorũ doctrinæ: quorum disciplina certis constat initijs, progressionibus, & extremis: quorum argumenta, & conclusiones ἀποδείξεις vocantur: ob oculos positæ, certæ, & firmæ, & perpetuæ confirmationes: quæ refutari nullo modo possunt: in quibus vna numerandi ars est, Arithmetica vocata: propterea quòd illius materies sit numerus: in quo est ordo varius: qui addendo, & imminuendo, & multiplicando, & partiendo, & comparando multiplicem considerationem requirit: & cùm singulorum certa sit scientia & Mathematicæ artes. Arithmetica.

doctrina: numerorum tamen varij existunt casus atq; conuersiones: necessaria ars in humana societate: omnibus necessaria patribusfamiliâs: sed nõ æquè necessaria huius cognitio perfecta indocto, atq; erudito est: aliter enim fœnerator numero vtitur: aliter de numero loquitur Mathematicus.

Astronomice. Huius artis subsidio maximè vtitur Astronomus: cuius ars nõ solùm Astronomica nominata est: sed se appellat ipsa Astronomiam: idq; & videri vult iure: quòd peræq; scientia hæc: & huius scientiæ professio certa sit: atq; ipsi certi sunt & perpetui siderũ ortus & occasus: vicinitates & interualla: Lunæ Solisq; cursus, lumina & defectiones: imò certi etiam esse volunt, non incerti, qui artem perfectè tenent, Astrologi, rerum futurarum prænuncij: quorum ars προγνωστικὴ est appellata: qui prædicere possunt nõ solùm illa, quæ nominauimus: vt ortus siderũ, stellarumq;, & occasus: Lunæ, & Solis defectiones: sed sterilitatem etiam & inopiam: humorem & siccitatem: tempestates et exundationes: annorum salubritates & pestes.

Astrologice & Prognostice.

Geometria. Atq; etiam certa est Geometria, corporum dimensio: spaciorum consideratio: figurarum animaduersio: quàm longa quæq; res sit, aut breuis: quàm alta, aut humilis, cùm per se æstimata: tùm cũ alijs composita: istud videre atq; intelligere, Geometræ officium est: quæ scientia quàm sit vtilis, in vno Archimede potest intelligi: cuius industria et ars propè plus potuit in vrbe Syracusis defendẽda: quàm exercitus Marcelli in eadem oppugnanda: vsq; adeò, vt ars etiam cum ipsis fatis: & ingenium cum potentia non solùm callidit ate: sed etiam robore pugnasse videretur.

His artibus, quæ ocij sunt: & quidem ocij liberalis: ἐλευθέρων γὰρ ἀγαθὸν scientia est: his, inquam, doctrinis: etiam vo-

iam voluptatis causſa addita eſt Muſica: quæ, vt numerādi ſcientia de numeris iudicat: ita hæc de ſonis & vocum varietate, diſsimilitudine, concentione: ſpacijs atq; temporibus præcepta certa, & perpetua demonſtrat: & in his qd acutum, quid graue, quid intermedium: quid longũ, quid breue, quid moderatũ ſit: admirabili varietate conſiderat. Muſica.

Rerum iſtæ ſunt, quas commemorauimus, artes: quarum domicilium in ſcholis Philoſophorum eſt: quas armamentaria diximus eſſe Rerumpublicarum: harum omnium ancillæ ſunt, quæ in alio genere latent rerum: & Logicæ nominantur: propterea quòd ad ſermonis & orationis pertinent præcepta: ſine quibus neq; Mathematicus ſua docere poterit: neq; Iureconſultus ſuas poterit defendere leges: & Theologus abſq; his ad populum nihil præclarè efficiet: neq; aduerſus hæreticos tuebitur Eccleſiam. Logicæ artes.

Omnes hæ tres neceſſariæ ſunt in Republica: quarũ vna puritatis eſt: altera veritatis: tertia eloquentiæ. Eſt enim Grammatici officium, puræ orationis præcepta, & quaſi regulas tradere: & Dialectici, concluſiones veras à falſis diſtinguere: & argumentationum genera explicare: quibus neceſſaria à probabilibus: perpetua à caducis: integra à corruptis ſeparentur. Grāmatica. Dialectica.

Sed hanc Rhetores veritatem exornant ſplendidius: defendunt fortius: commendant ſuauius: & efficiunt, vt qua re homines cæteris præſtant animantibus: eadẽ re homo hominem antecedat: ita, vt nullum admirabilius eſſe videatur hominis inuentum & opus: quàm diſerta & eloquens prudentia: ſiue prudens, & ſapiens eloquentia. Rhetorica.

Hæ ſunt humanitatis præcipuæ artes: quas liberales vocant: vocabulo Ariſtotelicorum: tùm quod liberos atq; in-

atq; ingenuos homines decent: tùm quòd libertatem, quâ ab his instructi essent, pace bona legum, & dominorum beneficentia consequebantur: & quoniam seruiebant liberaliter, in libertatem sese vindicabant.

Omnia hæc literarum monumentis tradita & dilucidè explicata sunt: & in Philosophiæ quiescunt patrocinio: quæ ex his omne genus contra animorum perturbationes pro eorum tranquillitate: contra mendacium pro veritate: contra famem atq; inediam & egestatem pro rerũ copia: contra pestem & morbos pro sanitate: contra vim bellorum & pericula pro focis & aris: contra fraudẽ atq; iniuriam pro cuiusq; iure & libertate: denique contra miseriam pro fœlicitate, arma atq; præsidia administrant.

Quorsum hæc: tàm vulgata: & tàm multa? vt finẽ ostendamus in scholis constituendis: ad quem literarũ magistris properandum est: & metam proponeremus literarũ præceptoribus: ad quam currendum est: & signum sublatum moderatores Gymnasij haberent: in quod collimẽt: neq; ab eo oculorum aciem abstrahi paterentur: quoties discipulos eruditunt. Nihil enim legitur, aut docetur, quod non artis alicuius sit: & ad artem referri non debeat.

Sed non eo, quo commemoraui, ordine artes docendæ sunt: Verùm ab illa principium sumendum est: quæ omnium minima esse videtur: & cuius minima frons apparet: pectus verò habet amplissimum: quæ Grammatica dicitur: quæ clauem gerit, & ianuam aperit aulæ & palatij Philosophorum. Nulli enim vel in Platonis Academiam, vel in Aristotelis Lyceum, vel in Zenonis Stoam concessum est inspicere: qui huius doctrinæ expers est.

Nunc quoniam habemus, quod primum est, artium fontes

fontes atq; riuos: ad quos ludorum magistri, inde à prima curia vsq; ad supremam debent referre omnia: inuestiganda etiam media erunt: & ab his proficiscendum ad extrema.

Ergo ordine opus est: & quoniam liberalia sunt hæc humanitatis studia: ordine opus est aperto & eleganti: quam εὐταξίαν Græci nominant, hoc est, ordinem bonum. Bonum autem hic vocamus: quod prolixitate nō fatigat, & breuitate non obscurat: quod suauitate delectat: & fastidio non imminuit discipulorum industriam: denique quod meliora deterioribus anteponit: vt adolescens non solum doceatur: sed etiam doceatur breuiter: & breui ratione, facili, & suaui: & ipse magister non modò celeriter intelligatur: verùm etiā ametur vehementer. Damus igitur primum tempus docendi, locumq; primum Grammatico: qui fundamenta ponit sermonis puri: secundum locum Dialectico, & Rhetori: quorum alter veritatis regulas tradit: alter dicendi explicat diuitias: quoad discipulorum natura atq; facultas patitur. Vulgatum enim illud est: quod in Rhetorum scholis dicitur: Auditorum auribus oratorem prudentem regi: si velit animos illorū regere. Idem faciendum cùm omnibus Philosophiæ doctoribus: tùm imprimis his tribus magistris, qui linguam eruditunt: vt gustandum non porrigant: quod imbecillæ ætatis linguam offendat amaritudine: & ventriculū lædat cruditate. Ordo bonus in docēdo

Neq; enim me mouet, quod dictum est: radices literarum amaras esse: sed fructus vberes. Omnino enim existimo, & re ipsa comperi: nihil amarum in literis, si facilè intelligantur. Ego Medicum laudare non possum: qui

seminum, & radicum, & medicinarum fastidia suauioribus rebus salubriter non potest occultare atq; corrigere. Quanquam id vitium non tam hominibus asscribendum est, quàm ipsis temporibus: quæ sæpenumero autoritate plus quàm veritate possunt. Tyrannis est, non doctrina: in vitijs defendendis vetustatis autoritas.

1. Vitia tẽporis, & consuetudinis.

In constituendis igitur scholis, & emendandis vitijs: videndũ est primùm, quid vitij sit in temporibus. Consuetudo enim plurimùm potest, in vtramq; partẽ, bonorũ atq; malorum. Quanta barbaries confirmata fuit nostra ætate ante annos quinquaginta: in scholis Grammaticorũ, Dialecticorum, Rhetorum, Iureconsultorum, Medicorũ? quanta immanitas impietatis: specie pietatis in religione? In omnibus his adhuc multæ & magnæ sunt reliquiæ: & noua incipiunt irrepere vitia: quæ si radices agerent: mala sensuri essent nepotes nostri: & perniciosiora, & diuturniora: quàm nos sensimus: quorum vitiosissimum tamen fuit seculum. Exemplis ista ostendere non est necessarium: apparent enim magno multorũ hominum, & prudentium virorũ dolore: neq; exẽpla produci possunt, vt nõ offendãt.

2. Vitia puerorũ, et virtutes

Sed non in temporibus solùm considerare debet magister bonus: quid probum sit: & quid vitiosum: verùm etiam in pueris. Multi sunt, qui memoria valent: tardè verò intelligentia assequi possunt: quod memoriæ mandandũ est. Multi ad intelligendum excitatam naturam habẽt: sed memoria fragili sunt & fluxili praditi. Alij propter desidiam à studijs abhorrent: quod genus pessimum est: alij propter familiaritates, aut monitores domesticos industriam remittunt: & sese corrumpi patiuntur: alij sunt, qui non literarum: sed caterarum rerum studijs delectantur magis:

tur magis: alij celeriter fatigantur: sed multa breui assequuntur: alij laborem ferre queunt: sed assequi nolunt, quod queant.

Omnia hæc vitia à magistro bono & moderatore perito notanda sunt atq; corrigenda: sed modo bono: & ratione amabili. Caput præceptionis est: vt quales præceptor discipulos esse velit: talis ipse esse videatur. Qua in re etiam domi peccatur à parentibus: vsq; adeò, vt sæpe pueri natura boni parentum labe inquinentur. Sed in magistro & doctore vitia quasi in loco conspicuo proposita sunt: vt & virtutes. Appareant igitur in doctore, & extent: & in oculis omnium puerorum versentur vigiliæ, labores, lectiones, scriptiones. Adferat quotidie aliquid ad discipulos suos: tanquam ad filios bonus pater: quo teneras mentes refocillet & nutriat. Consideret, quàm auidè auiculæ implumes escam excipiant: quàm diligenter parentes adferant: quàm crebrò & quàm assiduè auolent: quàm accuratè custodiant ab inedia & fame: à pluuia & aëris iniuria: ab inimicis bestijs, incommodisq; cæteris: quæ his bestiolis accidere possunt. Telephe vel Peleu fleas, si me flere vis.

Sed feras bestias natura impellit ad quotidiana officia: hominibus, quò ratione plus possunt: eò diligentiùs enitendum est: ne à bestijs brutis superentur.

Duæ verò res sunt præcipuæ: quas in literarum magistro requirimus: diligentiam, & modum: quarum alteram Græci φιλοπονίαν *vocant: alteram* μέθοδον: *sine qua illa, quæ suprà posuimus, vitia corrigi non poterunt. Doctrina non memini: non enim est opus meminisse: quî enim magister sit: qui non sit illis rebus eruditus, quas alijs constituit tradere?* Duæ Præceptoris virtutes

DE CLASSIBVS.

SEd docendi modus inchoandus est: instituto gymnasio bono: & partienda discipulorum frequentia, & multitudo est certis ingeniorum gradibus: quas classes, & curias, & tribus vocant: exemplo magnorum populorū: eorumq; vocabulis. In his primos vocamus, qui primum doctrinæ locum obtinent: & primam curiam, classemq;, vel tribum his damus: qui verò in secundis, tertysq; consistunt: his secundam, tertiam, quartámue, aut quintam concedimus sodalitatem. Veluti enim sodalitia sunt & societates condiscipulorum, huiusmodi scholarum collegia: & condiscipuli sunt, qui in eiusdem disciplinæ sunt societate.

DE QVINTA Classe.

PLacet igitur temporis causa Lauinganum collegium quinq; in partes diuidere: & in quinto gradu collocare: qui neq; legere possunt: neq; per se possunt quicquā cognoscere. Hæ cunæ sunt nostræ domus atq; familiæ: in his iacet noster hæres, & particeps. Agricola spem in herba sua positam habet: paterfamiliâs vagientē in corporis adhuc cunis infantem gaudet suauiter à matre atq; nutrice educari: & hæredem, qualem optat, expectat: at ludimagister bonus tanquam alter parens, imò nouæ naturæ genitor: balbutiente adhuc delectatur adolescentulo: & suum ludum pro cunis habet: & paruulum adolescentē pro infante filio habet: cui det doctrinæ escam: quē enutriat salubriter: quem afficiat suauiter: cui præmasticet, quod

1. Amor Præceptoris.

cet. quod edendum est: ne quid ventriculo noceat: ne vllo cibo crudo stomachum pueri stomacho faciat. Hic igitur adolescentulum, simul ac sextum annum ingressus est: ad se fouendum, & curandum, & educandum, atq; erudiendum tanquam nutrix suo sinu excipiat: & suum ludum maternum gremium esse existimet: quem lactet: quē purget: quem refocillet: quem fascys tueatur: quem vestiat: quem Philosophicè induat.

Inde igitur à principio intueri debet in illam, quam proposuimus, artium partitionem: neq; ab ea oculos diuertere: sed non ad illius mysteria accedere: & nimis altè ingredi adolescentulum volet: ne homo in brutum animal, et Actæon in cornutum ceruum: amisso ingenio cōmutetur: & arrogantia absq; ingenio: cor absq; animi robore appareat: noxiæ sunt alæ Dædali: maturè ad res graues, & difficiles, & arduas progrediendum est. Sat citò fit: quod sat fit benè. 2. Res facīles ad artes pertinētes.

Is igitur puer: si domi precari Deum didicit: si symbolum Ecclesiæ catholicæ tenet: si memoriter recitare potest ambas tabulas patrio sermone: non opus est Latino aut Græco Catechismo puerilem onerare industriam: quæ leuanda est, & liberanda omni molesto pondere. Satis est, si, quæ domi accepit, in ludo isto non obliuiscatur: sat precatur piè: qui patria sua lingua precatur: æquè cuiusq; sua patria lingua Deo grata est: atq; illæ sunt, quas volumus adolescentes condiscere. 3. Catechismus.

De principio ergo proponātur huic adolescētulo literarum formæ: easq; quoad eius poterit fieri, assuescat pronunciare sono Romano: ne quid sonet peregrinum. Habet enim gens sua quæque linguæ vitia: quæ non sentiuntur, 4. Literæ, & earū sonus.

nisi ab exteris. Obseruaui Hispanos, qui Louanij eruditi essent annum vnum atq; alterum, eruditiùs & recitare carmina, & orationem solutam sono suauiore: quàm alij, qui recens aduenerant: & ipsi Louanienses, & Belgæ consuetudine Hispanorum sonum vocis atq; literarum efficiebant

5. Partitiones literarum. meliorem, atq; volubiliorem. Neq; in hoc initio videtur literarum obscura partitio tradi debere: quam ea ætas nõ potest intelligere: aut quæ potest per se intelligi: modicis discendo & audiendo factis progressibus; & diuisa sunt tempora: quibus hæc indicari possunt, & debent.

6. Inflexiones nominũ & verborũ Quamobrem cognitis literis statim ad nominum inflexiones ducendus est: in quibus casuum & ipsarum inflexionum ordo retinendus est: & obseruanda extremarum syllabarũ varietas. Neq; inflectere puerum nomina & verba solùm multùm oportet: sed etiam multa: & cogitet præceptor, aliter legendum esse: aliter inflectendum. Locũ igitur habeat Plinij consilium in lectionibus: in verborum verò cõiugationibus, & nominum declinationibus Quintilianum sequamur: qui puerum imprimis vult scire declinare nomina, & coniugare verba. Hæc scientia in hac ætatula exercitatione & consuetudine quotidiana & continenti comparanda est: non artis demonstratione: more Mathematicorum & Dialecticorũ. Aliud enim Mathematici officium est: aliud Grammatici in hac ætate, & in hoc principio: in quo omnis vitanda est obscuritas: omnis etiam prolixitas præceptorum.

7. Vocabula. Inde ab isto exordio duplicem debet habere præceptor finem earum artium, quas suprà posuimus: vnum, qui trium est artium Sermonis puri, veri, diserti: alterum earum doctrinarum, qua sunt rerum: siue ad mores illa pertineant: siue

aut: siue ad naturam: & ex illis artibus vocabula conquirere: eaq; in ordinem cogere: & distribuere discipulis.

Quocirca cùm primùm ingredietur in gymnasium infans: videri sibi debet in alienam ciuitatem ingredi: ignotam non solùm moribus & institutis: verùm etiam lingua atq; sermone: verùm ita, vt ingrediens in vrbem velut mystagogum habeat: qui mysteria vrbis hospiti indicet: & humaniter excipiat aduenientem.

Nuda igitur vocabula rerum proponenda sunt in hac curia: & illa imprimis: quorum genera didicit inflectere: qua in re locupletandus est puer: sed vt non hac pecunia grauetur: & locupletandus pecunia probati argenti, atq; auri, & notæ melioris. Liberalia enim esse hospitum debent dona & munera: non barbara: non sordida. Origo eloquentiæ delectus verborum est: delectus verò optimarum rerum est. Latina igitur sint verba: & illius ætatis, qua optimè locuti sunt ciues Romani, hoc est, inde à consulibus & Regibus vsq; ad occasum Ciceronis: cum quo simul ipsa videtur occubuisse eloquentia. Verba igitur sumi & proponi debent Romana & latina: nō barbara & peregrina: sed consuetudinis quotidianæ: & earum rerum, quibus vtimur aut fruimur quotidie: & quotidie hominū sensibus obuersantur. Ea enim verba & nomina notæ melioris vocamus: nō quæ rara sunt & singularia: & quorum rarus est vsus: sed quæ cōsuetudine trita, & quotidie erāt vsurpata Romanis ciuibus. Imprimis verò ætatis nostræ noua ista licentia vitanda est: & hæc noua verborū farrago: sine delectu, sine obseruatione antiquitatis: imò absq; aurium vllo iudicio. Nam tametsi adolescentulus iudicare non potest: neque enim Romani id vel Athenienses

8. Vocabula bo næ notæ.

potuerunt

potuerunt infantes iudicare: quid Latinum, quid barbarum esset: tamen nutrices cum lalare illos assuefacerent: ijs verbis vtebantur: quibus Romulus et Remus vsi erant: & quibus consules atq; prætores vtebantur: non quæ à Brutijs aut Rhegijs importabantur in vrbem: minùs, quæ Galli adferebant Aquitani, aut Celtæ. Nutriat mihi Cornelia mater Gracchum infantem suum: dum adhuc in cunis atq; fascijs est: suo, non peregrino lacte: & ex cuius vberibus nutritur salubriter: ex illius ore etiam sonũ accipiat verborum: ipsaq; verba sana, hoc est, Latina: nõ peregrina: non noua, neq; insolentia: non è barbarorũ scholis profecta.

Copia verborum. Copiam verborum adipiscetur iste imbecillus discipulus: vt non oneretur, neq; aggrauetur: locupletetur tamen: si bona solùm, vel etiam singula proponantur singulis vocabula quotidie: sed non singulis idem verbum: verùm diuersum: neq; enim ciuibus etiam vtile est: vnum tantùm habere mercimonij genus omnes: res magna sit non vna aliqua sui particula: sed omnibus sui partibus: sic Deus animantia constituit: sic hominem finxit: sic mundum condidit. Naturam rerum, & Deum omnium rerũ fabricatorem atq; conditorem sequi ducem & vtile est, & decet, & rectum est. In mercatura negociatores, mercimoniorum & rerum venalium commutationem faciant: adolescentes inter sese rerum vocabula mutent & cõmodent: alter alteri sua, & industria in comparando: & parsimonia in reminiscendo: & liberalitate in communicãdo.

Igitur vno eodemq; die in vna curia vnus puer, qui primum locum occupat, sciat, quid sit Deus: alter, quid mundus: tertius, quid cælum: quartus, quid ignis: quintus, quid

tus, quid aër: sextus, quid aqua: septimus, quid terra: octauus, quid animal: nonus, quid homo: decimus, quid bestia. Eadem ratio in reliquis retineatur curijs: vel ijsdē retentis vocabulis initio disciplinæ: vel ex alio genere rerum sumtis earum notis atq; dictionibus: vt primus interrogetur, quid virtus sit, & vitium: alter, quid prudētia: tertius, quid iusticia & iniusticia: quartus, quid fortitudo & ignauia: quintus, quid temperantia & intemperantia. Hac ratione retenta: paucorum dierum assiduitate: die vno decem decuriæ omnis generis merces bonas adferent: emtas à magistro propola: cuius propolium legibus concessum est: & instituto ciuitatis, præmijs debet honorari hoc genus vberrimi quæstus, & honestissimi lucri.

Primū officiū præceptoris, Diligentia.

Atq; hic doctoris requiritur primùm diligentia: tùm scientia: postremò modus. Diligentiæ est, nullum diem intermittere: quo non vel hæc tradat: vel hæc repetat: & quotidie has lineas ducat. Est etiam diligentiæ, in sua ephemeride annotata habere: quæ verba quibus dederit, & quo die decurijs. Alterū, Scientia. Scientiæ est: ex probatis authoribus rerum vocabula sumere: & res generibus comprehendere: & genera formis separare: & verbum Latinum vocabulo Germanico, si poterit fieri, vno: sin minus: paucis tamē & breuiter ita explicare: vt respōdeat definitionibus Philosophorum, & eorum scriptorum: ex quorum artibus, aut scriptis ipsa sunt sumta vocabula. Hoc enim modo labor docentis fiet leuior: & onerabitur ipse non grauiter: si ad optimos authores confugiat, vnde mutuet: in re militari ad Vegetium, & historicos: in Medicina ad Cornelium Celsum: etiam ad Ciceronem in partibus humani corporis: in Agricultura ad Catonem & Varronem: in Iure ad Pandectarum

ctarum libros: in Theologia ad libros sacros: imprimis verò Lactantij, & Hieronymi. Ex Cicerone etiam multa possunt corrogari, cùm propria & natiua: tùm conuersa, & translata, & immutata: & artificiosè ornata atq; figurata: dilatata etiam verba, quæ in religione nostra possunt esse illustria.

Tertiũ, Modus. Sed quoniam omnibus rebus modus necessarius est: & moderatio ratioq; requiritur. Modus primùm vnus est: eum ordinem, quem ostendimus, instituere & sequi. Alter, non plus properare, quàm vires discipuli patiantur. Tertius, qui properationem potest adiuuare: memoriam non solùm præsentis, sed etiam superiorum dierum renouare: id fiet primùm interrogatione præceptoris per omnes facta decurias voce clara: vt reliqui in tota curia, etiam extremi queant exaudire. Quod in Musica fit, vt omnes simul canant, & audiant: id etiam in hac debet fieri arena: vt omnes simul vel pugnent, vel spectent, hoc est, omnes pueri aut interrogent, & respondeãt: aut simul audiant, quæ respondeantur, atq; interrogentur. Vitiosa & detrimentosa ratio est: auri adolescentis vnius astare: & non omnium aures interrogationibus & responsionibus feriri atq; excitari.

Modo etiam bono faciet curiæ præfectus atq; præceptor: si quod cuiq; vocabulum commisit: id ab eo requirat, & requirat necessariò: etiam mulcta proposita. Si verò de ijs etiam: quæ alijs commissa sunt: interrogatus adolescens benè respondeat: laude discipulum excitet: vt et ipse puer præmium industriæ accipiat, præceptoris præconium: & reliqui exemplo vnius fiant meliores.

Sed non solùm ludimagister interrogare debet: verùm etiam

etiam decurio: & cùm coràm præsens est magister: & antequam in scholas magister ingrediatur: & posteaquam è scholis egressus est. Componendi etiam inter se ipsi sunt decuriones: & alter in alterius conabitur septa transilire: & probare milites in alieno contubernio. Istud moderatiùs fiet: si præceptor coram adsit: sed tamen absente magistro discipuli probanda industria est. Lutetiæ consuetudo scholarum vtilis, & vetusta est: horam vnam antemeridianã sumere, & alteram pomeridianam: quibus, habitis scholis à magistris, singuli suos in atrio gymnasij retinent: vt inter sese disputent & differant ijs de rebus, quas eodem die, aut superioribus audiuissent: & didicissent à præceptore. Interrogationes de vocabulis.

Memoriam etiam adiuuabit si generi alicui intermedio: eidem subiectæ formæ apponantur: tanquam ancillæ, aut pedissequæ: vt iusticiæ æquitas: amicitiæ, gratitudo, fides: prudentiæ ad latus dextrum ponatur sapiẽtia, ad sinistrum prouidentia, rerumq; vsus: qui positus est in experiundo res quotidianas: & præteritarũ rerum atq; factarũ memoria. Hac ratione genus intermediũ à comitibus suis instructũ, si prodeat in medium ludi: mirabile est, quàm illustret intelligentiã, & memoriã stabiliat. Id cùm in huiusmodi rerum verbis fiet: quæres sub sensum aliquem non cadunt: tùm præcipuè in illis, quæ sensus mouent cum aliqua voluptate. Vt si in ludum egrediatur è culina coquus cum suis administris: & sua adferat instrumenta: suosq; victus atq; cibos venum exponat: & nominatim, quanti singula æstimet, promulget. Architectus si prodeat cum sua copia instrumentorum, lapidum, lignorum, ruderum, calcis, arenæ, formis ædificiorum: an non ludus literarum quasi proscenium erit iucundi spectaculi? Genera cum suis speciebus.

Rationis etiam bonæ est: suis vnumquodq; temporibus fieri: quorum vicissitudo mirabiliter fatigatas mentes relaxat. Quæ verò memoriæ mandanda sunt: & sunt prolixa: illa antemeridianas horas habeant distributas: quæ renouanda, pomeridianis magis conuenĩūt exercitationibus.

Inter modos etiam ponatur: quæ memoriæ mandarũt vocabula pueri: ea notata à præfecto ludi: vbi legere pueri, & literas formare poterunt: quasi singulari beneuolentia decurionibus, qui industria antecellunt, dare describenda: ita auidius reliqui expetent condiscipuli: & quod vni conceditur: id omnes sibi etiam dari postulabunt.

Sit ergo in hac curia primus labor in legendo, & inflectendo: secundus in congerendis vocabulis: quorum delectus origo est eloquentiæ: tertius scriptorum: de quibus nunc est dicendum: in quo illud præcipitur: vitare quicquid longum est in his incunabulis. Nihil hîc longum esse debet: præter quietem nocturnam: qua hæc ætas fraudãda non est: & præter voluptatem honestam: sed magnitudo in voluptate æstimanda vtilitate est: tantisper recreetur, dum vtile est: & dum studia delectatione adiuuantur: & corporis requirit valetudo.

Aniadnersio præceptoris, et grauitas, atq; moderatio in castigãdo.

Quàm longissimum esse cupio discipuli gaudium: & optandum est, nunquam necessariam esse virgæ & ferulæ seueritatem. Pestes scholarum Orbilij sunt: sed tamẽ Catones volumus esse: verùm blandos: dum virtus colitur: & officium non deseritur. Etiam Catonem aliquando decebat risus: & in virtutis lætitia ipse tristis esse nõ poterat.

Sed hæc de seueritate magistrorum: dicere autem institueram de scriptis, & de libris: qui pueris sunt in hac tribu explicandi.

Eïcio igitur

Eycio igitur ex his scholis: & ex hac curia in superiores classes remitto orationes Ciceronis etiam breues: itẽ libros Philosophicos: & quicquid librorum est: Sentẽtias verò admitto primùm eas, quæ singulis membris comprehensæ sunt: Magnum vectigal parsimonia est. Deinde, quæ binis absoluuntur, vt: Adulatio blanda habet principia: sed eadem exitus adfert amarissimos. Has sequentur periodi trium membrorum: atq; etiam quatuor. Longiores etiam ambitus admitto: quos Græci περίμετα, *&* τάσεις, *&* καταφοράς *vocant: sed facto interuallo: & iactis fundamentis declinationum: atq; coniugationum: cùm nullum verbum erit: quod puer non queat flectere: & cùm copia aliqua verborum erit conquisita.*

Sed hæ prolixæ circumductiones verborum, atq; sententiarum, superioribus magis idoneæ sunt curijs: confirmata iam consuetudine inflectendi: & traditis Grammaticorum regulis, cùm purè, & Latinè loqui puer incipiet.

Neq; solùm has periodos esse volo de moribus, & virtute, & religione, cæterisq; virtutibus: neq; contraria solùm volo continere periodos vitia: sed etiam rerum aliarum vocabula: quæ eiusdem generis sunt, & referũtur eodem: vt sunt ædium partes: vt motus varij corporis humani, aut animantis: vt actiones animantium, & hominum: vt mundus, & mundi partes: vt domus, & illius fundamenta, tecta, parietes, partesq; illius præcipuæ: vt cibi, potusq; genera: vt agricola, & agricolæ officia: villa, & totius villæ distinctio: vt literarum studia, & illarum vtilitates: cuiusmodi est in oratione, quam Cicero pro Archia poëta habuit, optimum exemplum, de vtilitate, & suauitate literarum. Res in periodis longioribus.

Quæ de nominibus præcipio: eadẽ de verbis intelligo: quæ commune genus habent: quo continentur. Vt in corporis actionibus agere: stare, sedere: ire, redire: egredi, regredi: proficisci, reuerti. Vt in animi motionibus: commoueri & perturbari: dolere, exhilarari: mœrere, lugere: miserari, irasci, odisse. Sed nomina verbis in oratione sint priora: & à nominibus in hac curia sumatur principiũ.

Vtile est etiam in hac classe: vna aliqua epistola complecti exempla omnium earũ regularum: quæ a Grammaticis traduntur in ea parte, quæ Syntaxis dicitur. Nam tametsi ambitus illi verborum de rebus, & actionibus rerum, quæ in natura sunt: habent omnium præceptorum exempla: tamen ad docilitatem pertinet: in vno scripto, & pagella vna omnium varietatem intueri.

DE QVARTA Classe.

Posteaquam in hoc ludo his, de quibus locuti sumus, exercitationibus anno vno erit educatus puer: progredi illum volumus ad vicinam curiam, in qua euadet instructior: neq; solũm loqui discet: sed etiam cognoscet: quomodo, & qua de causſa vnumquodq; dicatur: & quæ sint illarum, quas à primo magistro didicit, rerum partitiones.

1. Memoriaeorũ, quæ didicit.

Ergo magister, qui hunc adolescentem ex alterius manu & sinu excipiet: scire debet illius ciuitatis, hoc est, classis, vnde progreditur, mores atq; instituta. Illa retinere, & in his nihil immutare: curare etiam atq; prospicere: vt horum nihil, quæ didicit, obliuiscatur: & quod in re familiari præcipitur: idem hoc loco diligenter retinendum est: vt

est: vt partæ res retineantur, & conseruentur: & accessio fiat & amplificatio opum atq; facultatum. Eadem igitur præcepta retineantur: ijdem libri: eadem diaria: idē modus interrogandi: eadem ratio accumulandi opes, atque facultates rerum, & verborum.

Hic igitur eam partē Grammatices tradet: quam vocant ἐτυμολογικήν: qua ostenditur: quot orationis sint partes: quid vnaquæq; sit: & quæ res, & quot vnicuiq; accidant: siue quæ sint in vnaquaq; orationis & sermonis parte considerandæ: in quibus præcipua sunt nominū & verborū inflexiones, & genera: quorū omniū exempla sumet ex illis, quas didicit, rerū atq; verborū circumscriptionibus, & quotidianis diarijs: nō ex alijs libris: nō etiā ex illis, quæ ipse traditurus est, anteq; tradat: vt puer et intelligat, quot, quātasq; res sibi primo magistro compararit: & videat, qd ab illo hic nouus præceptor reuocet: & quid de suo addat. 2. Etymologia. 3. Exēpla præceptorū.

Adiūgetur ad hāc Grāmaticæ partē ea, quæ σωντακτικὴ dicitur in qua idē retineri volo: quod in superiore: vt exempla sumantur regularū è primis cunis, primoq; gremio. 4. Syntaxis.

In vtraq; parte & breuitatē esse volo, & perspicuitatem: cùm in libris, qui proponentur: tùm etiā in præceptoris industria. Hic enim tribunus, & huius curiæ præfectus, & interpretandi ratione, quæ singulorū verborum est: & illorum explicatione, quæ fit exemplis: & iteratione, atq; geminatione eadem hora, & repetitione atq; renouatione insequentium dierum: & reuersione, quæ fit temporum vel potius dierum interuallis: id assequetur, atq; id efficiet: vt puer & celeriter comprehendat, quod docebitur: & crescente copia non obruatur: & multitudine augescente non debilitetur: sed stabiliatur memoria.

Obseruabis

5. Phrases & Latinitatis cura.

Obseruabit idem magister, quid Valla: quid Linacer: quid Adrianus Cardinalis: quid Budæus, & Lexica tradant: quæ ad has duas Grammaticæ partes pertineant. Sed ostendere debet absq; autoribus, & eorum libris, etiam absq; dictatis: quæ verba latina, quæ barbara: & quæ verborum, atq; nominum consecutiones puræ: quæ impuræ: & quæ vocabula rerum, & qui loquendi modi vsurpabantur Ciceronis, atq; Varronis ætate: & quæ addita ad consuetudinem, Plinij & Quintiliani temporibus. Teneat etiam absq; horum librorum interpretatione: vetustum esse, cùm dicitur: Contrà verò sentiunt: & minùs fuisse vsitatum: econtra vero sentiunt. Sciat puer, Latinum esse, cùm dicitur: Veni ad me quàm primùm, & quàm celerrimè: At barbarum, si dicatur: quàm primùm Cicero in vrbem è Cilicia rediit: salutauit illum, & est complexus in medio foro. Qui enim Latinè loqui volunt: cùm primùm, inquiunt, in vrbem rediit. Quæcũq; huius sunt generis: & singularem naturam habent: decerpi ex aliorum debent disputationibus: sed eas explicare, neq; necessarium est: & est prolixum: & doceri possunt meliora. Sed neq; omnia, quæ huiusce generis sunt, in hanc tribum comportari debent: quædam enim superiori proximæ, & vicinæ tribui sunt relinquenda: si aliquid habeant difficultatis: quam hæc curia ferre non possit.

6. Qui libri & autores in hac curia explicãdi,

Atq; hæc de præceptis, & Grammaticis regulis in hac classe: nunc de libris & scriptoribus: inter quos nemo melior Cicerone: cùm propter res, quas explicauit: tùm propter copiam: imprimis verò propter puritatem sermonis Romani. Perpetuum hic poterit esse exemplum etiam in illis rebus: quas ipse in suis voluminibus non pertractauit.

Non enim

Non enim res similes & eadem eandē atq; similem tractationem atq; perpolitionem habent: sed etiam plerunq; diuersa & contraria negocia, sub eandem formam atq; speciem cadunt, collocādi, argumentādi, confirmandi, amplificādi.

Sed quia in classe inferiore proxima sæpe fit: vt nō omnia, quæ optamus, anno vno perfici possint: vel propter ingeniorum tarditatem: vel propter temporum iniurias: quæ bella, & morbos, & conuersiones varias adferre solēt: retineri volumus in manu & sinu adolescentis, illud periodorum & exemplorum volumen: & quod in illa tribu absolui non potuit: in hac curia volumus consummatum explicari. Sæpe etiam fit: vt etiamsi in inferiori percurrantur: tamen hic necessarium sit reuocare ad intelligentiā, & explicationem meliorem.

Deinde, quemadmodum ex inferiore illo gradu puer ascendit ad altiorem benè instructus copia verborum, & formularum: quibus sententiæ variæ exprimūtur: & quibus pro exemplis hic maioris doctrinæ magister vti poterit: ita etiam ex hoc loco adolescentem volo egredi: & secum adferre exempla varia periodorum, argumentorum, conclusionum, ornamentorum: comprehensa vno volumine: quibus in superioribus vicinis tribubus adiuuetur: in quibus Rhetorum præcepta cognoscet: & ijsdem ille Rhetor vtetur: dum suppeditabunt: cùm desient, de suo penu adferet: quibus educet discipulum. Tam diu verò, quæ antea didicit puer, reuocare & renouare debet huius loci doctor: quàm diu vel non satis intelligit adolescens benè: vel non satis benè meminit: tàm diu verò de suo addere: & alia ex Cicerone conquirere ad hoc volumen: quàm diu puerum sentiet proficere: vt in pueris copia verborum augeatur:

7. Augēda hîc verborū, & sentētiarum supellex.

atur: & abundent formulis sententiarū: & ipse præmonstrator exempla habeat: in quibus definitiones, & partitiones, & regulas suas, & præcepta, atq; consilia explicet.

Ad hoc volumen adiungi volumus librum sextū accusationis Verrinæ: qui varijs refertus est rerum narrationibus. Nam quoniā hic fundamēta ponimus sermonis Latini: & primæ classis pueri verba singula cognoscunt, quā habeant potestatem: & cōiuncta considerant, quam efficiant sententiam: & ipsi breuibus sententijs loqui incipiunt: postulādo, mandādo, interrogādo, optādo, deprecādo, hīc paulò assuescent copiosiùs loqui, non præceptis: sed exēplis: cuius facultatis initiū est narratio. Nam tametsi perfecti artificis sit narrare & exponere aliquid benè: difficilius tamen est de re obscura argumentari: quam rem factā narrando explicare: & quid laudabilius esse potest in puero? quàm narratio confecta verbis pura: sententijs suauis: intellectu clara. Huius facultatis exempla propè omnia habet sexta, de qua loquimur, Verris accusatio. Hanc etiam memoriter posse recitare: nō inutile est: sed adiuuetur pueri memoria: præceptoris moderatione, quæ fit non solùm interpretando: sed etiam repetendo: neq; prius fatigetur memoria, quàm res sit benè cognita: & iterata, atq; aliquoties reuocata ad intelligentiam.

Isti exercitationi rectè accopulabūtur delecta aliquot Ciceronis epistolæ: quò puer habeat, quod imitetur in conficiendis epistolis: vnde stilus sumere suum solet principium, de quo illud hīc satis est præcipere.

Stili vtilitates maximæ.

Primùm intelligat adolescens & credat præceptori, maximas esse positas in stili exercitatione vtilitates. Hic enim ingenium acuit: memoriā adiuuat: verborū copiam auget,

auget, & purgat: sententiarum formulas varias suppeditat: facultatem dicendi secum apportat ipse: hic efficit, vt tarditas celeritatem: stupor acumen: natura impedita animum excellentem superet: huic tandem nihil difficile, nihil arduum esse poterit: hic non solùm in ea, quæ videntur: sed etiam, quæ non videntur, penetrat: nihil reconditum in tenebris, quod ab hoc non proferatur in lucem: vt videatur, & intelligatur: hic nullum iudicem: tandem nullum condemnatorem metuit: se probat ipse stilus: Aristarchos non extimescit.

Confitendum tamen hîc est: quod ipsi de nobis adolescentibus senes meminimus: rem fuisse nobis plenam molestiæ atq; fastidij: sed id accidit præceptorum nostrorũ inscitia, & ignauia. Rerum difficultas magistrorum explicanda est industria. Itaq; consideret etiam atq; etiam fabricator stili: vt ne suo vitio iuuenilis fundus calamitatem accipiat: ne magister ipse pauperiem faciat: quam discipulus non pateretur: si habuisset præmonstratorem: vel præmonstratorem idoneum.

Sit igitur hoc primũ in præceptis: illudq; efficiat præceptor: vt puer quotidie scribat aliquid: quotidie aliquid condat, & componat: quod mox depromere possit: vt de se loquitur poëta Horatius. Neq; enim satis id esse putet, vel alternis hebdomadibus hanc exercitationem: aut singulis semel esse mensibus reuocandam: sed quotidie, vt proposui, aliquid scribendum est: & adolescentis industria magistri industria, & facilitate, & scientia adiuuanda est.

Facilitatis est, breuia argumẽta proponere: id quod fieri solet patria lingua & sermone quotidiano: neq; improbo: habet enim adolescens, nõ quod inueniat, sed quod solùm in-

terpretetur. Sed hîc duo sunt vitanda vitia: quorum primum est eorum, qui ambitus verborum faciunt prolixos: quos ne intelligentia quidem assequi possunt adolescentes: de stilo taceo: alterum, quòd verba, & sententiarum formulas, non ostendunt: quibus, quod patrio sermone propositum est, Latina lingua queant discipuli interpretari: nō ad verbum, patria consuetudine: id enim corrumpit linguæ puritatem: sed Latinis verbis & Romanis sententiarum formulis: gazæ Persis relinquendæ sunt: & Pœnis falaricæ: & Gallis brachæ: & Græcis phalāges: prodeat Latinus puer Romano ornatu: armatura, vestitu, acie: & sciat, Verrem reprehensum esse: quòd Græco pallio, & regia purpura in meretricijs castris visus fuisset.

Quamobrem argumentum istud breuibus diducatur verborum comprehensionibus: proponat vel incisim, vel membratim, vel binis membris vinciat, vel ternis deducat: summum, quaternis absoluat sententiam. Sed principio exercitationis singula magis placent, & bina: illa, quæ prolixioris habitus sunt, interuallo facto auctis viribus assumantur. Neq; satis est, verba & sententiarum formas voce indicare præceptorem: in tabula, vel in pariete scribat: interrogando etiam experiatur, quantum possit puer, antequam sinat eum calamum & stilum in manum sumere. Si enim infantis ventriculo nō nocet cibus præmasticatus: sed est salubris: cur hæc præcantata noceant, & non sint vtilia discentibus? Eadem enim ratio est exercitationis in scribendo, quæ in cantando: in stilo eadem, quæ in Musica. Qui cantoris discipulus queat cantare, antequam didicerit: nisi præceptoris adiuuetur præcantatione? Hæc igitur exercitatio in scholis & suscipiatur, & instituatur, & perficiatur

ficiatur in hac ætate, & in hac curia: de publicis enim exercitationibus aliter sentiendum est: nos autem adhuc propè in cunabulis assistimus.

Facilitatem etiam stili adiuuat consideratio eorum, quæ puer didicit in illis primis quasi infantiæ cunis, in curia quinta: ex qua nomina verbaq; rerum multa attulit: ad hæc argumenta accommodare: & eadem sæpenumero reuocare ad memoriam adolescentis: momentum magnum adferet & ad facultatem, & ad facilitatem.

De facilitate satis pro hoc tempore præcepimus: sequitur scientia, quam volumus præceptorem adferre ad hanc stili exercitationem, vnà cum facilitate.

Scientiam verò liberalem, & eruditam sententiarum inuentionem: qua efficitur, vt genus epistolæ efficiatur liberale, acutum, graue, ingenuum, suaue, non solùm verbis, verùm etiam sententijs: qua assiduitate stili adolescẽtulus id adipiscetur: vt vel vltrò similis facultas cum eo coalescat: vel si non sua sponte statim hæc sequatur: tamen sibi non satisfaciat adolescens: nisi similia conficiat: &, vt conficiat, conabitur: neq; desinet antequam ad eum perueniat locum doctrinæ: in quo vidit magistrum constitisse.

Prodest etiam, epistolam aliquam Ciceronis breuẽ: aut partem epistolæ, aut argumentationem aliquam non longã, aut narratiunculam, aut amplificationem mediocrem ad verbum interpretari Germanicè: & puero proponere: vt transferat in Latinũ sermonem: hoc enim pacto adolescens se non à magistro: sed à Cicerone ipso eruditi sentiet. Omnia autem ista in ludo, & in scholis fieri debent coram, cùm præsens adest magister: vt à condiscipulo aliquo doctiore non sumat: vt ex Cicerone non describat: vt habeni-

nis sui præceptoris artificiosè condoceſiat.

In hac curia etiam fructuosum eſt: Catechiſmum ex patria transferre in Latium: & Latinè reſpondere, quod in quinta curia Germanicè pronunciauit: idq; memoriter remoto libro: qua in re magiſter operam dabit: vt puritas retineatur ſermonis Latini: ne quod in Germanica linguæ ſpecioſum delectat: in Latina deforme generet faſtidium.

Meminiſſe oportet hic etiam duorum: quæ præcipimus: primùm, vt Latinè loquatur præceptor, hoc eſt, vt verbis vtatur cùm natiuis, tùm tranſlatis: ad patriũ ſermonem, niſi neceſſarium ſit, non decurrat. Neceſſarium autem erit: cùm poteſtas verbi noſtræ linguæ verbo exprimitur ſignificanter: & cùm nouum aliquod verbum ſit obuiam. Alterum præcipimus, vt talis eſſe videatur præceptor: qualem diſcipulum eſſe velit: vt amet ſtudia literarum: vt admiretur: vt conſilium det: vt exemplis excitet: vt adhortetur: vt ſtilum exerceat: vt aliquid à ſe conſcriptum, vel commentatum recitet: vt manè euigilet: vt abſq; libro non videatur, ne quidem foris: vt temperantia eius in cibo, & potu: elegantia, & morum ſanctitas conſpicua ſit diſcipulis.

Telephe vel Peleu: ſi me vis flere: tibi dolẽdum eſt.

DE TERTIA Claſſe.

HActenus Latino lacte nutriuimus adoleſcentem: quaſi adhuc adhærentem Corneliæ vberibus Sempronium: in tertio verò gradu commutandus modicè cibus eſt: & educendus ad æquales robuſtiores: ad poëtarum, & Græcorum filios, vt his aſſueſcat colludere: ſed ita, vt

ita, vt socios superioris ludi, atq; æquales nō deserat: neq; obliuiscatur eorum, quæ audiuit, didicit, egit, locutus est: scripsit: in duobus inferioribus ordinibus.

Ad superiora igitur præcepta Grammaticorū in hoc loco poëtice adiiciatur: de syllabarū temporibus: de numerorū, qui pedes vocātur, generibus: de carminū formis: hic Virgilij Bucolica: & libri Aeneidos explicandi sunt: hic Odæ Horatianæ aliquot, aut epistola vna atq; altera: aut sermo aliquis vnus satyráue eiusdem poëtæ adiungatur: et religionis ergò, & propter carminū genera, Prudentiani hymni, & audiri, & decantari possunt: sed de exercitationibus diuinis altius est præcipiendi locus relictus. 1. Prosodia.

Hic etiam Græcorū inflexiones nominum atq; verborum instituentur: hic ex Græcis scriptoribus exempla, & ambitus oratorum, vt Demosthenis, Aeschinis, Isocratis: Philosophorum, vt Platonis, Plutarchi, Aristotelis congerendi sunt, atq; proferendi in medium. Hic Ciceronis libri philosophici: orationes etiam integræ recitandæ: & interpretandæ: & adiicienda in Latinis scriptoribus, quæ antea non viderit: & amplificanda copia verborum, & rerum est: vt ante Rhetorica & Dialectica præcepta ab exemplis instructus sit: quibus hæc præcepta euadant dilucidiora. 2. Græca Grāmatica.

Hic quoq; audebit præceptor ad Grammaticas figuras apponere Rhetoricos verborum modos, hoc est, tropos: & verborum, rerumq; ornamenta, quæ schemata nominātur: præceptione modica, sed exemplis illustribus, quæ antè didicisse, & memoriæ mandasse oportebit adolescentem: quàm ad hunc locum conscenderit. 3. Figuræ Syntaxis, & tropi, et schemata Rhetorica.

Hic festis diebus, & pridie diei festi epistola aliqua Pauli,

4. Paulinæ epistolæ breues.

Pauli, & aliquid Euāgelicæ historiæ: & Basilij, aut Chrysostomi, aut Nazianzeni aliquod scriptum, Græca dapes, & sancta edulia, sunt degustanda, & manducanda salubriter ad linguæ, & ad mentis perfectiorem educationem.

5. Stilus maiore diligentia acuendus.

Stilus æquè vt in superioribus locis: imò diligentia maiore acuendus & exercendus est quotidie, nullo interposito dierum interuallo. Sed magister adsit: qui moneat: qui excitet: qui consilium det: qui adiuuet: qui in eadem sit quasi laboris societate: vt adolescentem non pudeat conari: quod præceptorem non piget efficere.

Annum etiam in hoc ludo versanda adolescentū industria est: nisi sint aliqui, qui ante id tempus cursum perficiant: quod rariùs accidit.

6. Memoria eorū quæ in superioribus classibus didicit.

Sed inde ab exordio huius ludi: simul ac ingressus est in hanc palæstram adolescens: scire atq; meminisse debet ludi moderator omnium eorum: quæ duo ante se magistri docuerint: neq; pati, vt eorum memoriam deponant: ne minimorum quidem: maximum enim est, totum id quod necessarium est: sed in his, quæ necessaria sunt: quædam impressa retinent in memoria diuturniùs vestigia: quædā vltrò quotidie obuiam sunt: quorū obliuiſci non possunt: sed nonnulla sunt natura difficilia, & quædam consuetudine sunt insolentia: hic suam probabit industriam magister: cùm fiet probatio. Optimè autem probantur pueri: si is modus retinebitur: qui in ædificijs probandis retinetur, in quibus consideratur non solùm, an benè ædificatum: sed num etiam aliquid carioſum, aut neglectū, aut præteritū.

Sed hæc caries ædificij in adolescentis memoria obliuio est: quæ præceptoris est depellenda diligentia, idq; quotidiana: & quotidianis interrogationibus. Quamobrem nō

solùm

ſolùm memoriam adferent ſuperiorum duorum annorum: ſed etiam librum: vt quod auari patresfamiliâs faciunt in cuſtodienda pecunia: idem diligentes faciant diſcipuli in retinenda ſcientia: vt quemadmodum illi aulas, hoc eſt, ollas argenti non negligunt, ita literarum ſtudioſi ſua conſeruent diaria: quæ ſunt quaſi horrea literatæ huius agriculturæ.

Atq; iſtud eſt vnum in officio præceptoris: cuſtodire, & retinere, & conſeruare ea, quæ didicerunt: alterũ videre, & conſiderare, atq; etiam commentari, quæ ſuperioribus addenda ſunt: & quæ ſunt reliqua facienda inſequentibus. Eſt etiam tertium: vt ne ſuperiorum definitiones, partitiones, & earum verba, nedum ſententias immutet: facilitatem in omnibus ſequatur: &, quoad fieri poteſt, illud antiquum atq; vetuſtũ falſum ſua induſtria atq; diligentia efficiat: difficilia quæ pulchra: falſum etiam oſtendat quoad poterit: illud eodem pertinens: amaræ literarum radices ſunt. Hæ duæ ſententiæ non tegumenta ſint deſidiæ in præceptore: ſi puer impedietur: ſed argumẽta laudis: ſi falſæ appareant, & adoleſcens nihil arduum, nihil inuium inueniat. Turpe eſt putare, hos Grammaticos conatus eſſe difficiles: in Græcis atq; Latinis: cùm patrium ſermonem priùs adoleſcentes vſurpent: quàm ſe didiciſſe ſentiant. Hanc Romanorum, & Græcorum facilitatem in noſtras ſcholas, & ad noſtram ætatem reuocari velim: quam putabo adeptos nos eſſe: ſi magiſtros nõ habeamus repugnantes: & ſua induſtria adoleſcentum induſtriam adiuuent.

7. Prouiſio eorũ quæ sũt addẽda.

8. Nõ mutare præcepta, et regulas: neq; earum vocabula.

DE SECVNDA Classe.

Dialectica & Rhetorica præcepta.

SEcunda classis robustioris ætatis est: & iam exercitatũ tyronem: & propè militiæ atq; castris idoneum myrmillonem requirit: ad Dialecticas cõtentiones: & ad Rhetorica prælia: non quòd congredi cum aduersarijs debeat, aut possit: sed quòd institui queat harumce duarum disciplinarum præceptis atq; exercitationibus. Nam ad hãc curiam adferre debet in sermone Latino nominum: verborũ, particularum, ac vinculorum copiam, varietatemq; omnẽ: præcepta nulla sint Grammatices necessaria: quorum exemplis non abundet: & vsum teneat. In Græcorum lingua copiam, atq; doctrinam tantam: quantam anno vno magistri industria: & suapte diligentia adipisci potuit: idem de poëticis præceptionibus, & regulis tenendum est. Illud verò imprimis flagitatur: vt poëtica ab oratorijs verba, & eorum ornamenta queat distinguere: neq; solùm verba queat coaceruare omnia, quæ vnius sunt generis: sed etiam deligere. Est enim origo eloquentiæ verborum delectus: quam sententiam sæpe soleo repetere: quoniam non satis præcipitur: quod non satis obseruatur. Obseruandum autem & faciendum est: quodcunq; necessarium est: est autem necessarium: & copiam habere vocabulorũ: & horum delectus habere posse.

Et in hac classe supplendum est, quod videtur defieri: & explicandi sunt Græci, atq; Latini scriptores: cùm Poëtæ, tùm Oratores: atq; etiam philosophici, historiciq; libri. Terentium etiam his adiungerem, atq; Plautinas fabulas aliquot: nisi meliorem rationẽ esse scirem: qua hi duo au-

tores

tores familiares fieri, atq; domestici queant: & ipsi quotidie quasi loqui in hisce scholis cum adolescentibus: de qua ratione præcipiemus eo in loco, vbi de exercitationibus quotidianis totius collegij præcipiemus.

In his scriptoribus explicandis celeritas est adhibēda: & vitanda omnis mora illa non necessaria. Sed videntur mihi Romani duos habuisse docendi modos: quorū vnus erat celeritatis, & velocitatis: siue breuitatis, atq; festinationis, qui erat poëtarum: cùm carmina, & versus suos recitarent: qui non consistebat solùm in lectione & recitatione: verùm etiam in significatione vel acutæ sententiæ, vel obscuræ, vel artificiosæ: in ordinis etiam, & collocationis indicatione positus erat. Talis erat etiam ratio poëtarum: cùm fabulas suas docebant comici & tragici poëtæ, histriones. Erat enim poëtarum non solùm dare pro precio fabulas suas ædilibus & magistratibus: sed docere etiam comœdos, & tragœdos versuum sententias: sententiarum vim: verborum etiam, & sententiarum obscuriora ornamenta, & potestates: sed hæc omnia celeriter: vt ante dies ludorum omnia essent apparata. Modi docēdi duo.

Alter modus erat scholarum, quem ostendit Iuuenalis in Satyra sua prima:

Semper ego audior tantum? nunquámne reponam
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impunè ergo mihi recitauerit ille togatas?
Hic elegos? impunè diem consumserit ingens
Telephus? aut summi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo, necdum finitus Orestes?

Hanc rationem in vna aliqua diei hora, & vno aliquo libro: & in obscuritate concedo: sed tamen ita: vt in

longa profectione magnis proficiscamur itineribus. Neque laudo Iuuenalis magistrum: qui discipulum suum vexârit, nõ docuerit: dictatorum prolixitate: prior illa ratio, quàm ista altera Iuuenalis, fructuosior est. Sæpe etiam vtilius est, puerum vel ad verbum interpretari: vel sententiam liberè conuertere: vel explicare pluribus: vel ad breuitatem contrahere: ita vt præceptor non præeat: quæ ratio celeritati est appositissima.

Præcepta Rhetorica, & horarum distributio.

Horas verò ita distinguo quotidianas in hoc ordine: vt vnam tribuam Rhetoricæ doctrinæ: præceptis scilicet Herennianis: in quo scriptore non solum ipsarum est præceptionum vtilitas: sed etiam sermonis puritas. Sed hac hora velim etiam alternis poni Dialecticorum fundamenta: Aristotelicis definitionibus, partitionibus, regulis, quæ à perito, & diligenti magistro, facilè colligi, & in ordinem cogi poterunt, idq; verbis Aristotelicis, nõ translatis atq; Latinis: sed Græcis: quorum natiua potestas hac ratione retinebitur: & ipsa translatio linguam adolescentis non inquinabit: & cùm ad Aristotelis deducetur Organum: non in alienam ciuitatem migrasse: sed in sua se remansisse putabit, & vt in Herennianis Latini sermonis: sic in his Græcæ orationis illa philosophica conseruabitur elegantia. Verùm in Herennianis præcepta illa de memoria artificiosa concedo vt legantur, & intelligantur: sed celeriter: vt autem exercitatione ista pueri vexentur, non probo: alia magis sunt necessaria: & obseruatio collocationis: & annotatio argumentorum, eorumq; tractatio: propositionũ etiam, & rationum, & conclusionum animaduersio, & cõprehensionum consideratio: firmam poterunt efficere memoriam: & satis magnam, si quæ necessaria sunt aut illustria,

ſtria, mandentur memoriæ exempla. Reliquas horas quatuor tribuo vtriuſq; linguæ ſcriptoribus, Græcis atq; Latinis: verùm in his verſandis vnũ cauendum eſt: vt ne Græci ſermonis facultas Latinæ orationis copiam ſuperet & anteuertat. Nam tametſi vtraq; neceſſaria eſt: tamen Latinæ linguæ vſus latiùs, quàm Græca patet in rebus, actionibusq; hominum noſtro ſeculo: & in hac Europa noſtra. Explicãdi autores bonos, q aliquid habent reconditũ Stilus.

Qui verò explicabuntur ſcriptores: hi non ex illorum ſint numero: qui per ſe poſſunt intelligi: abſq; magiſtri opera, & ſine commentarijs Grammaticorum, aut Rhetorum: ſed in quibus ars, atq; doctrina recõdita latet: & vnde exempla ſumi poterunt: & in quibus adiuuari ſe ſentiet à præceptore diſcipulus.

Perſeuerandum etiam hîc quotidie in ſtili exercitatione eſt: & aliquid audere decet laudabilius, & dato ſpacio ad deliberandum: propoſito argumento: quaſi ſubitò de re propoſita dicere. Sed dabitur venia adoleſcenti: ſi vel locum communem, vel amplificationem, vel argumentationem more oratorum exornatam, vel narrationem de ſcripto recitabit: ſi ea, vel illa hora, quæ præſcripta eſt, confecit: vel domo attulit, & ad rem ſi pertineat: modò ab ipſo domeſtica exercitatione: aut etiam ſuperioribus exercitationibus ſit in ſcholis domíue confecta.

Quod in quinta curia præcepimus: idem in omnibus ſuperioribus ordinibus retineri à diſcipulis: & obſeruari à præceptoribus volumus: vt ephemerides, & diaria retineantur: & locupletentur quotidianis lectionibus, auſcultationibus, ſcriptionibus: vt & diſcipuli fructus percipiant vberiores: & magiſter tanquam bonus villicus videat quotidie augeſcentes ſuæ familiæ opes: & ludi primarij

moderatores tanquam diligentes domini cognoscere possint omnes totius rustici operis rationes.

DE PRIMA Classe.

POst hæc tanquam ad summã curiam, quæ prærogatiuam habeat, deducendus est iste discipulorũ cœtus: ad curiam tamẽ & tribum, & ad tribunum vnũ, vt in superioribus: nondum tamẽ in senatum, & in forum atq; iudicia: ad publicas scholas: & ad eos, qui professores vocãtur publici: quorũ ἐπαγγελίαι earum sunt artiũ: quas vocamus Physicas, Mathematicas, Ethicas: sed adhuc retinendus annum in ijs disciplinis puer, & adolescens iam grandior est, quas λογικάς nominãt: sermonis puri, argumentationis veræ, orationis ornatæ. Adhuc enim linguæ magis, quàm mentis magistri atq; doctores esse volumus.

1. Dialectica & Rhetorica absoluẽda

Quamobrem in hac prima summaq; curia: si quid desit Dialecticis, atq; Rhetoricis fundamentis: quæ progymnasmata appellantur: ea sunt omnia in hoc populi nostri ordine adiungenda & explicanda vtiliter. Vtiliter cùm dico, de adolescentum sentio vtilitate, nõ de magistri laude: qui tùm demum optimè docere iudicandus est: cùm quàm plurima discunt discipuli: & temporis ratio summa habetur à præceptore: & omnis superflua vitatur prolixitas, & semper illud Horatianum præceptum ob oculos positum est: Quicquid præcipies, esto breuis: Nihil autẽ nimis est breue & curtum, quod satis est intellectum & cognitum.

Sed his Dialecticis, et Rhetoricis præceptionibus vt superiore

periore curia: ita etiam in hac: vnam quotidie horam tribuo: reliquas impertior Latinis, Græcisq; authoribus: oratoribus imprimis: admitto tamen ad has horas cùm vtile videbitur, & progressus iuuenum id requirēt, tres Ciceronis libros de Oratore: vt in classibus inferioribus libros de Amicitia, Senectute, Officijs. Nam & hi orationē locupletant: & illi de Oratore plurimū adferent ad præcepta dicendi: ad orationis ornatum: & ad rerum cognitionem. 2. Latini & Græci autores explicādi.

In explicandis verò huiusmodi scriptoribus non tenēda illa puerilis ratio est interpretādi ad verba: quæ fit à præceptore: sed hîc atq; etiam superiori proximo gradu adolescentes ambitus verborum recitent, atq; interpretētur: simili verborū ambitu Latinè: si queant: si nō queant, membratim singula membra Latina Græcis membris reddant: verba etiā aliquando verbis ponderēt: cùm rerū grauitas & verborū potestas requiret. Sed neq; ambitu aliquo vno atq; altero contenti sint: modus verò statuatur, exordio toto: tota narratione: tota quæstione: toto loco communi, & amplificatione: præceptor loca solùm obscuriora explanet: exempla ad loca artis reuocet: præcipua ornamenta indicet: legem aut historiam cōmemoret: ita agat, & ita immoretur, atq; ita properet, vt aliquando mense, aliquando hebdomade liber vnus, vel oratio vna cōficiatur. Quæ verò præcipuè in his annotāda erunt, & referenda in ephemerides, indicet: & quomodo in illis notari debeant: cùm necessariū erit, demonstret. Quæ memoriæ mandanda erunt: ostendat & præcipiat: si poterunt pueri: si nō poterunt: in diaria referant: qui libri memoriæ custodes sunt, & comites, & adiutores. Idem vsus adolescenti studioso ephemeris est: qui diligenti patrifamiliâs arca pecuniaria: & quem- 3. Ratio explicādi hîc. Diariorum & ephemeridum vsus.

& quemadmodum paterfamiliâs æquè vetere, atq; noua pecunia quotidiana delectatur: ita literarum atq; doctrinarum studiosos voluptatem percipere decet: non modò illis, quæ comparata sunt: sed etiam, quæ comparantur quotidie. Sed vetustarum rerum diligens debet esse custodia: nihil negligendum in hac amplificatione: quod ad Deum, ad naturam, ad artem, ad humanitatem pertinet: quem ordinem, qui est quadripartitus: inde ab extrema curia: ad omnes totius collegij magistros pertinet obseruare, & retinere: in huiusmodi diarijs atq; ephemeridibus conficiēdis.

4. Exercitatio stili hîc. Tria p. petuò spectanda doctori.

Exercitationes hîc grauiores instituentur stili, commentationum, declamationum, translationum: & adhuc ludimoderator non modò iudicem se esse putabit eorum, quæ fient: sed etiam adiutorem, & in omnibus tria sequetur, quæ perpetui officij sunt: breuitatem: perspicuitatē: memoriam: ex quibus efficitur ea, quam requirimus, facilis rerum omnium doctrina.

DE PVBLICIS Magistris.

DVM in hisce inferioribus scholis adolescentes educantur: quasi sub ferula viuunt: & intra priuatos inclusi parietes moderatoris cicurantur manu: & eruditi sese patiuntur: non suo arbitratu atq; voluntate: sed magistri lege atq; iudicio. Eductus verò ex his tribubus: quasi in curiam & senatum: quasi in forum atq; iudiciū: locaq; prodit publica: & ad Theologos deducitur propter religionem: ad Physicos propter naturæ obscuritatem: ad Ethicos atq; Iureconsultos propter mores, & hominum societatem:

rietatem: ad Dialecticos propter veritatem perfectam: ad Rhetoricos propter eloquentiam.

THEOLOGI.

QVamobrem, qui ad Theologum ducetur: is in classibus Catechismum didicerit: locos communes remotis grauioribus quæstionibus cognôrit: audierit etiam epistolas Pauli, & Euangelistas: exercitatus sit psalmodijs & precibus quotidianis. Sed de exercitationibus mox: nunc verò de ijs, quæ ad religionem pertinent. Gustauerit igitur in locis inferioribus, quas curias & tribus appellauimus, adolescens omnia hæc mediocriter: & tanquã ab interprete acceperit: à Theologo maiora expectet. Hic libros difficiliores explicabit: & ad loca Apostolorum & Prophetarum obscuriora: patrum adferet dogmata: ecclesiarum ostendet successiones, corruptelas, emendationes, dissidia, amicitias, belli pacisq; tempora: loca inter sese pugnantia patrum, Apostolorum, Prophetarum componet, conciliabit: & in omnibus his, quid verum, & necessarium: quid probabile aut verisimile sit, indicabit: hic quæsitor erit & moderator in disputationibus: vt in his appareat interrogantium, & respondentium doctrina, concordia, religio: vt idem velle, & idem nolle omnes videantur: etiam tùm cùm contrarias inter sese opiniones & dogmata defendunt. Optima autem disputandi ratio tradita est à Cicerone sermonis perpetui: à Platone acutarũ & breuium interrogationum: tametsi etiam hic scriptor sæpe digressiones faciat: ad facienda longiora spacia: cùm ad loca prærupta & præcipitia patitur vagari aut Gorgi-

am, aut

am, aut Protagoram: aut cùm Socratem ostendit cuiusmodi esse poterat: vel eloquentiæ laude in longioribus argumentationibus: si idem, quod sophistæ conabantur, potuissent: ipse si voluisset, potuisset efficere.

PHYSICI ET Mathematici.

QVI verò Physico committentur iuuenes: eadem teneant, quæ cæteri: nam in curijs eadem volumus omnes discere: sed qui medici fieri volunt: aut eruditi atq; docti videri, & esse volunt: hi libros Aristotelis Physicos cognoscent: etiã Meteoricos: Arithmeticam sibi comparẽt his magistris, non solùm vt cognitam, verùm etiam exercitatam habeant: & in Astronomia non Procli Sphæra cõtenti sint: sed altiora petant, & ad Ptolomæi, & Archimedis, & Theonis conscendant fastigia: terras tamen non negligant: & orbis totius situm & terrarum descriptiones: & populorum atq; nationum cognoscant agros, & agrorum fructus: mercimonia, mores, leges: fertilitates, & sterilitates: salubritates & morbos: flumina, fontes etiam: & in his omnibus animantia, quorum natura est aliqua admirabilis.

Et vt hos scriptores cognoscere: & hæc omnia discere adolescentes atq; iuuenes volumus: sic etiam docere eadem volumus Mathematicum, & Physicum magistrum: vt illa in classibus præcepta etiam hic retineantur: breuitas, perspicuitas, memoria: ex quibus doctrinam facilem, & copiosam confici diximus.

Quod de Mathematicorum doctrinis diximus: idem de Musica

de Musica sentimus: quam tamẽ diutiùs exerceri, quàm doceri volumus.

ETHICI, POLITICI, Iureconsulti.

SVb morum doctrina complectimur, vt principio huius libri à nobis propositũ est: non solùm eos, qui vocãtur Ethici, libros Aristotelis: sed etiã Politicos, de ciuili scientia: & Nomicos, de legibus: leges etiam ipsas, totamq; Iurisprudentiam. Atq; in hac copia iudicium adhibere debet præceptor bonus, & diligentiam: vt necessaria non necessarijs: crebra raris: vsitata inusitatis: obscura & recõdita, vtilia tamẽ, per se notis & claris anteponat. Non enim hiç solùm adolescens à magistro præcepta vitæ, & societatis humanæ accipere & discere debet: sed ipse etiam sese docere: legendis his scriptoribus: & docentẽ præceptorem adiuuare: tanquam tyro militem: qui non solùm exerceri à magistro vult: sed etiam pro se, & magistro, totoq; pugnat exercitu. Vt igitur hic tyro discere, & pugnare paratus est: ita etiam hic discipulus & audire, & legere volet: & domi plura legere: quàm in ludo publico audire poterit. Ignauum est, nihil suopte, vt dicitur, Marte contendere. Itaq; bipartita hic sit præceptoris industria. Vna pars posita est in docendo: vt ea doceat, quæ magis sunt necessaria: altera in monendo: vt præcipiat, quæ domi legere debeat discipulus. Bipartitum etiam discipuli officium est. Vnũ, vt discat à magistro, quæ accipit: alterũ, vt sese ipse domi doceat: semper domi habeat, quod legat: quod cõmentetur: quod scribat: quod ad comparatas facultates accumulet.

DIALECTICI.

IDem etiam faciendum est Dialectico magistro & discipulo: vt alter in scholis docendo: alter domi legendo officium faciat: & alter alterius ope adiuuetur in omnibus illis, quæ in Aristotelis tradita sunt Organo. Hoc enim perpetuum esse in Dialecticis scholis volumus volumen: quod legant iuuenes: explanent magistri: sequantur omnes: in quæstionibus, & disputationibus earum rerum, quæ in liberalium artium societate continentur.

RHETORICI.

RHetoris officium est in hisce publicis exercitationibus artem totam tradere: omnia scire, quæ de dicendi ratione tradita sunt ab Aristotele, Hermogene, Græcisq; scriptoribus: sed Ciceronem imprimis teneat. Huic magistro commissa imprimis esse debet imitandi ratio: primum autoris optimi: cuius iam mentionem fecimus: M. Tullij Ciceronis. Sed in eodem habeat comitatu Demosthenem, neq; longè absit Isocrates: hi enim præstant.

Ac quia non forensem solùm volumus esse dicendi formam: aut senatoriam: sed philosophicam etiam ex Academia, & Lyceo commodatam: Xenophon multa habet, & Plutarchus: Polybius etiam, & Thucydides, atq; Herodotus: quæ rhetorem, atq; oratorem adiuuare poterunt. In his legendis, atq; explicandis rationem perscribere: non huius est loci, aut temporis. Caput autem illud est: vt dicendi præcepta reuocentur ad memoriam tanquã ad calculum: & horum exempla ostendantur in autoribus: non vnum

vnum vnius: sed vnius multa & varia: & materias ostendant: quibus hæ formæ poterunt applicari: aut hisce formis exprimi. Non enim quæuis res atq; quæstio quamuis dicendi figuram admittit. In imitatione enim oportet, vt illud, quod in officio omni requiritur, decorũ appareat.

Huic magistro concedimus omnium artium tractationem: hic præcipere potest, quæ ratio sit conficiendarũ atq; conscribendarum artium, Medicinæ, Agriculturæ, Architecturæ: quod genus dicendi Historia requirat: & quæ propria illius sint ornamenta: quæ scriptoris huius officia: hic vestigia poterit ostendere Platonis, & Socratis in sermonibus instituendis: hic præcepta poterit tradere illius sedatæ & Philosophicæ orationis: non Dialogorũ tantùm, in quibus acutæ, & breues, & crebræ interrogationes sunt: quibus abundat Plato: sed etiam perpetui illius sermonis: quo Aristoteles in historia animaliũ vsus est: multisq; alijs voluminibus: & Cicero in libris officiorũ, in sermonibus etiam amplioribus: in quibus auditorem nõ habet is, cui primæ partes datæ sunt, repugnantem.

LECTORI S.

IN exemplari, quod Anno 1565 Emanuel Saltzer Lauingæ excudit, proximè hoc loco subiecta erant capita de exercitationibus Lauingani Gymnasij quotidianis. Verùm, quando eadẽ capita, ijsdem propè verbis atq; syllabis, eadem etiam serie atq; ordine Classicis epistolis annexa sunt: non iudicauimus operæ preciũ esse, si eadem illa hic repeteremus. Quia tamen leuem quandam non tam sententiarum, quàm verborum discrepantiam deprehẽdimus: non incommodum esse visum est: si ea loca, in quibus verba quædam vel paululùm mutata, vel omissa, vel denique addita obseruauimus, indicaremus. Sunt autem hæc, quæ sequuntur.

IN CAPITE DE CONCIONIBVS, exemplar Lauinganum sic habet.

Conciones appellamus ὁμιλίας, quæ Argentorati habentur post cœnam, antequam adolescentes ad conclauia & cubitum redeant. Hæ breues sint, sed diligenter vel conscriptæ, vel commentatione & memoria comprehensæ, vt doctrina appareat sacrarum literarũ: & pietatis studium: vt etiam Dialectici &c.

In capite de DECLAMATIONIBVS, sic.

Vel quòd non minoribus aliquando in hac vmbra vtendum sit vociferationibus declamatori: quàm in foro & grauibus cauſsis oratori: & in his vox oratoris non solùm instituenda, sed etiam exercẽda multipliciter: loquẽdo summissè: docendo sedatè: vociferando fortiter.

Vtilitates declamationum omnes confitentur &c.

In eodem capite, paulò pòst, sic.

Argumenta, quoad eius fieri potest, sint earum rerum, quæ animos eorum, qui audient, moueant: & ad veritatem quàm proximè accedant. Ecclesiasticũ optandum esset, si fieri posſit, aliquod certorum negociorum cõstitui iudicium atq; consilium: & has cauſsas Latinè defendi &c.

In capite de DISPVTATIONIBVS, sic.

Vt decla-

Vt declamandi exercitatio ad Rhetorem pertinet: ita disputandi ad Dialecticũ: atq; artis disserendi vtilitas ac vsus in hac consuetudine disputandi maximè percipitur. De hac multa præcipi possent &c.

In capite de CONFABVLATIONIBVS, sub finem, sic.

In huiusmodi conuiuijs etiam infimi ordinis pueri habent, quæ interrogent rerum vocabula: inde à summo genere vsq; ad imas formas deducta: aut à toto vsq; ad extrema membra distributa. Hæc facilis ratio erit: si moderatorem habeat præeuntem: Nulla via in errorem ducit, quæ ducem habeat: nulla molesta, si ducem facetum.

In capite de DEMONSTRATIONIBVS, sic.

Sed est alterum genus ignotum atq; incognitum, quod indice & demonstratore habet opus: vt Planetæ septem: vt Pleiades: vt Cynosura in cælo: vt in hominis carne musculi: in oculo color crystallinus: in capite nerui. Herbæ multæ demonstrari postulant: & herbarum atq; plantarũ &c.

In capite de COMOEDIIS & TRAGOEDIIS, non longè à fine.

Pro conquisitione, *Lauinganum exemplar habet* cõpositione.

Cæterùm, amice Lector, Leges, quemadmodũ in Lauingana editione habebãtur, integras reliquimus, rati, si qd inter has esset & eas, qbus Gymnasium Argentoratense continetur, discriminis, ex collatione id facilè intellectum iri.

LEGES

LEGES SCHOLÆ LAVINGANÆ.

WOLFFGANGVS DEI GRAtia Comes Palatinus Rheni, Dux Boiariæ, & Comes Veldentianus.

PRINCIPIS OFFICIVM ESSE non ignoramus: cùm rectis institutis prouidere, vt ne quid populo desit: tùm imprimis: vt scholæ constituantur: quæ officinæ sunt virtutis, bonorum morum, pietatis, doctrinæ, religionis. Et quoniam ad Hornebachianum gymnasium etiam Lauinganas scholas adiunximus: coædificatis domicilijs, comparatis magistris, delectis scholarum præfectis, designato Rectore: volumus hi utriusq; gymnasij homines teneri legibus: Rectorem, Prorectorem, publicos professores, classium magistros, classes ipsas, collegij discipulos, ciuium hospites aduenas: vt primùm religionis, deinde morũ, tùm doctrinæ rationem habere maximam videamur.

Rectoris, & prorectorum, & professorum officium.

1. *REctorem, & eos, qui ei adiuncti sunt, Rectorem tamen imprimis decet authoritatem suam doctrina, diligentia, temperantia, humanitate, grauitate tueri.*

Vt præ-

Vt præceptorum & magistrorum quisq; officia quotidiana faciat, diligenter idem animaduertito. 2.

Præceptores primi ad horæ sonum ad ludum obuersantor, postremi egredduntor. 3.

Idem præscriptam docendi rationem Rectoris, ac gubernatorum arbitrio sequuntor: nec inter docendum ambitiosè declamitanto: vel digressionibus à proposito argumẽto diuagantor: sed ingeniorum viribus se accommodanto: ac discentium vtilitatibus in vniuersum seruiunto: rationem denig; temporis, breuitatisq; summam habento. 4.

Vestitu, cibo, potu, vigilantia, diligentia, lectione domestica: etiam scriptione domestica: frequenti concionum auditione, pietate, exemplo sunto. Exẽplo enim præfectorum & magistrorum perduntur: exemplo seruantur adolescentum ingenia. 5.

Ebriosum præceptorem aut ludis deditum è scholis nõ eijcere: corruptæ disciplinæ indicium esto. 6.

In monendis & castigandis adolescentibus negligentia & remissio abesse: seueritas absq; crudelitate: vituperatio absq; maledicto adesse debet. 7.

De adolescentibus, qui ad literarum studia non sunt natura idonei, Rector & gubernatores gymnasij parentes, nos, vel alios patronos: ad quos ea res pertinet: in tempore certiores faciunto: ne illi & sumtus cum tempore sine vllo fructu perdant: & ad aliud vitæ genus serò accedere cogantur: vtroq; modo irrecuperabile detrimentum accepturi. 8.

Collegij leges.

De collegio verò sic sentimus: sic constituimus, sic vo-

lumus, vt primùm religionis & morum: deinde doctrinæ disciplina grauissima colatur.

1. *Preces antemeridianas, & pomeridianas singuli frequentanto: quorum concionari est, suo loco, & tempore concionantor.*

2. *Ad collegiũ nemo adolescentum admittitor, nemo retinetor, in quo non sit verecundiæ & diligentiæ indicium.*

3. *Qui admissi erunt, moderatoribus nomina danto: œconomo trium mensium pecuniam persoluunto: idem insequentibus mensibus faciunto.*

4. *Sine fideiussione nullum in collegium admittito: neminem rationibus non subductis missum facito.*

5. *Extraordinarios sumtus parentes & propinqui faciunto: aut œconomo pecuniam suppeditanto: qui ante tẽpus exierit è collegio, cum œconomo decidito. Omnes pædagogo morem gerunto.*

6. *Qui pædagogo non obtemperat, impatiens pœnæ: nõ audiens dicto: à præfectis castigator, mulctator, punitor.*

7. *Damnũ etiam, quod quisq; dederit, vt præstet, videto.*

8. *Dum locum in collegio habere, & cubiculum sibi seruari volunt, etiam absentes pro cibarijs soluunto, aut cũ œconomo transigunto.*

9. *Festis diebus bini templa ordine, verecundéq; adeunto: conciones omnes diligenter audiunto: absq; psalmorũ volumine, aut Testamento nouo ne sunto, domi memoria conciones repetunto.*

10. *Quotidianis & repetitionibus & exercitationibus interfunto: abesse nemini impune esto.*

Sermo

Sermo vbiq; omnium Latinus esto: omnes suas scho- 11.
las, & classes frequentanto: aliorum scholas non impediunto: non clamore, non cantu, non ambulatione, nullo sonitu, nullo strepitu: qui peccârit, pro peccati ratione, & modo bono pœnas luito.

In collegio neq; discipulus absq; pædagogi cõsensu, neq; 12.
pædagogus absq; scholarcharum permissu ædificato.

Honestè vnusquisq; vestitor: in vestibus ciuium con- 13.
suetudinem, & scholæ institutum colito, nihilq; liceat in vestitu, quod foris domiue dedeceat.

Extra domicilium collegij nemo egreditor, nemo sta- 14.
to, nemo emaneto, nemo alibi, quàm in eodem domicilio absq; pædagogi consensu pernoctato, per hyemem verò imprimis id licitum non esto.

In cœnis, in prandijs, in ientaculis, in omnibus con- 15.
gressionibus, sermo esto de rebus bonis, honestis, vtilibus: idemq; Latinus, pudicus, verecundus, liberalis, non morosus, non contentiosus. In cœnis etiam & prandijs, vt ne desit sermoni materies, aliquid memoriter, qui iubebuntur: recitanto: nemo impunè exercitationes collegij contemnito.

Rixæ, conuicia, probraq; omnia à congressionibus ab- 16.
sunto: qui secus faxit, in hunc moderator bono modo animaduertito.

Author discordiæ, ni desinat, è collegio, & scho- 17.
lis excluditor.

Arma, gladios, pugiones non gestato: qui cũ armis 18.
aduenerit, ea ille moderatori custodienda committito.

Qui vim alteri armis intentauerit, è collegio eijci- 19.
tor: qui sine armis idem facit, pro noxa luito.

20. *Malorum familiaritates, consuetudines, congressiones omnes fugiunto: qui secus egerint, puniuntor.*

21. *Ad cauponas, tabernasq; publicas, atq; conuiuia, nemo absq; permissu moderatoris accedito.*

22. *Exterorum nemo iniussu pædagogi, in collegio aut dormito, aut edito: Hyeme ad horam nonam: æstate ante medium decimæ cubitum quisq; ito: secus absq; causa necessaria, & probabili nemo facito. Deum quisq; suis precibus ante somnum inuocato, placato, laudato.*

23. *Ianua collegij, hyeme ante cœnam: æstate, cùm pædagogo visum erit, clauditor: nemini post id tempus exire fas esto.*

24. *Pædagogus quin cubicula omnium circumeat, intusq; eadem probet, hebdomadam nullam prætermittito: eidem cubiculorum ianuæ simul ac pulsarit, apertæ sint, quisque facito.*

25. *Simul ac quiuis cubitu surrexerit, stragula conuoluito, sternito, strata per diem retineto: cubiculum, hypocaustum verrito, sordes ad sterquilinium portato, omnia benè collocata in his sunto.*

26. *Condiscipulum & contubernalem tempestiuè dormiẽtem, aut studijs incumbentem, non voce, non ambulatione, non strepitu impedito.*

27. *Ad vicini cubiculum, nemo sine causa accedito. coitiones & consessus per cubicula vitator: qui secus faxint, pædagogus pro noxa ratione bona vindicato.*

28. *Qui officium non posse facere iudicabuntur, vt aliud vitæ genus instituant, missionem petunto.*

Et his legibus omnes obtemperanto & cæteris legibus, quæ pòst doctrinæ, disciplinæ, religionis ergò ferentur, obsecundanto.

Leges

Leges curiales.

Primarius ſtudiorum finis religio eſt: & Dei, diuinorumq; operum, atq; beneficiorum cognitio. Hæc ipſa religio doctrina traditur, & eloquentia excolitur: ſed ita hæc duo diſtinguuntur: vt doctrina neceſsitatis ſit, eloquentia ornatus. Adiuuantur autem hæc duo diſciplina, & legibus bonis, in quibus hoc diſcrimen eſt, quòd leges abſq; diſciplina parum poſſunt: diſciplina verò per ſe leges inuenit, ſi prudenter conſtituatur. Eſt igitur magiſtratus, ſcholas literarum conſtituere, & magiſtros literarum comparare: quoniam hæc voluntas Dei eſt. Magiſtri verò multis de cauſis officia ſuſcipere, & facere debent, non ſolùm diligenter: ſed etiam cupidè & auidè. Nam hæc voluntas primùm Dei eſt: deinde magiſtratus: poſtremò requirit charitas Chriſtiana, vt quantùm quiſq; poteſt: tantùm proſit ſocietati Chriſtianæ. Sed præceptores morum, & magiſtri literarum ipſi ſibi pro legibus eſſe debent, etiamſi nullas haberent: Adoleſcentia verò & puericia huiuſmodi regenda & ſeruanda eſt legum habenis: ſi id aſſequi abſq; legibus non poſsis, quod optandum eſt: vt vltrò faciant: quod faciunt ingenia bona, vt velint & obtemperent, & laborẽt in ijs, quæ à magiſtris præſcribuntur.

Quod ſeueritate corrigi poteſt, indulgentia non debet negligi. Quare ſi quis ad horas conſtitutas non adeſt: vel in ſcholis gymnaſij: vel in concionibus Eccleſiæ: virgarũ verberatione corrigendus eſt: niſi excuſationem à parentibus, aut heris domeſticis probabilem adferat. Iſtud enim voluntatis peccatum eſt: non ingenij imbecillitas. I.

2. *Qui post horam constitutam veniet, castigari debet modo & ratione bona, iudicio Rectoris, visitatorum, & præceptoris: magis, si bis in hebdomada id fiat, maximè, si ter idem admittatur.*

3. *Qui negligenter auscultat: qui lectas, & traditas res non repetit: qui interrogatus respondere non potest: qui cætera officia bonorum discipulorum negligit: is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro ætate debet castigari: sed grauissima medicina in his morbis erit virgarum seueritas: minima, verborum prudens remedium.*

4. *Qui nō diligenter auscultat: qui alia cogitat: qui nugatur: qui scriptitat res alienas, pingit: aut alia legit, quàm quæ doceantur: in his peccatis minima castigatio est, comminatio, & obiurgatio. Seueritate enim disciplinæ, istud naturæ vitium sanari potest.*

5. *Qui malis delectantur familiaritatibus: qui verbis litigant: qui pugnis præliantur: aut quoquo modo dimicāt: qui iurant: qui præceptores contemnunt: qui irreuerenter prætereunt, aut aspiciunt, aut alloquuntur eos, qui reuerētia digni sunt: vt senes, vt magistratus, vt homines præditi autoritate, aut virtute: qui in plateis & cœtibus hominū non versantur verecundè, & vt decet literarū studiosos: ratione bona aut grauiter, aut seuerè debēt emendari.*

6. *Qui sermone vtuntur alio, quàm latino, qui impudenti, qui impudico: pro peccati genere, ratione bona puniantur.*

7. *Qui aduersus Magistros, & præfectos suos falsam querelam ad parentes deferet, aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quosuis necessarios, & viros bonos: & quia falsum dicit: & quia aduersus præceptorem, & præfectos*

fectos suos ingratus est: & quia mœrorem mendacijs suis excitat, pro facinoris grauitate aut virgis castigetur: aut custodia coërceatur: aut modo aliquo bono seueritatis fiat melior.

Decurio si officium non faciat: in animaduertendo & accusando: virgis corrigendus est: non enim hic vitiosus esse potest: vt non nouem condiscipulos, vel offendat exemplo: vel in societatem vitiorum pertrahat, & disciplinam corrumpat gymnasij. 8.

De aduenarum officijs.

Qui aliunde ad scholas mittentur: ad ciuem nemo diuertat absq; Rectoris & prorectorum consensu. 1.

Nemo etiam ab hospite suo discedat: aut hospitem mutet absq; horum voluntate atq; permissu. 2.

Perniciosum est, apud intemperantem hospitem & immoderatum viuere: detrimentosum apud auarum: vtrũq; lege vitandum est. 3.

Vestitus nihil militare habeat: nihil molle: nihil dissolutum: nihil contra bonorum & honestorum virorum consuetudinem. 4.

Non libros emant: non vestes comparent: non pecuniã mutuò accipiant: absq; Rectoris, prorectorum, magistrorũ, & eorum, quibus commissi adolescentes sunt, consensu & voluntate. Ciui, qui vendit his, qui pecuniã mutuò dabit: lege municipij suum repetere iudicio non liceat. 5.

Psalmodijs, concionibus, precibus: etiam classici, qui cum ciuibus habitant: tempestiuè adsint canendo, auscultando, precando. 6.

Ad quas

7. *Ad quas conciones publicas, qui in collegio sunt, diebus festis conuenire debent: easdem etiam ciuium hospites frequentanto.*

8. *Gladiatoribus, Musicis, saltatoribus absq; Rectoris, & praefectorum permissu, nemo in collegio Principis, nemo apud ciues operam dato.*

9. *Aduenae omnes, & qui in collegio sunt: & qui hospites sunt ciuium: ita viuunto, ita operam literis nauanto, vt tertio quoq; mense testimonium obtineant: quod parentibus, patronis, cognatis, affinibus: tutoribus: necessarijs mittant.*

10. *Si inter ciues & studiosos lis aliqua aut controuersia oriatur: quod tamen omnibus modis cauendum est: non se quisquam temerè & priuatim vindicato: sed vt illi coram Rectore studiosos: ita illos vicissim studiosi coram Praetore vrbano, aut Coss. conueniunto, & cognitionem reuerenter expectanto.*

)?( )?( )?(

IOAN.

IOAN. FRID. CELESTINVS THEolog. D. & in hac Schola Professor studiosi iuuentuti S. D.

SI cupis ingenuas artes studiosa iuuentus
Discere: iustifici & dogmata pura DEI:
Lauingana petas celeri collegia cursu:
Et voti, orato numine, compos eris.
Tu modò summe DEVS studijs tu robora præsta:
Vt CHRISTI laudes cuncta lycea sonent.

M. WENCESLAVS À CALDENstein, huius Scholæ Professor ad Lectorem.

HVnc vbi Mercurius vidisset fortè libellum:
Constitit: & lætus talia verba dedit:
I liber, & cœptas celeri nunc carpere gressu
Perge vias: studijs commoda magna feres.
Pierides te sponte sua, mihi crede, sequentur,
Huc vbi Wolffgangi stat Schola celsa Ducis.

MARTINVS RVLANDVS FRIsing. Medicus, Græcæq; linguæ Professor Scholæ Lauinganæ, lectori τὸ χαίρειν.

Δεῦρόγε ὅϊσιν ἔῃ μαθέμεντε διδάσκεν ἐέλδωρ:
ὧδε πελέσκει ἀνὴρ Στόρμιος ἀγάσσφος.
ὅσθ' ἁμῖν ἔθετο σχολὰν πάντεσσι τ' ἄλλοις,
τάων περί τεχνάων πολλὰ, καὶ ἐσθλὰ γράφων.
ἄρά γε, σχολόφιλοι, τούτῳ χάριντε, κρότοντε
εἰσόμενοι πολλὸν σχολοποιῷ φέρετε.

CAROLVS MAGNVS, ROM. Imp. & Franc. Rex, in c. lxviij. lib. 1. Leg. Franc.

ET Scholæ legentium puerorum fiant: Psalmos, notas, cantus, Computum, Grammaticam, per singula monasteria, vel Episcopia: & libros catholicos benè emendatéq; sciant. Quia sæpe dum benè aliquid Deum rogare cupiunt: per inemendatos libros malè rogant: & pueros vestros non sinite illos vel legendo, vel scribendo corrumpere.

LVDOVICVS PIVS, C. M. F. Rom. Imp. & Francorũ Rex, in c. v. lib. ij. leg. Franc.

Scholæ sanè ad filios, & ministros Ecclesiæ instituendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi necdum perfectum est, ad multorum vtilitatem & profectum, à vobis ordinari non negligãtur.

Ad Germaniæ proceres.

FRancigenûm Princeps frueris quicunq; labore:
Horum vel claro sanguine ducis auos:
Degener, & malus es, ni Francica castra sequaris:
Atq; Palatini tàm pia signa Ducis:
Quàm tua, Luitpold, atq; Arnhulf, duo fulmina belli
Vngarici, soboles stemmate digna suo.

S. O. R.

FINIS.

Joannis

IOANNIS STURMII
DE EDVCATIONE PRINCIPIS LIBELLVS, SCRIPTVS
AD
ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM GVILIELMVM: DVCEM IVLIACENSIVM &c.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ac Domino, Domino Alexandro, Duci Slucensi & Copulensi &c. Ioannes Sturmius S.

SALVTAVIT ME VERBIS Celsitudinis Vestrę, Ioannes Lobartus Iureconsultus: prædicans mihi humanitatem & virtutem quandam singularem: cuius præclara extarent in ore & vultu indicia. Addidit etiam, C. V. statuisse, in prædiolum meum ad me, salutandi & appellandi, & colloquendi caussa diuertere: si fatigatis equis vestris:

idoneus potuisset auriga, cum cisio inueniri: & nisi subitò & celeriter fuisset proficiscendum.

Fateor magnorum virorum me beneuolentia, & studio maximopere delectari: atq; idcirco etiam fatendum mihi est: molestum mihi esse: tum me Argentinæ non fuisse: cum eam V. C. transiret.

Sed quoniam coràm præsens colloqui non potui: absens absentem appellabo: & literis atq; voce scripta persequar.

At quoniam varij sunt casus itinerum: & sæpe aut literæ intercipiuntur: aut tabellarij fallunt: librario commisi epistolam hanc excudendam: vt in manus multorum exeat: & si fortè vel ad aures, vel ad cõspectum C. V. perueniat: testis sit mei studij & obseruantiæ erga gentem atq; familiam Principum Slucensiũ.

Nobilitatis enim semper perstudiosus, & percupidus fui: eorum præcipuè, qui ex antiquissimis familijs orti: maiorum suorum virtute: aut militari, aut doctrinæ, aut vtraq; laude: aut singulari, aliqua in re magna, studio atq; industria excelluerunt. Hi enim & patriæ suæ, magna cõmoda: & Regibus vel Principibus suis, magna ornamenta apportare solent.

Sentio aliquam singularem virtutem in Serenissimo Polonię Rege, STEPHANO I. Veteres Romani, prisci illius seculi, permittere nobilibus adolescentibus, qui ætate militari essent, nolebant: vt à militia & ab exercitu abessent: si bellum cum vicinis hostibus gererent: aut belli aliqua esset expectatio.

Sed Rex vester permultis concedit, aut literarum gratia: aut visendarum exterarum gentium vel cõsuetudinum caussa, peregrè versari: quoad eos, quantum proficiant, non pœnitet.

Sic

Sic Ostroroganus D. Ioannes, cum Nicolao fratre suo: & Norinbergæ in Academia Altdorphiana: & apud nos in nostra Academia versatus est: & nunc in Gallia est: magni ingenij & excellentis virtutis Comes. Sic multi alij ex Regno vestro: aut nobiscum adhuc viuunt: aut hisce proximis hebdomadibus, ingenij excolendi gratia, migrarunt aliò.

Et in hoc instituto, & studio, & humanitate Regis, V. C. magnum exemplum est: ad excitandum cæteros, vt cætera sequatur nobilitas. Si enim Duces, & Comites, & Barones: cur non inferiorum ordinum liberi: & mores hominũ perspicere & vrbes instituant?

Quanti æstimasset, euocatus & postulatus è Lituania primus IAGELLO contra Marianos: scire se posse, qualis ex nepotibus, post annos ducentos vnus futurus esset: ita virtute & studio honestatis excellens, vt Vestra est Celsitas? Quanti etiam Casimirus Rex, filius Iagellonis, si idem?

Hanc ego epistolam: quoniam Argentinæ non collocuti sumus: pro voce & vultu meo mitto: vt hortatrix sit ad memoriam maiorum recolendam: vt ex illorum ossibus, etiam nostra ætate videatur Alexander Slucensium Dux extitisse: qui, vt Iagello & Casimirus, primi ductores Polonorum contra Marianos, populo Sarmatico placuerunt: ita hic Alexander sese huic Regi, suamq; industriam & virtutem probaret: &, vt illi duo primi, Populo: sic hic Alexander & populo, & Regi suo placeret: Qui profectò regium nomen tuetur: & ostendit, quantum vsus militaris: quantum scientia ciuilis: quantum literæ: quantum industria & ingenium, à natura & Deo imbuta, possint in rebus mortalium.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

Commodùm accidit, cùm ad me Lobartus venit; cogitans scriptum aliquod meum sub prælum librariorum reuocare: quod ad Cliuensium & Iuliacensium Ducem anno quinquagesimo primo misi; ita nunc distractum, vt nullum amplius sit reliquum.

Constitui enim istud ad C. V. mittere: vt C. V. authoritate rursus vires & famam hominum recuperet: & si quid in ipso boni esset; id in C. V. familia & liberis eluceret.

Primum enim Principum & Procerum officium est: placere & vtiles esse patriæ, & Regibus suis. Deinde, post sese hæredes relinquere, qui idem velint & possint: disciplina & vitæ institutione.

Itaq; ego: quasi C. V. cogitet aliquãdo etiam, post curam erga patriã & Regem suum: vxori & liberis operã dare: proposui istud mittere, quod præmoneret & præmonstraret, quid in disciplina liberorum, præsertim Principum virorum, præcipuè spectandum sit.

Atq; istud eo tempore maximè faciendum putaui: dum apud C. V. Præfectus morũ est, Ioannes Dzierzek, Regni Secretarius: verè nobilis & bonus vir: qui cõmendator esse poterit: & meus, & scripti mei. Quod, vtinam, quantum velim, tantum vtilitatis adferat ad familiam constituendam: & ad liberos educandos C. V. quos precor à DEO satis multos, ad genus propagandum: & eosdem optimos, ad gloriam DEI, & hominum, Regnicq; Poloniæ amplificandam dari.

Atq; vtinam Ioannes Dzierzek tamdiu viuat, vt adiutor & Consiliarius esse possit, in familia instituenda: ego libenter, si viuerem, epithalamium mitterem. Northemij 27 Maij. Anno 81.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM GVILIELMVM: DVCEM IVLIACENsium, Cliuensium, Montensium, Comitem Marchiæ, & Rauenspurgi: Dominũ in Rauenstein, Ioannis Sturmij de educatione Principis.

EST RES, ILLVSTRISSIME Princeps, omnino optabilis: vnà cũ natura secũ adferre in hanc lucẽ: formã corporis, bonamq; valetudinẽ: & præclara res est: nobilißimum nasci: & inseri vetustißimis familijs: & hæc bona excellentiora fiunt: cùm ingenij etiam acumen: & animi indoles à natura nascentibus attribuitur.

Sed etiã institui & educari, atq; erudiri benè, laudabile est: sine quo naturæ vis sæpenumero, aut cõsopiri solet, aut debilitari, aut impediri: vt nihil egregium lucubret.

Quamobrem corporis tui robur & forma vnà cũ vita occidet: & generis laus non tanta post te futura esset: nisi morum esset illustrata probitate, & mentis acie: quas res duas in te & amamus omnes & admiramur.

Sed hæc ipsa nõ tam latè vim suam explicassent: absq; domestica educatione & disciplina: in qua cõstituenda maximopere patris tui, optimi Principis: & matris prudentißimæ fœminæ memorabilis extitit prouidentia: qui id elaborarunt, vt nihil oculi tui viderent: nihil aures hauirent: nihil animus cognosceret: quod & à virtute magnorum virorum: à religione Christianorum: à doctrina eruditorum: ab omnium hominum honestate esset alienum.

Itaq;

Itaq; felicitatis tuæ pars esse non minima creditur ab eruditis hominibus: quòd adolescentulus Cõrado Heresbachio traditus in disciplinam es: cui viro, & prudentiam tribuunt: & diligentiam: & fidem: & doctrinam: & religionem: & moderationem: quæ sex virtutes cùm in magistro ac præceptore insunt: vbi natura bona erudienda concredita est à parentibus: nihil potest non ex se præclarum atq; excellens gignere.

Sex virtutes præceptoris.

Prudentia est: considerare, quanta res sit: habere in sua disciplina Principis viri filium: quem parentes hæredẽ suum velint: quem populus expetat, vt optimè & salutariter, & moderatè, & scienter gubernet Rempub. Cùm etiam ex priuatis familijs sæpe oriantur, qui aut vtiles sint, aut honorifici, etiam salutares patriæ ciues: quantò magis hæc disciplina Principes familias decet? quibus qui præsunt: quò magis authoritate, æstimatione, honoribus pollent: eò etiam doctrina magis & virtute, ac moribus, cæteris debent hominibus præluceré.

I. Prudentia.

Ergo prudentis est magistri, morumq; præceptoris, imprimis considerare: quantum munus susceperit: & qualis de se sit parentum, patriæ, bonorumq; omnium expectatio: qualis etiam eruditorum. Pertinet enim ad omnia literatorum hominum collegia, Principes familias rectè beneq; institui: vt ad Philosophos Aristotelis educatio: qui ita Alexandrum enutriuit: vt comprobatum sit, non solùm Rempub. curari à Philosophis posse: sed etiam magistratus, & Reipub. principes, & reges institui & erudiri tales moribus & sapientia: quales vita mortalium, & hominum ingenia naturaq; desiderant.

Itaq; incertum est: vter ab altero plus sit honoris per

hominum

hominum vitas consecutus: Aristoteles, qui instituit & expoliuit, an Alexander, qui Imperium à Philippo patre acceptum, ita gesit ea, quam ab Aristotele accepit, scientia: vt omnis inuidia patris desierit in filio: & quē principiò Græcia ferre non potuit: is absq; inuidia ita patris imperium amplificauit: vt omnium propè hominum fieret dominus: & glorioſum cognomentum inuenerit, & Alexander Magnus ſit appellatus: nō imperio ſolùm & fortuna: verùm etiam regnandi imperandiq; ſcientia.

Non tantos labores, tales q; ſuſcepiſſet curas Ariſtoteles: aut ob pecuniam, aut propter famam: quæ quidā Philoſophi ſpernunt omnino: Ariſtoteles non ſummo loco collocat: ſed quòd ad doctoris prudentiam atq; officium arbitratus ſit pertinere, imprimis conſtituere, quanta res ſit diſciplina domeſtica: præſertim regum: cùm hi ad informandum & ad docendum non à parentibus modò: verùm etiam à populo committantur: cùm ipſe etiam Ariſtoteles, ſimilem curam in Platone expertus ſit: & de Socrate acceperit: quos diſcipulos habuerit: qua prudentia inſtitutos: qui cùm priuati eſſent: tamen & vtilitates, & laudem, & gloriam patriæ propter doctrinam ampliarunt.

Hæc igitur prima ſit, ſiue magiſtri, ſiue doctoris, ſiue præceptoris virtus: animo complecti magnitudinem rei, vt officium ſuum laudabiliter faciat: quod vbi ſtatutū erit: non defutura eſt, quam ſecundariam requirimus, diligentia: ſine qua nihil vnquam magnum atq; præclarum effici potuit. II. Diligentia.

Hæc Antonium, Craſſum, Ciceronē tales oratores dedit: quales fuiſſe eos, & legimus & cognoſcimus: hæc Vlyſſem Mineruæ admirabilem reddidit: vt eſt apud Sophoclē:

Αεὶ μὲν ὦ παῖ λαρτίου δέδορκάσε
Πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπᾶσαι θηρώμενον.

Odoratur enim hæc quàm sagacissimè: & scrutatur omnes latebras, & quasi venando omnium rerum insequitur vestigia, vt nihil reconditũ à doctis aut à natura abditum sit, aut lateat alicubi temerè neglectum: quod non inquirat.

Diligentiæ tripartitũ officiũ.

Sed præceptoris distracta tres in partes est diligentia: quarum vna est sita in recognitione earum rerum, quas vnquam didicit: altera in earum intelligentia, quas ignorat: tertia in consultatione, quomodo eas Principi suo discipulo tradat: vt minimo cum labore, nulla cum molestia consequatur: quæ ei sint ad mores, & prudentiam, & doctrinam vitamq; necessaria.

Nam quæ nostrorum fuit temporũ infœlicitas: vel potiùs miseria: quàm multa nobis proposita pueris fuerunt, quæ nõ erãt necessaria? quàm inutilia? quam mala? quàm barbara? quàm etiã nullo ordine? quàm nulla via et ratione? sed tamẽ, quia bona etiam quædã atq; præclara: & ab alijs accepimus, & ipsi nobis cõparauimus: diligentiæ est, ea cõquirere & distinguere inter se natura, ordine, necessitate, vtilitate, modo, facilitate: vt apparatus noster nõ solùm copiosus sit, verùm etiam varius, digestus, explicatus.

Idem retinendum in ijs est, quæ deinceps discũtur: nam quia nobis nõ legimus, sed discipulis: gustanda sunt omnium scriptorum genera: vt quem cibũ puerili stomacho salubrem sentiemus: eum recondamus, vt suo tempore conditum beneq; coctum porrigamus. Quæ duo cùm peracta erunt, cõsultatio sequetur: quomodo porrigamus: & quænam: & quo ordine: de quo præcipiendum pluribus.

Sed in

Sed in diligentia fides ineſſe debet: quæ vtilitate & progreſſu diſcentis cenſenda eſt. III. Fides.

Sunt enim multi ſibi, non ſuis diligentes: quorundam etiam diligentia, ad oſtentationem dirigitur: quæ fallax eſt: vtilem verò diligentiam requirimus.

Ergo qui alios docet: vt ipſe diſcat: is ſuum, non alterius quærit commodum: & qui laudem quærit ex memoria pueri, recitatione Latinorum & Græcorum verſuum: is paucarum horarum merces explicat: nullas facultates opesq́ reconditas voluit poſſideri.

Quartum locum doctrinæ dedimus: & quintum religioni: cùm tamen religio primas teneat: & doctrina proximas partes: ſed fuit hoc ordine mea mihi exponenda ſententia. IIII. Doctrina.

Ergo prudens iſte præceptor & diligens & fidus atq; fidelis, etiam inſtructus ſit ab artibus, & à multarum & variarum rerum doctrina, quæ literarum prudẽtia eſt atq; ſcientia: diuerſa multùm à prima, de qua primo loco dixi: quæ communis eſt: & artificibus in medio omnibus propoſita: hæc verò prudentia eruditorum eſt hominum: ſine qua primæ illæ tres virtutes in liberorum educatione, nihil præſtare poſſunt, niſi vulgare & plebeium: hæc verò ſingulare aliquid & politum atq; admirabile ſolet in hominum ingenijs gignere.

Sit ergo talis Principis pueri magiſter, qualis Conradus Heresbachius fuit: vel potius, qualis nunc eſt: perfecto literarum curſu: multarum rerum vſu: conſummato iudicio: amabili grauitate: graui lenitate: vt doctrina non perfectionem ſolùm adepta eſſe videatur: ſed morum etiam decentem elegantiam.

Ridicula enim doctrina est in arrogantia, morositate, fastidio, leuitate: si tamen docti haberi possunt: in quibus huiusmodi sunt animi motiones.

Quanquam sunt in omni genere magnorum hominum aliqui inepti: vt oratores Erucij, Curtij, Mamerci: poëtæ, vt Marsi & Zoili & Cherili: senatores, vt Valgulæ, Aselli, Mancij: Imperatores etiã & Duces, vt Thersitæ, Glauci: in quibus nõ scelera vituperantur: sed ridentur ineptiæ.

Fiunt tamẽ quædam amabiliter ineptè: vt de Scipione & Lælio legitur: animi eos relaxandi gratia conchas & vmbilicos ad Caietam & Laurentum legere solitos fuisse.

De Archimede scientissimo Mathematico traditum est: cùm inuenisset in balnei aquiminario rationẽ, quantum probi auri furax artifex de massa abstulisset: nudum ex aqua domum cucurrisse, & inclamitasse Græco mathematicorum verbo, εὕρηκα: eiuscemodi ineptias virorũ ferre possumus: & habent aliquando vtilitates: vt mox ostendemus: sed fastidiosos, opinatores, arrogantes, rixatores, morosos, denig; ineptos, nemo aspicit: quin rideat propter ridiculum, aut doleat, causa literarum.

Quamobrem sanam requirimus in magistro eruditionem: cùm aliarum rerum multarum atq; magnarum: tùm imprimis antiquitatis et ciuilis scientiæ: sine qua rarò boni posſũt gubernatores & viri Rerumpub. Principes existere.

Doctrinæ & rerum scientiæ Plato ex Socratis sententia tantum tribuit: vt Respub. Philosophis commiserit: quod tamen minimè velim: fuerunt enim post Socratem nimis multi inepti Philosophi.

Ciuilem prudentiam antiquitas tanti fecit, vt cùm verisimile esset: non eam tenere omnem Numam Pompilium: ei

um: ei Aegeriam adiunxerint, vt Vlyssi Homerus Mineruam, à qua quotidiè doceretur.

De antiquitate & historia nullum dubium est: quin omnium Rerumpub. ciuilisq; doctrinæ & vitæ exempla contineat.

Vlysses pro historijs, quæ eo tempore non extabant: multarum gentium mores in suis cognouit erroribus: Qui mores hominum latè perspexit & vrbes: vt est apud Horatiũ: eaq; de causa Homerus Nestori tres ætates dedit: quæ multarum atq; magnarũ rerum suppeditarent memoriam.

Et, vt fabulas relinquamus: nulla antiquior historia est: quàm Moysis: nulla maiorem autoritatem habens: Patriarchas, vitæ longinquitas multa vtilia, necessaria, præclara docuit: sed postquam Deus humanæ vitæ, propter scelera, cursum decurtauit: eiq; breuem terminum constituit: pro longitudine vitæ & diuturna experientia: historiæ dono genus humanum viuit: & Moysen dedit atque Prophetas, à quibus multa simul mortales condiscerent.

Sed si est aliquod genus hominum, ad quod potissimùm antiquitatis memoria pertinet, est id Magistratuum, & Regum, & Principum in Imperijs: quos ad talem curationem non solùm voluntatem & ingenium, sed etiam scientiam atq; memoriam exemplorũ adferre decet: ad deliberandum, ad iudicandum, ad prouidendum, ad cauendũ: ad omnia imperij munia.

Historias igitur imprimis teneat omnium temporum, populorum, virorum is doctor, qui Principum erudiet liberos: & illorum hisce præcipuè mentes imbuat: vt vbi adoleuerint, & ad Remp. accesserint, in iuuenilibus eorum animis prudentia vsusq; inhabitare senilis videatur.

Sed in his, illud meminisse oportet, non eò à me hæc dici, quò solas historias commendem: sunt enim alia etiam multa præclara cognoscenda: veruntamen historias cumprimis discat adolescentulus: magister, si fieri possit, omnia sciat: & ex omnibus optima deligat: quæ conueniant ætati & viribus: id quod ad docendi rationem pertinet: de qua pòst, cùm de moderatione dicetur.

V. Religio

Nunc de quinto agendum: quod erat religionis: quæ virtus vna cæteras complectitur omnes atq; vniuersas. Simulac enim religio alicuius animum occupat: omnes ibi virtutes subitò vnà erumpere & effundi necesse est: adeò id clarum est: vt etiamsi Stoicorũ dogma obscurũ esset, tamẽ in religione intelligeretur: qui dixerunt, Qui vnam virtutem haberent: eos omnes non consequi, sed habere.

Religionem hìc ego cùm pietatem voco, tùm etiam diuinitatis noticiam: quò fit, vt hæc pars, appendicula partim sit doctrinæ: partim singularis quædam hominis virtus, ignem in homine inflammans diuini amoris: vt quale in oratore quidam requirunt, vt sit vir bonus: tale ego in doctore flagitem, vt sit religiosus: nõ singulari aliqua vitæ professione: sed communi omnium Christianorũ officio: quod religionem in omnibus desiderat hominibus: vt Deum metuant, ament, venerentur, implorent, orent, precẽtur: idq; nulla falsa superstitione, sed scienter. In diuinitatis enim inscientia non potest vera esse religio: quæ causa est, quòd talem præceptorem Principi puero quæramus, ex cuius ore, tanquam ex fonte salubres atq; cœlestes vitæ aquas hauriat.

Non enim religio solùm, sed etiam superstitio altissimis defigitur radicibus: & minus superstitio se doceri, quàm

quàm religio, patitur: quæ postquam radices nacta est euelli ex animis hominum non potest.

Vt enim id crederemus verum esse: monstrosis exemplis multarum ætatum serie prædoceri nos Deus voluit.

Itaq; non solùm Solem & Lunam quædam nationes adorarunt: & homines benè aliqui de mortalibus meriti inter Deos depositi sunt: & Dij nominibus effecti, vt Flora, Robigus, Lympha, Bonus euentus: verùm pro Dijs etiam bestiæ habitæ sunt: idq; ab Aegyptijs, quibus tamen ingenij acumen est propter regionis contemperationem, & qui sibi literarum, & artium inuentionem arrogant: & quis hos illis temporibus errores, & hanc monstrosam superstitionem, ex opinionibus eorum, in quibus hærebant, potuisset euellere?

Sapientissimus habitus fuit totius Græciæ Socrates, & tamen in ijsdem fuit de Dijs erroribus: & suum Dæmonium pro numine habuit.

Doctissimus M. Varro celebratur: ecce quid precatur, principio librorum suorum de agricultura: NEC NON ETIAM PRECOR LYMPHAM ET BONVM EVENTVM: quid hæc alia est, quàm verborum, non diuinitatis precatio? at qua ratione ducitur, vt hos Deos esse credat? QVONIAM SINE AQVA, INQVIT, OMNIS ARIDA ET MISERA AGRICVLTVRA: O Dialecticum: quia sine aqua ariditas: idcircóne Lympham pro Deo coli oportet? QVIA SINE SVCCESSV, INQVIT, AC BONO EVENTV: FRVSTRATIO EST, NON CVLTVRA: istúdne argumẽtari est, an desipere? Aiaci boues pro hominibus flagellanti ignoscere possum: non possum veniam dare Varroni Lympham adoranti:

adoranti: viro in Repub. magno: multæ lectionis, scriptionis, experientiæ, vsus: qui cùm videret Aegyptios in suo Crocodilo insanire: se in Lympha sua delirare non sensit.

Tantã vim habet in falsitate, educatio, cõsuetudo, persuasio: vt oculatißimi cæcutiant: sagacißimi nõ odorẽtur: acutißimi nõ intelligant: vt sapientia eorũ stultitia appareat, in eaq; pergant & moriãtur, etiã moniti atq; reuocati.

Quò magis ego Iudæis ignosco: qui propter istos horribiles errores non patiuntur se à suo malè intellecto Moyse, & à reconditis sibi Prophetis, & à suo mutilato Deo abstrahi: etiam Mahometanis, qui potius simili in particula colendi Dei errare malunt: quàm multos & vanos Deos colere.

At Numam Pompilium quomodo laudare possumus: qui cùm doctißimus & sanctißimus, peritißimusq; religionum à Romanis sit habitus, Aegeriam suam finxit: & eam vanitatem populo suo commendauit?

In hoc summo Rege: nónne ita fœda ista inhæret macula: vt nobis videatur omnis eius sorduisse Religio? Et vt ad Iudæos meos redeam: quibus aliquam sedem in ciuitatibus reliquisse videbor: quia euitatione vanæ diuinitatis, falsiq; cultus excuso: nónne sensibus omnibus diuinitùs videntur esse priuati: cùm in tanta prædictione calamitatum, & profligationis populi vniuersi, fateantur diutißimè his sese malis vexari: tamen aperire oculos non possunt: vt lucem intueantur: veluti qui ephialte grauantur: qui sentiunt malum: vnde autem accidat, non possunt per somnum intelligere.

Tantam Iudæi suæ religioni fidem habent: vt si possent: & si potens aliquis fictusq; & seditiosus Meßias oriretur:

nemi-

nemini mortalium in omni religione parerent: & orbem terrarum sibi creatum & constitutum putarent: cæteros mortales incendijs & cæde tollerent: vsq; adeò non solùm vera religio, grauis & sancta est: sed etiam falsa, dura est, & morosa, & pertinax, & crudelis.

Quid enim de Turca dicemus? cuius exemplũ nos vnũ docere potest: neq; bono euentu veritatem religionis probari: neq; disciplinæ seueritate: neq; ætatũ progressionibus.

Quot enim iam annis regnant? & religionem suam tuentur, & pro iure suo belligerant? quàm constanti totius populi fide & obseruatione erga Tyrannum? cum qua cærimoniarum & institutorum, falsa quidem & ficta & nugatoria: attamen dura & rigida disciplina? quanto etiam & quali successu?

In angulo orbis audacium hominũ globus vnus coijt: qui iam in Africa regnat: qui Europæ partem maiorem occupat: qui Asiam totam in sua habet & ditione & potestate: qui à nostris etiam Monarchis non Dominus, sed MAGNVS DOMINVS in legationibus appellatur: an mirum sit, hunc credere, diuinitus se in imperium maioribus suis successisse: & maioribus quasi in manus à Deo traditum esse omnium gentium imperium? Ergo nulla mala conscientia quot ille nunc millia hominum tot annis vicit, vexauit, trucidauit, sustulit?

Tanti refert, Principem benè institui: qui gladio, non doctrina religionem suam vindicat: qualiscũq; illa sit, qua est enutritus: vsq; adeò necessariũ est, solicitè prouidere, ne quid falsi in religionem, vel ætatum vitio, vel hominũ imperitia: vel fraude improborũ irrepat: præsertim, cùm tot ætatum & populorum exemplis doceamur.

Quid enim Athenis fuit præclarius: tùm, cùm floruit omnium disciplinarũ doctrina? quid apud eos sanctius, quàm conditores eius ciuitatis Neptunus & Minerua? quid magis his persuasum, quàm hos Deos esse? cùm ficta solùm sint impiæ religionis, vanaq; nomina. Tantã habuit hæc de istis opinio auctoritatem: vt cùm eorum sapientes Mathematici atq; Philosophi diligẽtissimè inquisiuerint, quomodo circulus quadrari posit: nõ cogitarint, quomodo verum esse posit, hos Deos esse: cùm pro his, vt pro patria pugnare deberent: circuli verò quadratio etiam inuẽta: non tantum attulisset ad fastigium philosophiæ, quàm Architecturæ securis & dolabra: quibus rotundus & orbiculatus truncus facili labore quadratur.

In quibus Athenensibus illud etiam maximopere mirandum est: quòd magis stulti fuerint in ijs, quæ se scire putabant: quàm in eo, quod se ignorare fatebantur.

Delubrum colebant Agnosti Dei, propterea quòd notus non esset: idcirco eum hoc nominarunt nomine: si hunc etiam Philosophi quæsiuissent: & inuenissent illum IEsum vocari, & cognominari Christum: aut si Magistratus cogitassent, quidnam esset: quòd maiores sine vultu & figura & cognomento delubrum statuissent, clementiores fortasse in Socratis iudicio fuissent: qui quoniam suum Dæmonium sequebatur: accusatus fuit, quòd Deos nouos coleret: & de dijs patrijs sentiret malè.

Quò ego magis nostrorum temporũ & nostræ religionis ignosco Magistratibus, qui in religione sua defendenda sunt seueri. Nam si vi religionem retinere oportet: & si potuerunt id facere Romani in suo Ioue Capitolino & in Romulo indigete: si Athenæ in Minerua: si Aegyptij in fele & Crocodilo:

Crocodilo: cur non similis seueritas sit retinenda in Christianorum religione? quam non solùm anni mille quingenti stabiliuerunt: argumenta & rationes confirmant: miracula demonstrarunt: sed quam antecedentia etiam Patriarcharum, & prænunciationes Prophetarum tot anteactis seculis comprobarunt.

Ignosco quidem istis Magistratibus: verùm cum gemitu & lachrymis: & optatione mentis iudicijq; melioris.

Si satis est, seueram esse religionem, fuit seuerissima Imperatorum Romanorum: numerosam, fuit numerosissima Aegyptiorum: honorificam, quid honorificentius Roma, quam Deorum puluinaria, vrbanæq; cærimoniæ? constantiam, quid constantius in sua Religione Turca? Rege Tunetensi? & hoc Numidarum Rege, qui cum Cæsare est? Declarant copiæ cœlestium martyrum: fuisse in falsis religionibus reuerentiam, constantiam, seueritatem: à quibus animorũ confirmationibus rapti martyres fuerunt ad supplicia. Si eos, qui hos sustulerunt, peccasse videmus: & tamen peccasse constanter, persuasos sua religione: cur nos non paululùm respiramus: & cogitamus, posse fieri: vt nostra sæuitia Deo displiceat: aut vt Iudices errent: aut vt Theologi: aut vt consuetudo: aut vt beatiores sint, qui in supplicijs patiuntur: quàm qui condemnant?

Illud etiã atq; etiã cogitandũ Magistratibus atq; Principibus est, qnam sint, q reos ad flãmas, et ad cruciatus ducant. Non enim Carnificis gladius fulget, q ceruices ferit: sed Principis: neq; carnificis manus est, quæ rogũ incendit, & flammã excitat: sed Principis dextra, quemadmodũ nec iniquũ iudiciũ ad lictores atq; carnifices ptinet: sed ad Magistratus: qbus, si malè iudicẽt, pstanda culpa est, in cœlesti iudicio.

Quamobrem discat Princeps puer, ex hoc, quem requirimus, præceptore, veram religionem, quam suo tueatur gladio: vt non solùm regere suos: sed etiam iustè, sanctèq; regere possit. Non enim ignorantia excusat Magistratus. Eadem enim Regem Numidarum, Persarum, Turcarum excusaret: nō consuetudo, quæ Iudæos etiam fefellit: non temporum longinquitas. Fuit enim Græcorum vetustissima, & Romanorum perantiqua Religio: non equidem, quòd Christiana religio non certissima sit: sed non solùm Christianam postulamus religionem: sed eam flagitamus etiam puram, incorruptam.

Vt enim religione nihil sincerius esse debet: ita etiam nihil facilius corrumpitur accessione superstitionis.

Itaq; bonorum & doctorum virorū est, contra impias cærimonias, & contra doctrinam falsam pugnare: & pro integra, pura, sincera, sana, mortem oppetere & cruciatus contemnere. Non enim, vt in Platonis & Aristotelis Repub. leges aliquæ malæ ferendæ & tolerandæ sunt: vt ne qua periculosa oriatur Reipub. conuersio. ita in populo Christiano: cærimoniam irreligiosam: & precationem impiam: & opinionem contra Christi & Dei præcepta dissimulare oportet. In religione fidelem & iustum esse decet: etiamsi orbis collabatur.

Ergo beatæ illæ vereq; cœlestes animæ: quæ nostra ætate sanguinem suum effundi passæ sunt pro religionis puritate: & haud scio, an minus fortiter passæ sint: quam primi Ecclesiæ martyres.

Nam hi ea formula iudicium hominum sustinuerunt: quoniam Christus filius Dei sit: & eiusdem cum Patre diuinitatis sit particeps: illi verò, quoniam corrupta sit doctrina:

ctrina: vitiatæ cærimoniæ, leges impiæ in Ecclesiam irrepserint: & hæc omnia censeant esse emẽdanda. Vt his mentibus in hoc mortali corpore ne aliqua iniuria fiat, Principis Christiani est prouidere. Itaq; benè instructum esse à puero oportet, præceptis doctrinæ Christianæ: vt iusticiam colat: religionem defendat: eam non patiatur maculari: quæ iam maculosissima est.

VI. Moderatio.

Sed plura, quàm mihi constitutum fuit, de religione: veniamus ad partem postremam, quæ fuit commoderatio: propria magistri virtus, idq; eruditi: hæc efficit, vt quæ puer discet: ea discat cum voluptate: hæc difficilibus adfert facilitatem: hæc docet omnia: hæc tollit fastidium: hæc matrum solicitudines adimit: quæ in studijs liberorũ solent valetudinem aduersam metuere: aut ingenij grauationem extimescere: aut disciplinæ duritiem timere: aut magistri morositatem vereri: denique hæc emendat, quicquid puerilis educatio in se habet molestiæ.

Maximopere enim tenenda est Socratis libro secundo de Repub. sententia: ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμενον μάθημα.

Disciplinæ læta.

Verissima hæc est: eoq; non interrogata est à Socrate: sed affirmata. Non enim decet liberum ingenium, seruili disciplina illaqueari: corporis labores violenti aliquando esse possunt: animi exercitationes & liberæ esse volunt: & voluntariæ. Quicquid enim inuitis & recusantibus imponitur humanis mentibus: id leui momento data occasione excutitur.

Moderationis partes.

Itaq; Socratis in eodem Platonis loco vocem sequi oportet: μὴ βίᾳ τὰς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε: quæ vox si vera est: oportet præceptoris moderationem in duas partiri partes: quarum vna corporis est: altera

tera animi, hoc est, vna ludi, altera doctrinæ: vna iocosæ, altera seriæ voluptatis: vtraq; tamẽ vtilis sanè voluptas: quam à pueritiæ & adolescentiæ disciplina nunquam abesse volumus. Neq; enim ratione caret, quòd Græciæ nobilissimæ ciuitates huiusmodi disciplinæ Musas atq; Apollinem præsides esse voluerunt.

Exercitationes iuueniles.

Ergo & canere suis horis: & in venationibus interesse: & natationibus: & decursionibus militaribus: & saltu se cursuq; exercitare non solùm concessum, verùm etiam necessarium iudico.

Quamobrẽ Principis pueri Magister, in quo omnia ista sunt: de quibus dictũ est: pro ætate, pro viribus, pro tempore, pro volũtate, pro instituto vitæ omnia debet moderari. In venationibus species quædam est militaris fortitudinis: natatio quoq; vtilitates habet, vt de C. Iulio Cæsare literarũ monumenta docẽt: equestres decursiones propriæ sunt aularum exercitationes: saltus etiã cursusq; adolescentiã imprimis decet, sed in his moderatus præceptor prouidere debet, ne sint immodicæ: ne intempestiuæ, ne periculosæ: ne cursum studiorũ impediant, sed iuuent: vt puer credat omnia ista inseruire virtuti & doctrinæ: vt sciat in Imperatoribus & Ducibus semper eos gloria cæteris præstitisse, qui cum militari fortitudine, ciuilem prudentiam & doctrinam literarum coniunxissent: vt de Iulio Cæsare, & Alexãdro Macedonico aliisq; multis legitur: quæ exempla is præceptor rectè applicare poterit, quem hic delineamus.

Principis colluſores & cõdiſcipuli.

Permagni verò refert, quos habeat Princeps & in exercitationibus colluſores: & in studijs condiſcipulos: quos non ex ipſa ſolùm nobilitate, ſed ex toto etiam populo, & ab exteris gentibus oportet conquirere: imò maximopere

cauendum

cauendum est: ne in hanc disciplinam, & studia, & ad hos iuueniles ludos accedant: quibus virtus & honestas, & doctrina amabilis atq; præclara non videatur: hic campus nō minus ab impudicis oculis amouendus est, & à cōtagionibus vitiosorum vindicandus: quàm apud Poëtas Dianæ balneationes: vt hi ludi etiam ad virtutis cultum adiumenta adferant, atq; etiam ad literarum elegantiam.

Habent enim omnia hæc, cantiones, cursus, saltatiōes, venationes, decursiones, gladiationes, sua vocabula, suas sermonis formulas, sua in historijs exempla: quæ ex literarum Schola in gymnasium corporis, & ex gymnasio in Scholam deportabunt discipuli: si ea erit in magistro cōmoderatio, quam requirimus. Oportet enim, vt hæ exercitationes sibi mutuam opem suppeditent: & vtrinq; accipiant alterna subsidia.

Sed mirum videbitur multis, quòd his rebus ego præcepta dem: qui ne concedere quidem eas deberem: quibus mihi reddenda ratio in hoc tempore non est: satis mihi est, quòd intelligam & sciam, hanc esse vetustam Persarum & Græcorum disciplinam: & quòd etiam tempora nostra moresq; nostri doceant, quoniam hæc consuetudo vel potiùs ratio sublata est: idcirco tam paucos esse in Principibus, qui ad imperiorum atq; regnorum amplitudinem, doctrinæ maiestatem adiunxerint.

Quæ enim alia est causa: quàm quòd literarū cognitio difficilis & dura & insuauis, molestaq; videatur: & corporis exercitationes magis naturales: cùm æquè sint vtræq; naturæ consentaneæ, si modus teneatur, & coniungantur à magistro tempestiuè & conuenienter?

Sed quia nostris moribus puerorū ingenia, vt à nutri-

cibus

cibus per infantiam in cunis: ita hac ætate libris alligantur: nullo ludorum atq; exercitationum quasi magisterio: fastidiunt, quod coguntur facere: appetunt, à quo prohibentur: quo fit, vt cùm à præceptoris subsellijs, ad equitationes deducuntur: aspernentur literas: nouos magistros ament: & in scholis tyrannidem: in stabulis libertatem esse existiment. Quantò ergo vtilius esset atq; conducibile magis: hæc per ætatem puerilem discere: vt ante annum decimum sextum non solùm scholæ, verùm etiam tyrocinij non sit ignarus adolescens: & non minus & venari, & natare, & equitare benè & artificiosè possit: quàm illi ipsi, qui his rebus sunt præfecti aulici magistri?

Sed odiosa res est, & laboriosa, & ingrata, literas discere. Annos ego iam triginta sex literas disco: viginti tres easdem, quas didici, doceo: equidem videre nõ possum, quid habeant literæ molestiæ: molestiæ dico, quid non habeant, inquam, voluptatis: si à tali tradantur præceptore atq; magistro, qualem hîc eum esse volo: & qualẽ ego Conradum Heresbachiũ esse hoc præsertim tẽpore puto.

Nam oratio, quam de Græcorum lingua & literis olim Friburgi adolescens habuit: quam ego deinceps latere in bibliothecis paucorum non sum passus: quantum in se habet doctrinæ? qualem rerum, & quorum librorum cognitionem? quales significationes vberrimi pictoris? quantum facundæ, vt hoc verbo vtar, disertæq; & eruditæ linguæ documentum?

Hanc adolescens habuit: quantum pòst, tot iam annis accessit doctrinæ & vsus? Ergo qui talis erit præceptor, qualis Doctor Heresbachius est: qui multa didicerit, legerit, viderit, vsu compererit: is quicquid difficultatis erit, facilè

facilè poterit non imminuere, sed tollere: quicquid molestum, id emollire: quicquid obscurum, id illustrare: distinguere etiam poterit, non solùm mala à bonis, verùm etiã vtilia à necessarijs: postrema à primis: vt néue intelligentia pueri, néue memoria grauetur: idq; omnibus temporibus & legendi, & intelligendi, & scribendi, & cõmentandi.

Multa habent grammaticorum libri nimia: multa Dialecticæ magis & Philosophiæ, quàm suæ artis propria: & ipsæ dialecticorum atq; rhetoricorum præceptiones facilius doctoris voce atq; iudicio tradi possunt, quàm libris sint explicatæ. Iam disciplina de moribus & ciuili scientia, & de legibus: & partes omnes philosophiæ naturalis: item antiquitatis memoria & historici cõmentarij: quàm multa habent, in quibus non solùm ordo & rerum expositio illustrari à magistro poterit? sed etiam, quàm multa præteriri, adimi, contrahi, coaceruari, redigi in locos artificiosos, coarctari angustis commentarijs, in tabulis artificiosè oculis discipuli opponi: vt de verborum confusione taceam: quæ nullum adhuc coactorem & digestorem habuerunt: cùm tamen & lexica, & copiæ, & thesauri, & commentarij & annotationes omnis generis vtraq; in lingua extent: quorum omnium cognitio infinita, & memoria negata naturæ humanæ est: vt nihil sit, neq; in susceptione, neq; in elaboratione huius studij, aut facile, aut iucundum, absq; magistri huius, quem propositum habemus, ope & auxilio.

Quàm fastidiosa res stilus est, etiã eruditis rerum cognitione, nisi eum exacuerint? at certissima ratio est adiuuandi adolescentis: & vt facilè scribat & libenter & cum voluptate.

Commemorare verò in sermonibus & conuiuijs, hominumq; congressionibus, quæ legeris, audiueris, scripseris: adeò magnũ est, vt etiam eruditissimi facere id nõ queant, absq; pudore: & metu reprehensionis: sunt tamen ratiões, quibus qui munitus est, nullum neq; grammaticum, neq; poëticum, neq; rhetoricum verebitur Aristarchum.

Deniq;, quia Deus in natura rerum nihil temerè, & confusè, & perturbatè constituit: sed omnia suas causas, & ordinẽ, & cõuenientiam sortita naturaliter sunt: nihil ita fortuitũ, & numerosum, & indigestum est: quod ab ingenio benè literato non possit proprietate distingui: specie continuari: generibus contrahi: quodcunq; aut fieri potest, aut existere: simul ac sensu percipitur, intelligentia potest cõprehendi, & notione aliqua notari: & quæcunq; aut tẽporibus aut rerum serie, aut earum cognatione, aut similitudine, aut consecutione connexa sunt, tametsi reconditam atq; confusam molem habeant, tamen ijsdem possunt & tẽporibus, & propagationibus, & propinquitatibus, & similitudinibus atq; consecutionibus dispertiri, & doceri: idq; modico discentis labore: minimo fastidio: nulla molestia: si talem, qualem volumus, artificem nancisçantur.

Is siue artifex, siue magister, siue doctor, siue præceptor: aut quocunq; eum placeat nomine appellari: inuenire poterit catenam illam Iouis, de qua est apud Homerũ: & intelligere, quomodo illa compages cohæreat, ex qua cælum, terra, omnia elementa, omnes Dij, omnes homines dependeant: & Iouis dextra nutuq; moueantur.

Est enim omnium rerum inter se perpetua cognationis cohærentia: & quia res perpetua continuatione copulatæ sunt: necesse est etiam verba, quæ rerum sunt signa, omnesq;

mnesq; sermonis atq; orationis partes continenti connexione coalescere: id quomodo fiat, quod naturale est: & quomodo confici debeat, quod est artificiosum, tenebit hic noster Principis doctor.

Quanquam non omnia in doctore posita sunt: sunt etiam, quæ ad magistrum adferre, eiq; adiungere oportet adiumenta: vt nec Galenus, nec Hippocrates facilè curare morbum possunt: nisi ægrotus etiam officium suum faciat: & custodes: cæteræq; res adsint, quæ sunt ad sanandũ necessariæ. Ita etiam puerum ad magistrum naturam atq; ingenium & voluntatem adferre oportet.

Quis enim non faciliùs ingeniosum, quàm stupidũ erudiat? aut quis doceat fatuũ & stultũ? Etiam parentum requiritur prudentia, vt condiscipuli boni deligantur: vt aulicæ impeditiones & noxæ remoueantur: vt magistri cõstituatur & confirmetur autoritas: vt omnia adsint, quæ sunt conducibilia. Vbi hæc congruunt: non mihi vllum est dubium: quin ibi populus, & optimum, & sapientissimum minimo cum labore, nullo cum fastidio, nulla molestia puerilis ingenij, aliquando sit habiturus Principem: qui patrem non solùm viuum: sed etiam morientẽ consolabitur: vt libentiùs è vita migret ætate acta: cùm talem cogitabit se hæredem suo populo tradere, qualis à fœlice populo Princeps gubernator sit exoptandus.

Hæc adte Guilielme Dux, quasi præfari libuit: cùm cogitarem Conradi Heresbachij orationem diuulgare: vt tibi memoriam præceptoris & iuuenilis disciplinæ renouarem: vt quasi testem certissimum haberem de diligentia & fide & prudentia & doctrina Heresbachij, vt etiam tu liberis tuis, quos Deus daturus est: ante tempus præceptorẽ inue-

nias: vt cùm tempus erit, in promtu ſit, cui imago matris & patris committi poßit: qui eam ab omni macula cuſtodiat.

Prudentißimè loquitur apud Euripidem chorus Herculidarum.

ὄυκ ἐσὶ τόδε παῖσι κάλλιον γέρας:
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ καγαθοῦ πεφυκέναι,

καμοῦντ' ἀπ' ἐσθλῶν.

Vtrunq; tibi diuinitus datum eſt: vt & parentibus ſis procreatus illuſtriſſimæ antiquiſſimæq; vtriuſq; familiæ: & talem in matrimonio vxorem habeas: cuius parentes in hac nunc Chriſtianorum ætate nulli nec genere, nec honoribus, nec fortuna, nec Imperij maieſtate ſunt ſecundi.

Filiolam Deus dedit: daturus etiam eſt filium: ſi is talem conſequetur præceptorem, qualem hic indicauimus: ſiue id tua ſponte facias: ſiue exemplo Conradi Heresbachij: gratulabor vobis parentibus de fœlicitate: & gaudebo patriæ meæ de ſpe vicini Principis: qui patri forma bonitateq; ſimilis: aliquando fœlicitatem populi, prudẽtia ſua ſapientiaq; nõ patietur aut interturbari, aut minui.

)?( )?( )?(

FINIS.

IOAN-

IOANNIS STURMII NOBILITAS LITERATA.

LIBER VNVS.

AD WERTEROS FRATRES.

LAM DIV PETIS Á ME, Philippe: iam nunc etiam Antonius tecũ frater tuus postulat: vt viã vobis aliquã, rationemq; studiorum demonstrem: quam ego vsitatam hominibus literatis esse existimem: & quæ vestræ ætati, vestræq; familiæ & nobilitatis ordini sit accommodata. Qua in re libenter vestræ morem voluntati gererem: si vtrumq; exiguo libello complecti possem. Altera enim pars longam & variam explicationem requirit: ostendere, quam ego credam doctorum hominum, præsertim Græcorum & Latinorum, consuetudinem fuisse: sed in altera conabor vobis, in hoc laudabili vestro & incitato studiorum cursu adesse: & ex altera tantum ad hanc seuocabo: quantum res ipsa ratioq; videbitur desiderare: de altera, cùm vacabit, & vestra studia postulabunt: plenius à me aliàs disseretur. In hoc verò tempore de te fratreq; tuo statuendum: in quibus & ætatis minimum est interuallum: & magna ingenij similitudo. Eadem enim voluntas in vtroq; est: æqualis

cognitio: gemina contentio: ad quam cùm vestra sponte et literarū amore: tùm Georgij Fabricij doctoris vestri industria, & exemplo olim excitati estis: cui Wolffgangus frater successit: qui ita vobiscum duos annos vixit: vt triplicem fructum, eumq; honestissimum inde perceperit. Nā & fraterna se consuetudine suauissimè oblectauit: & vobis exemplo præfuit: & literarum suarum studia recoluit: & hæc tria ita consequutus est, quemadmodum ipsi videtis: vt non tam sua, quàm vestra causa à Beichlingo, & â suis abfuisse appareat: eademq; de causa iam Luteciæ versari, nō solùm, vt exemplo vobis sit: sed etiā vestra causa eò præiuisse videatur. Sed vt reuertar, vnde nonnihil digressus sum: certum vobis temporis spacium circumscribam: certamq; doctrinam & exercitationē: in quibus mea se continebit consultatio: in eaq; ætatē vestram, & ingenij vestri vires, & facultatem considerabo. Præmonstrabo enim, quem cursum per hoc proximum triennium tenere debeatis: & quæ suscipere: vt, posteaquam ter Calendæ Ianuariæ reuersæ erunt: vbicunq; futuri sitis: oratio vestra & prudens futura sit, & latina, & elegans, et copiosa: quē ego alterum finem vestrarum cogitationum esse puto: vitam literatam: de quo fine meum consilium expetitis: alter virtutis est: qui aliud tempus ad tractandum flagitat. Et certè si ad familiæ vestræ nobilitatem, & ad opes facultatesq; vestras virtutem & doctrinam literarum adijcietis: id quod facere iamdudum instituistis, & omnem nobilitatem facere decet: quid est, quod ad felicitatem, & ad vitam beatam in his, quæ in vestra potestate sunt, vobis est defuturū: quamdiu ea, quæ habetis data vobis diuintus: fato aliquo, & vi atq; fraude non auferantur? Sed tamen in

men in his ipsis cõseruandis, & in amissione, ad consolandũ plurimum & virtus religio q̃, & magnarum rerum cognitio atq̃ doctrina confert: vt de felicitatis præcipuo gradu non ita depellamini: quin semper habeatis, vbi positis consistere. Ac virtutẽ quidem, in qua religioni primæ partes deferendæ sunt, tametsi propositum non est explicare: neq̃ morum disciplinam tradere: tamen, vt ne eam necessariam non esse homini literato, vel alij homines existimẽt: vel me id existimare alij cogitent: idcirco eius in hoc principio meminimus: præsertim cùm etiam in hac parte, & in hoc instituto, tribus nobis potissimùm virtutibus sit opus: sine quibus neq̃ nostrum consilium, neq̃ vestra voluntas, multum opis inueniet. Primùm enim diligentia est necessaria: sine qua etiam magna ingenia nõ longè progrediuntur: deinde temperãtia in voluptatibus: quæ custos est diligentiæ, & ingenij ac naturæ conseruatrix: tùm cõstantia in vtraq̃: vt ea perficiantur, quæcunq̃ erũt inchoata. Quæ virtutes tùm demũ iudicabũtur veræ esse: cùm neq̃ diligentia viriũ defatigationem: neq̃ temperãtia valetudinem: neq̃ constantia obstinationem nimiam pariet: non, quòd virtutes vitia sint: sed quòd vitia sæpenumero virtutum simulatione fallant. Lætam, & sanam, & sequẽtem virtutem esse volumus: & hominis studiosi volumus mores esse suaues: valetudinem prosperam: & animum flexibilem: ita tamen, vt libido absit: mollities vitetur: locum non habeat pertinacia. Primæ ergo duæ virtutes, quarum memini: & quæ ab hac præceptione abesse non possunt: ad corporis vires debent esse accommodatæ: constantia verò non solùm finem studiorum vitæq̃ respicit: sed etiam in singulis actionibus, quæ prudenter instituta erunt,

tæ erunt, adhibenda est. Iam verò, quoniam harum virtutum in vobis signa egregia apparent: quæ his annis sæpe intellexi: admittam vos, & adero, quoad potero, in hoc perspecto mihi vestro conatu, & egregio studio. Ac principiò quidem considerandum mihi est: quantum iam in hac literarum doctrina consecuti sitis: non solùm, vt ne omittam aut præteream aliquid: sed etiam, vt ne post rem comparatam & confectam in aliquibus adferam consiliũ. Tenetis igitur, vt ex fratre vestro Wolffgango intellexi: & vt ego ex scriptis vestris cognoui: latinæ linguæ præceptionem omnem: quæ quidẽ ad scriptores intelligendos est necessaria: in eaq; lingua verborum & formularum (quæ rerum & sententiarum simulacra sunt) tantam copiam, & delectum eiusmodi estis consecuti: vt ab his instructi sitis ad scriptiones & ad stili exercitationem: modò disserendi & dicendi ratio omnino non desit: quarum rationũ vtraq; ars stili semper fuit moderatrix. Et sanè si ea adhuc tenetis, vt confido: quæ à me primò in Rhetoricis & Dialecticis audiuistis: quæq; à Seueno pòst recognouistis: nihil est, quod prætereà requiram, præter annotationem in legendo: & in scribendo industriam. Iam in Græcis eò progressi estis: vt in linguæ præceptis nullus labor restet: in verbis & singulis & collocatis. In eo studio perficiendo nõ tam molestus ad intelligendum est labor: quàm iucunda & suauis futura est ad comparandum obseruatio. Quanquam non ignoro, non in his nihil deesse vobis, quod ignoretis: tamẽ quod scitis, id mihi satis est ad id, quod instituo: & quod à me postulatis. Etenim Homericus ille Vlysses, quanquam πολύτροπος fuit: & multorum hominum ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, vt scribit Homerus: tamẽ in singulis ipsum gentibus

tibus & ciuitatibus credibile est non omnes voluisse ciues cognoscere: nec in singulis familijs quid ageretur intelligere: verùm ea solùm discere, quæ ad id sibi conducerent, quod animo cogitatum & propositum habuit. Imò verò etiam nusquam magis neq; errauit neq; peccauit: quàm cùm Calypsus amore nimis diu detineretur: & suam industriã & laudes suas abscondi in obscuritate antri pateretur. Vt igitur hunc virum, quem Homerus sapientissimum facit, verisimile est per varias regiones profectum esse: ita etiã in his, de quibus dictum est, artibus versandum est: & diutius nõ est in singulis præceptionibus immorandũ: quàm verborum & orationis cognitio desiderat. Et vt ille asperam suam Ithacam in omnibus & laboribus & ærumnis cogitabat: ad eamq; quoties potuit, properabat: ita nobis quoq; ad studiorum nostrorum, vitæq; finem pergendũ est: qui in arduo loco plærunq; est à natura collocatus: de quo deinceps dicendum est: & prouidendum, qua via eò perueniamus. Nec mihi dubium est: quin in hac bonorum facultate & copia, proposita vobis vita honesta sit, & literata: quarum altera ad disciplinam morum pertinet: altera huius est instituti: & magna ad alteram adiumenta adfert: & profectò in hac vita, ea mihi vita beata videtur: quæ ad generis antiquitatem morum sanctitatem adiungit: & bonorũ amplitudinem literarũ ornat elegantia. Itaq; præceptionẽ meam duas in partes diuidam: in cognitionem rerum: quæ animi est excultrix: & in linguæ exercitationem, & sermonis prudentiã & concinnitatem: quæ cùm auribus audientium repræsentatur: mentis suauissimũ concentũ indicat: qui magis intelligi à nobis potest: quàm cœlestis machinæ, nunquam audita, tamen tradita olim

à Pythagoricis ἁρμονία. Vt autem à rerum doctrina exordiamur: non video, quid magis vos deceat, & nobilitatẽ exornet: quàm ciuilis scientia: quam Græci politicen nominant: quam si consequamini, vt oportet: magna allaturi estis & patriæ, & genti, familiæq; vestræ ornamẽta. Quid enim maius est? quid præclarius? quàm nobilem hominem literatum esse, & politicũ? quæ duo & doctrinam, & virtutem, religionemq; omnem complectuntur. Itaq; exponemus, qua via huius, siue scientiæ & doctrinæ, siue virtutis & facultatis cognitionem, vsumq; talem comparetis: vt nõ solùm alijs vtiliter, verùm etiam vobis iucundè viuere possitis: vt apud amicos grati, domi suaues, & publicè honorati videamini fuisse. Ciuilis verò scientiæ cognitio rectè ab ijs libris instituitur: quos Aristoteles de repub. scripsit. Sed quia in moribus ciuiũ probatis fundamenta sunt posita magnarũ ciuitatũ: rectè doctrinæ ciuili scientia de moribus adiungetur: quam etiam Aristoteles multis libris tradidit. Omnium autem maximè historia adiuuat: in quibus & ortus rerumpub. varij videntur: & cõseruationes earum: & cõuersiones atq; interitus: & hominibus in vita dubitantibus consilia multa, & exempla varia suppeditat. Vos quidem, quid deinceps poteritis rectius suscipere: quàm hoc studium: post ista vestra & loquendi, & disserendi, & dicendi præcepta? Verùm in his ipsis cõsequendis habenda latinæ linguæ ratio est: ne cõtaminetur varietate linguarum, & diuersitate verborum: quæ singulæ artes, & linguæ: & in vnoquoq; genere singuli scriptores propria habent: qui etiam verborum eorundem collocatione, & toto compositionis genere, in consimili argumento, plurimùm sæpenumero inter se differũt. Historicus

enim

enim Herodotus est: & in eadem gente eodem sermone, nimirum græco: etiam Historicus est Thucydides: & vtriusq; pulchra est & ornata oratio. At quantum discrimen est suauitate, grauitate, verborum collocatione, figuris sententiarum, & quasi transformatione quadam incisorum, membrorum, circumductionum, tota deniq; compositione? Eiusdem populi res gestas scripserunt, Cæsar, Liuius, Tacitus. Sed quantum in his interest, omnibus ijs ornamentis, quæ iam commemorauí? Plus verò in his omnibus, & in Ciceronis scriptis. Et hi ipsi Ciceronis libri, magnam in se varietatem continent. Scribe epistolam eo genere orationis, quo principium Milonianæ causæ est concinnatum: tametsi apud imperitos aliquot laudatores inuenies: quibus tamen verum iudicium est, improbabunt: & statuent, decori te præcepta transilijsse. Quocirca videndum est, vt rerum cognitio ne, cùm materiam suppeditat ad res tractandas alienas, noceat verborum & orationis peregrinitate: non quòd hi latini non sint: aut illi non sint Græci: sed quia vt equites & pedites, & vt in senatu, & in foro, & domi, Romani & Græci nõ ijsdem vtebantur vestibus: ita in diuersis rebus, quæ oratione tractandæ erant: nõ idem dicendi genus, neq; eandẽ adhibebãt sermonis formam. Laudo, quòd Romam viderit aliquis: quòd Athenis Cratippum audieris, comprobo: patior etiã & laudo cum cæteris, quòd Atticus cognominaris: at vt pallio vtaris Romæ Græculo, non laudo. Nam leuitatis indicium, & stulticiæ testimonium esse iudico. Sic omnes hi, cum alijs omnibus, ad discendũ boni: sed in suo quisq; genere: & proprium quisq; aliquid habuit, quod sibi placuit: & potuit quisq; id decenter et suo iure. Iam verò ad cogni-

tionem rerum maximarum, Dei, religionis, pietatis, charitatis, & cæterarum virtutum & præclarorum morum, & humanæ salutis: quid illustrius, quid magis necessariũ, quàm ea, quæ Moyses scripsit, quæ Prophetæ, quæ Apostoli? attamen hæc ipsa exornari magis possunt: si debitus cultus, & puritas sermonis linguæq; latinæ adhibeatur: & hic ipse sermo Romanus, & latina eloquentia, nõ vitietur Hebraismo: qui in sua lingua suauis est: in aliena aures offendit: & luci rerum sæpe tenebras offundit. Cognoscẽdus igitur Thucydides, & Herodotus, & Xenophon, & Polybius, & Halicarnassæus: & Herodianus apud Græcos: & legendus apud Latinos Cæsar, & Liuius, & Tacitus: & omnes hi diligenter intelligendi: vt iudicium confirmetur, memoria augeatur, amplificetur rerum doctrina: imprimis verò, quæ Iudæis primùm diuinitus tradita sunt: deinde eadem illustrius explicata post Christi mortem: sed ita, vt quemadmodum mens ipsa pura & incorrupta horum lectione & meditatione euadere & permanere debet: ita etiam linguam ab his nõ impediri, sed adiuuari velim. Nec enim impium est: nostro præsertim seculo: mentis & vocis eandem esse puritatem, concinnitatem, elegantiam: & nescio quantò magis Christi doctrinam orationis amplitudo deceat: quàm templorum immanes constructiones: non quòd in his non delecter: sed quòd hoc ornatu delecter magis: & magis decere existimem. Vt enim imago Dei, quæ ab optimo pictore picta est, magis oblectat, quàm, quæ ab imperito: & statua Iouis à Polycleto dedolata magis afficiebat: quàm, quæ à cæteris opificibus: ita etiam religiones & cærimoniæ, cùm disertum explicatorem nanciscuntur: docentur intelligentiùs: explicantur illustriùs: &

amorem

amorem metumq; Dei, diuinitus excitatum, neq; remitti sinunt: neq; elanguescere patiuntur. Ad ciuilem igitur scientiam: quæ maximè nobilitatem decet: hi scriptores magna adferent adiumenta: quorũ libri de Republica & moribus extant: & historici, tùm Græci, tùm Latini: imò etiam cæterarum linguarum expositores: cùm quid supereſt temporis: aut cũm tempora id flagitant: ante omnes verò nostræ religionis autores, & doctores, & historici. Et quoniam eam vocamus ciuilem doctrinam: quæ à Græcis πολιτικὴ est appellata: & partem sui habet non paruam τῶν νομικῶν. etiam atq; etiam cognoscere oportet Platonis illa præclara monumenta de legibus: & de ysdem Ciceronis libros duos: qui, cum rectè intellecti erunt: facilè demonstrabunt, quid statuendum sit: & quomodo respondendum, quoties de cæteris quæstio oritur: quæ à Iureconsultis concinnatæ sunt, atq; digestæ. Sed vt ne multitudine perturbemini: neq; impediamini linguarum varietate, & multiplici tractatione: priusquam ad orationis exercitationem veniam: viam vobis indicabo: quam ego puto ingrediendam esse: vt eò, quò propositum est, perueniatis. Omnem igitur hanc rationem in tria diuidam tempora: vnum audiendi: alterũ legendi: tertiũ commentandi. Quibus tribus si modus adhibeatur, ratioq; teneatur, quam præscribã: & euadetis eò, quò cõtenditis: & temporis satis quotidie supererit post singulas actiones ad animi relaxationẽ, & virium refectionem, & cõfirmationem valetudinis: cuius magnam curam geri volo: propterea quòd animus in bona corporis habitudine viget magis, & acutiùs intelligit, & longiùs prospicit: & diligentiùs conseruat ea, quæ discendo, & intelligendo, & commentando peragrauit. Reuertar ergo ad

id, quod primo loco propositum est, ad auscultandi tempus: in quo duo sunt personarum genera. Nam & doctoribus vtimur: vt M. Cicero filius Cratippũ Athenis audiuit: & vtimur recitatoribus: et Cicero in epistola ad Atticum missa dolet de Sosithei anagnostæ festiui, vt vocat, pueri morte. Scriptores ad intelligendũ difficiles, & arduarum rerũ autores, ab alijs cognoscendi sunt: quos hodie et lectores, & professores linguarum, & scholarũ magistros nominãt: vt in Philosophis sunt Platonis Gorgias: & Protagoras: & sermones apud hunc alij multi: Aristotelis primi libri de repub. & de moribus: in historicis Thucydides: in poëtis Lucanus: nam hic etiam intelligentem ciuem & togatum prudentem facit: in oratoribus Demosthenes & Cicero: non quòd obscuræ sententiæ sint: sed quòd ars abscondita latet: & lumen sententiarum, compositionis amplitudine, sæpe, vt sol oculorum, ita ista aciem mentis perstringat. Legere ipsi vobis potestis Cæsaris commentarios: & Xenophontis Cyrum: & Herodiani Cæsares: & Polybium. Recitatoris vsus est in ijs, & quæ ab alijs audiuimus, recognoscendis: & quæ ipsi priuatim legimus: & sæpe, antequam legamus, prodest recitari aliquid ab anagnoste: & si quid obscurum est, id paucis ab eodẽ explanari: & pòst à nobis & lectione & cõmentatione repeti. Hactenus, quæ exponi à magistris, & quæ recitari à domesticis, & à nobis legi oporteat: nunc, quæ ratio adhibenda sit, & quo vtendum delectu, & quis sit seruandus vbiq; modus, disseramus. Deligendus igitur is est potißimùm: qui eandẽ, quam docet, artem profitetur: eamq; diu exercuit Pernicioſa res in literarum gymnasijs est: doctrinam simul cum disciplina instituì: & esse, qui docere priùs incipiant, quàm discere: id

re: id quod meis temporibus nimis fuit vsitatum. Quanquam non nego, multos esse præclaro ingenio: qui melius discendo expediant aliquid: quàm alij aliqui, qui idem lõgè antea & didicerunt & docuerunt: sed nos de eo tempore loquimur, cùm duorum data nobis facultas est: vt eruditiorem magisq; experientem semper præferamus. Quòd si contrà eueniat, sequemur magnorum ducum & clarorũ imperatorum exempla: qui fortem tyronem ignauo veterano solent anteponere. Sed in facultate duorũ aut plurium: iudicium non solùm de doctrina faciendũ est: verùm etiam de docendi ratione & expediendi dexteritate: in quo tamen videndum, quæ vires sint discentiũ: quæ facultas: quæ doctrina. Lutetiæ cùm essem, idẽ consequebantur Petrus Danesius & Iacobus Tusanus, diuersa tamẽ ratione, vt à multis audirentur. Expediebat vterq; plurimos vna hora versus: Tusanus appositè ad Grammaticorũ normas: Danesius ita Demosthenem interpretabatur: quantũ in ipso fuit, & quoad sermo ille patitur: vt Romanus videretur, & Ciceronis verbis & sententiarum formis figuratus. Itaq; alter à doctioribus libenter audiebatur: alterum audiebant, qui ab erudito magistro inde à fundamẽtis proximè eam linguam volebant comparare. Magni iudicij documentũ est, magnæq; doctrinæ nota: & significatio diligentis & candidæ industriæ: nõ diutiùs hærere in docẽdo, quàm necessariũ sit: nihilq; eorum, quæ sunt exponẽda, prætermittere: idq; in rebus & verbis, & arte, & comparatione aliorum scriptorũ. Atq; hæc de doctore: nunc de ordine & delectu, qui vobis habendus est: & ratione & via, quam in legendo & auscultando sequi vos oportet: in quo mihi finis vestrorum est studiorum repetendus: qui est

vita

vita honesta adiuncta doctrinæ magnæ scientia: & stilus elimatus: & sermo purus, ornataq; cùm verborum tùm rerum luminibus oratio. Ac quia & vos primas artes sermonis, & duarum linguarum præceptiones & varietatem non parua ex parte tenetis, cui rerum verborumq; connexa est cognitio: propterea quòd verba rerũ sunt simulachra: vtrumq; studium simul ex hoc tempore vobis suscipiendũ est: eodemq; mea est referenda oratio. Quamobrem diem partiemur totum in duo tempora: quorum alterũ antemeridianum est: alterũ postmeridianas horas complectitur: & quod ante meridiem temporis est: id Ciceroni & stilo tribuimus: quod verò insequitur: id cæteris scriptoribus, ex quibus artium & literarum doctrina est comparanda: non quòd hi non præclaram & egregiam orationis laudem apud eruditos & doctos homines adepti sint: aut quòd Cicero non plurimas res & maximas tradat, ex sapientiæ studio repetitas: sed tametsi vtriq; ab alteris adiuuantur: tamen quia Ciceronem imprimis, & semper, vbi exemplo locus est, imitandum censeo: faciendum mihi hoc discrimen est: vt intelligatur, ad quos digredi aliquando licitum sit: & à quo non sit licitum discedere. Nam quoniam me vultis in hac ratione quasi præceptore vti: statuere debetis, quædam esse, quæ liceant: ad quæ permitto declinationem à vobis fieri: quædam verò, quæ non liceant: à quibus si deflectetis: immemores vos esse putabo accepti huius à me beneficij: quod vitium in moribus nefarium est. Nam tametsi temperantiam principiò, et diligentiam, atq; constantiam à vobis tantummodò postularim: tamen cæteras virtutes non à vobis negligi volo: & quantum ad me attinet, & fidem à vobis flagito, & memoriam meorũ consiliorum:

consiliorum: quam ego gratitudinis certã notam esse existimo: & nisi credetis me vera consulere: parum habitura est apud vos mea oratio autoritatis. Cùm igitur ciuitas hominum sit inter se societas atq; communicatio: neq; vlla latiùs pateat: nec per tot gentes atq; nationes latenter cũ incredibili vi atq; potestate sit sparsa: quàm Christiana societas: quæ ecclesia est appellata: ad quam Iesus sempiternus veri Dei filius, cui regiæ maiestatis cognomentũ datum est, & Christus appellatur, omne genus humanum ex omnibus partibus euocauit orbis: cùm hæc igitur vera sit societas: necesse est etiam ciuilem scientiam Christi potissimùm Deiq; doctrina niti: & hac maximè Christiani nominis hominem confidere: quippe quæ cœlesti societati præparetur: & cœlestibus legibus, Deiq; curationi sit consentiens. Hanc philosophi inuestigarunt: nec potuerunt inuenire: hanc si Minos Cretensis, aut Lacedæmonius Lycurgus, aut Atheniensis Solon tenuissent: beatiores suos reliquissent ciues, quàm reliquisse videmus: hæc Platonico Socrati, hæc Platoni, hæc Aristoteli defuit ad huius scientiæ perfectionem. Quanquam non eò hæc dico, quòd non benè & præclarè isti scripserint: idq; in pluribus, imò in multò maxima parte: sed quia diuinitatem ignorarunt: qua potuerunt homines ad cœlestem concordiam cõuocare: & ad eum finem suos ciues perducere, quem in suis libris proposuerunt: felicitatem, & vitam se ipsa contentam. Et sanè si hæc vera sunt: vt omnino sunt: ponendum est, esse quædam, quæ per omnem vitam sunt legenda: quædam verò, quæ semel legisse sat est: modò memoria non deficiat: quædam, quæ certis temporibus sunt recognoscenda. Qui ordo vobis perpetuò est retinendus: & ab eo vos deduci aut

depelli neq; sinetis, neq; patiemini: si constantiam, quam promittitis, velitis præstare. Religio igitur eiusq; cogitatio perpetua retinenda est. Nam clarissimi sæpe homines, & prudentissimi optimiq; viri, post res magna cum gloria gestas, & summos aliquando honores administratæ reipub. ab ea quidem curatione vel morbis, vel ætate coacti discesserunt: à virtute tamen, & à religione, cæremonijsq; patrijs non depellebantur. Et Ciceronem credo, & alios oratores viros bonos, non semper in foro constituisse propter ætatem causas agere: tamen propositum habuisse, vitam honestam non deserere: verùm semper meditari aliquid, & quoad liceret, scribere, quod ciuibus prodesset, & ad religionis, & sapientiæ studium latinis literis totum explicandum pertineret. Quocirca si religio per omnẽ ætatẽ colenda est, & in extrema præcipuè: & si stilus de sapientis manu non est deponendus: debent ij scriptores perpetuò cognosci, quorũm orationem imitari, & à quibus ad virtutẽ, & ad religionem, & ad sapientiam volumus erudiri. Quòd si ista negari non possunt: in sacris scriptoribus sapientem, & in Ciceronis monumentis eloquentem habitare, & vitam ponere decet. Religio enim sanctã, & eloquentia iucundã, & ambæ coniunctæ salutarem efficiunt hominum inter se societatem. Religionis studio etiam morum disciplinã, & ciuilem omnem doctrinam, & historias adiũgo: in eoq; sapientis vitam finiendã esse existimo. Atq; huiusmodi quidem sunt, quæ perpetuò legenda & commentanda censeo: iam quæ semel cognouisse satis sit, ea sunt hac ratione diiudicãda. Quicquid enim tale est, id eiusmodi est, vt vel dignum non sit, quod legatur, propter ineptias: vel propter breuitatem, aut etiã facilitatem nõ opus sit repetere: ex his

duobus,

duobus, quod ineptum est, vitare oportet: & breue illud genus, & ad intelligendū atq; memoriam facile, ad vtilitates propositi in studiorum varietate finis est adaptandum: & tùm demum faciendum est, cùm à grauioribus laboribus fatigata mens ad se relaxandū secedit: in eaq; refectione tempestiuū est anagnoste vti, cuius vox eruditula sit, & clara, & distincta: vt facilè intelligi possit: vt pronunciatione fastidium ne magis, quàm voluptatē adferat: quæ maximè cōparanda est in hoc ocio & relaxatione. Reliquū est tertium genus, quod fuit eorum scriptorū, qui aliquando sunt recognoscendi: id quod duobus sit potissimùm temporibus: quorum alterum honestam necessitatem habet: alterius viro studioso reddenda ratio est. Nam fit sæpenumero, vt historica & scriptio & lectio, ad tēpus aliquod intermittatur: dum de religione aliquid scribimus: aut de reipub. aliqua parte opus aliquod conficimus: aut poēma aliquod meditamur: quo confecto, si historiā vel temporis vel belli alicuius perficere placeat: redeundum est ad eum rerum explicatorem: cuius rationem nos in rebus pronūciandis sequi velimus: & cuius nos quàm similimi esse cupimus. Et si post eam confectionem, sermonē aliquem philosophicum contexere visum sit, redeundū esset ad eum autorem, à quo digressus es: & cuius cōstitueris persequi vestigia. Sed cùm tres sint à nobis anni propositi: intra quos mea versabitur cōsultatio: accedā ad eos iam: & primùm numero complectar, quæ nobis per hoc tempus sint cōparanda. Cognoscendus igitur nobis est Cicero totus in lingua latina, & Cæsaris commentarij, & Salustius, & Vergilius. In quo studio cùm quid superest horarum, interponendum ex Plauto, & Terentio, & Varrone, & Lucretio cæ-

teris q; aliquid, quod ad intelligendum facile, & ad cognoscendum sit iucundum. In Græcis authoribus Xenophontis Cyrus, & Socratici commentarij, & Herodotus, & Thucydides, & Demosthenes, & Aristotelis libri de moribus, & de repub. & Homerus, atq; Hesiodus. Et cùm ab his intermissio fieri potest, seuocandus aliquando Theocritus est, & Pindarus, & Euripides, & Sophocles: & si quis est alius aut philosophorum, aut historicorum, aut poëtarum, qui placeat. In studijs verò scientiæ atq; cognitionis, semper exploratrices dialecticæ regulæ sunt applicandæ: & Geometriæ, & Cosmographiæ, & Astrologiæ doctores & magistri, quoad studiorum finis requirit, etiam sunt audiendi. Ex his omnibus materia ad stilum est comportanda: qui quotidie acuendus est: cuius natura est, vt ocio & intermissione obtundatur: exercitatione verò, & perpetua quasi exaratione, vt vomis splendidior, ita hic illustrior & acutior fiat. Videtis onus, quod vestris constituti imponere humeris: quod si ad tertij anni Calendas Ianuarias deportabitis: consequemur, quod volumus: vt oratio vestra & prudens sit, & diserta: idemq; sit & mentis & linguæ sonus: quem ego quauis harmonia suauiorem puto. Numerosè vobis, & fortasse non satis distinctè, neq; plenè nominaui, qui legendi sint atq; cognoscendi scriptores. Itaq; paucis etiam differam de hac ratione, antequam de obseruando, & imitando, & stilo, meam vobis declarem sententiam: vt etiam, quibus singuli temporibus legendi sint, cognoscatis: & intelligatis, qua via ingrediendum sit: vt omnes eos, quos proposui, intra id tempus, quod constitui, legendo intelligere possitis. Primùm igitur vetus illud, & nobile præceptum tenendum est, quod minimè facimus: vt

temporis

temporis quàm maximam rationem habeamus, & eius nobis ratio constet: nosq; met ipsi nobis semper constemus in lectionis, & auscultationis, diligentiaq; perpetuitate. Quod si tenebitur, tria maximopere fugienda sunt vitia: primùm intemperantia in edendo, & bibendo: tùm in familiaritatibus intempestiua congressio, & delectus desidiosorum: postremò deambulatio: quæ tantum mali adfert: vt etiam industrios & solertes, ad ignauiam praua quasi oberrandi consuetudine soleat deducere. Præcipiunt etiam id, qui de agricultura scripserunt, qui ambulatorem villicum esse vetant: cùm tamen oculus vt domini, ita & diuitis villici equum pascat: & obambulatio circumoperas plurimùm excitet laborantes: tamẽ quia imprudẽtes fallit ista sæpe consuetudo: diligenter etiam atq; etiam cauendum est: ne suauitas deambulationum tempus negligat: & study solicitudinem fallat: & naturas bonas emolliat: rectèq; proposita fallaci consuetudine ex animis studiosorum hominum cogitationibusq; excludat. Neq; enim me nomen peripateticorum de mea depellit sententia: neq; mea me mouet consuetudo: sum enim natura ambulator: sed illi in disputando ambulatores erant: nos de legendo præcipimus: & plus ego cõsecutus essem: plura etiam effeciissem: si plus ad sessionem essem assuefactus. Spacia ergo & ambulationes in legendo vitupero: (alia enim sanitatis & relaxationis sunt tempora) at in meditando, aut commentando, aut colloquendo concedo, si sint moderatæ: vt facto modico interuallo, & interposito temporis breui spacio reditus ad lectionem fiat. Quanquã in bibliotheca, & inter libros inquirendo versari, & ad pulpita astare non ingrobo. Status enim erectus conducit nonnullis hominum

corporibus ob valetudinem: & in cõferendis autoribus, & comparandis multis locis, transeundum ad diuersa loca est: sed tamen vt in cibo, & potu, & in cõgressibus familiarũ modum requirimus: sic etiam hic faciendũ arbitramur: vt consideretur, quid sit necessarium, & quid mediocre: quorum alterum censetur vtilitatis, alterũ voluptatis regula: quæcunq; verò in legẽdo vtiliter interuemũt, nõ reijcimus. His igitur tribus vitijs explicatis: quid deinceps constituendum sit, videamus: & fortasse proximum est: vt consideretur, possintne omnes, quos nominaui, autores, etiã his tribus vitatis, per hoc triennũ à vobis absolui: & quibus id fieri possit temporibus. Distinguenda enim tẽpora sunt: vt etiam actiones omnes non solùm opere: sed etiã temporis spacio homines metiuntur. Ergo à religione principium sumatur: cui primam & postremam diei horam tribuimus. Neq; dubium est, quin multa triennio possint his duabus horis & intelligi, & memoriter teneri: quæ ad religionis doctrinam, & ad vitam Christianam conferant: præsertim cùm multa sibi stilus vsurpabit ex sacris scriptoribus: vt ex latinis bonis meliora faciat: & Græca vel ita interpretetur, vt latinus sermo purus permaneat: vel ita tractet, vt expoliat, vt aliquid præclari appareat, vnde autem id sumtum sit, non animaduertatur: aut si appareat aliquid, existat quasi speciosius, magis q; eruditum: hæc, inquam, tria tempora & legendi, & scribendi magnam & variam mediocribus ingenijs religionis & doctrinæ materiam poterunt suppeditare: si diligentiam perpetuo cõparent subsidio. Reliquas horas ego ante meridiem Ciceronis libris & stilo tribuo: quos nullum dubium est, triennio omnes legi, & intelligi posse: quod si concedatur: etiam verum est, horis pome-

ris pomeridianis in reliquis scriptoribus: tùm Græcæ tùm Latinæ linguæ, tantundem posse cognosci: præter eos libros, qui ab anagnoste, de quo præcepimus, recitabuntur. Quamobrem hoc triennium religionis dabit magnā cognitionem: & in Ciceronephilosophiæ non minimam partem: exempla multa, multasq; sui temporis historias: quæ in epistolis & orationibus condiscuntur: præter omne genus sententiarum, consiliorum, factorum, dictorum: atq; hæc omnia labore antemeridiano neq; magno, neq; ingrato: si ratio & modus adhibeatur. Pomeridiana verò studia multa dabunt ex Aristotele, Platone, Demosthene, Xenophonte, Herodoto, Thucydide, Homero, Hesiodo, Euripide, Sophocle, Pindaro: reliquisq; oratoribus & poëtis Græcis: item ex Latinis, vt Cæsare, Salustio, Catone, Vergilio, Lucretio, Catullo, Horatio: etiamsi reliqui adiungi nō possint: quantū tamen ex his doctrinæ, & varietatis cōparari possit, facilè perspicitis. Sed tamen vllum veto scriptorem præteriri: ex quo non aliquid degustetur: & cuius pars nō aliqua percurratur: et aliqua diligēter obseructur: verùm ita, vt temporis cura geratur: & habeatur ratio triennij, & finis, quem cōstituimus, studiorum. Atq; hac de causa neq; omnes scriptores nominaui: neq; omnes hos legere iubeo: neque veto eos, quos non nominaui: cognoscere. Poëta verè Romanus est Plautus: & natura poëta copiosus & cōcinnus Ouidius: & Plinius vterq; perutilis: & historicus grandis Liuius: & verus explicator Tacitus: & qui de agricultura scripserunt: & de architectura: & de re militari: quis neget eos homini literato, & docto, nō esse complectendos? sed mea præceptio triennij est: & accommodata est ad vestram ætatem, & genus, & vires. Vobis enim

bis enim scribo: in quo ego, qualem nobilem erudiri velim, ad Cæsarum & Regum consilia, & ad rerum publicarum curationes, considero. Neq; tamen mihi vllum est dubium: si, quæ partim intelligere oportet, partim tenere memoria, consequemini: ex sacris autoribus, & ex Cicerone toto: & ex orationibus Demosthenis melioribus: & ex Aristotelis, atq; Platonis libris de Repub. & de legibus: & ex illis, quos paulò antè indicaui paucis: in quibus etiam aliqua præteriri patiar, si tempus id flagitet: & tamen, si solùm hæc, inquam, cura & ratione assequemini: non dubito, quin grati futuri sitis omni erudito cœtui: omni literatæ congressioni: omni prudenti consilio: non minus, quàm in sermonibus tribus de oratore Cotta, & Sulpitius, Scauolæ, & Crasso, & Antonio grati & iucundi fuerũt auditores: & quàm fuit acceptus Ciceroni in disputatione de finibus bonorũ adolescens Triarius. Sed iam tempus est, vt ad rationem legendi, & scribendi accedam: quæ pars est præcipua huius instituti. Nam iam ferè omnes sciunt, qui sint legendi præcipuè: & quæ legenda vnicuique vtiliter: quomodo verò legendum sit, primùm id scire paucorum est: deinde variũ est. Quot enim, inquit ille, capita, tot sensus. Ego verò meam vobis sententiam meo arbitratu, meoq; more exponam: nihil proprium arbitrans, si quid in his etiam ab alijs vsurpatur: & suum vnicuiq; relinquens iudicium: vobis consulens: alios ad hæc præcepta non alligans. In legendo autem eandem, quam in scribendo, atq; dicendo rationem, vehementer sequi oportet: vt prima cura habeatur rerum: altera verborum. Sed vt in scribendo atq; inueniendo, primùm omnium cogitandũ est, quid docere, aut defendere, aut tradere velimus: deinde,

inde, quibus id consequi rationibus: sic in legẽdo, primùm percurrendus vniuersus vel liber, vel oratio, vel epistola, vel opus aliquod vniuersum: deinde singula cognoscendo, iudicando, ponderando sumenda in manus, vt ne quid lateat intelligentiam: sine qua omnis est fluxilis memoria: & incerta obseruatio: & fallax imitatio. Quanquã verũ est, occurrere sæpe apud scriptores antiquos loca: tanta difficultate, & obscuritate: vt vel intelligi nullo modo possint: vel labori vtilitas, post quam intellecta sunt, nõ respondeat: quæ ego, cùm talia sunt, prætereunda censeo. Memini me, cùm adolescens Louanij mihi domi oratiõẽ Roscianam legerem: prætermisisse illam allegoriam de lacu Seruliano: & cùm Lutetiæ eandem publicè interpretarer: quoad potui, explicasse: & antea Budæum consuluisse: sed tùm memini me etiam hoc consilium dedisse meis: vt in huiusmodi scopulis facerent: quod boni aratores in semente, & messe faciũt: qui spineta, & radices arborũ altas, & saxa prærupta, arando & metẽdo prætereunt: si impensa fructũ superet: sic etiã illi, notent ea loca, quæ vtiliter in præsenti cognosci non possint. Verunt amẽ, vt illi, quæ cum emolumẽto possunt, saxa euertunt: & truncatas arbores effodiunt: & spinas euellunt: sic etiam illis operæprecium esset in ijs sententijs subsistere: quæ intelligi possint, etiamsi sint difficiles: & si absq; ijs lumen cæterorum obscuretur. Primus igitur legendi labor in his duobus cõsistit: proximus est ordinis atq; collocationis: tertius tractationis: cùm videtur, quæ principiò tanquã in acie aut pompa disposita sint: quæ ad extremum retenta: quæ in medio concinnata: & cùm obseruatur, quæ cõmemorentur copiosè: quæ breuiter percurrantur: & quoties aliqua repetantur: tùm quibus id

verborum generibus, & sententiarum formis: & qua ratione, atq; via: in quibus sita est omnis & intelligẽdi, & imitandi, et scribendi, atq; dicẽdi ratio: ad eamq; tria oportet locorũ genera comparare: vnum rerum: qui libri vocãtur locorum communium: alterum verborum: tertium artificij, & exemplorum: quæ artis præcepta repræsentent. Rerum & verborũ loci ijdem propè sunt: quorum distinctio à me indicata est in alijs libris. Artis loca inde sumũtur, vnde præcepta hausimus: quæ omniũ optimè atq; perfectissimè ab Aristotele atq; Cicerone sunt tradita. Omnis verò hæc ratio ἀναλυτικὴ est: de qua sæpe ex me audiuistis: quã oportet à primis annis instituere: in eaq; exerceri, & constanter pergere: si eos sequi volumus, qui apud Græcos & Romanos doctrinæ gloriã obtinuerunt: & in rebuspub. administrandis habiti sunt sapientes: nõ solùm Rhetores, aut oratores, aut philosophos: verùm etiam Consules, & Imperatores, & Reges: quos non minùs fama doctrinæ, quàm factorum gloria celebrauit. Quò magis vituperãda est nostræ nobilitatis barbara consuetudo, & agrestis opinio: in qua plærique sunt, qui existimant, nõ se satis militares, atq; bellicosos haberi: si literarũ periti videãtur: quos doctrinæ pudet: morũ nõ pudet: qui mores cuiusmodi sint in aliquibus, me pudet commemorare. Quantò magis laudandum est, in illustri domo, homines nobiles esse: quorũ & genus, & vita, & doctrina consentiunt: qui sumtis aut à maioribus suis, aut melioribus familijs præclara vitæ exemplis: ipsi exemplũ sint suæ post se stirpi: & cæteros mortales ad similem virtutem excitent. Alcibiadi nobili homini Atheniensi, quid magis obstitit ad veram gloriam: quàm quòd Socratis consilio, & præceptis non obtemperauit? In eadẽ

antea

antea Republica Pericles, quicquid famæ & nominis comparauit: eius partem maximam eloquentia atq; doctrina sibi arrogat. Inuisa fuit C. Iulij Cæsaris noua dominatio: tamen eam inuidiam, atq; bonorum virorum vituperationem, commentarij eius minuunt: in quibus virtus in eo militaris elucet: non tam factis eius celebrata: quàm exornata ab ipso suarum literarum monimentis. Sed vt eò, vnde digressus sum, reuertar: tria oportet illa, de quibus dictum est, genera habere voluminum: rerum, verborum, artis: & quanquam linguæ Latinæ commentarij multi in manibus sunt hominum: quidam etiam locos congerere & implere conati sunt omnium rerum: tamen ad memoriam vtile est, & ad perfectionem, quenq; suos habere à se digestos locos: & aliorum inuentis aut addere aliquid, aut detrahere, aut immutare. Et quoniam de verborum locis, qui ij dem ferè sunt cum receptaculis rerum, sæpe aliàs & dictum à nobis est & scriptum: non opus est hoc loco eadem repetere. Artis loci ex ipsis sumuntur Rhetorum præceptis: de partibus orationum, de generibus causarũ, argumentationum, ornamentorum, circumductionum. Et quia horum obseruatio ad secundum legendi laborem pertinet, de quo paulò antè dicere incepimus: & quia legendi, & obseruandi, & annotandi coniuncta, & continuata esse tempora debent: explicemus paulò copiosiùs hanc obseruandi, & annotandi rationem. Incipit igitur hæc ratio ab animaduersione, & comparatione desinit. Animaduersionem γνῶσιν appello τοῦ ὑποκειμένου πράγματος ἢ ἐργασίας: & comparationẽ, τὴν τῶν ἄλλων συζήτησιν. Primùm enim considerandum est, quid dicatur, & quo modo: deinde, quoniã vna res variam sæpe tractationem habet, propter decorum: comparanda

præsentia sunt cum alijs, quæ vel ab eodem autore composita sunt, vel ab alijs scriptoribus concinnata. Post hoc bipartitum studium, ad annotationem transeundum: & quæ sunt animaduersa, atq; intellecta, ea ad artis locos, atque volumen comportanda: & suis distinguenda quasi cellulis. Annotandi rursus triplex ratio est: vna, cùm integros locos describimus: altera, cùm eosdem locos paucis verbis consignamus, quæ ἀποσκιαγραφίας nominantur: tertia, cùm figuris omnia membra delineamus, quas docendi gratia ἀποσχηματισμοὺς appellare soleo: vt σχηματισμοὶ autorum sint: nostræ verò delineationes ἀποσχηματισμοὶ vocentur. Nec à nobis ficta hæc ratio est: sed vsurpata quondam in Græcia atq; Italia, à dialecticis & rhetoricis magistris. Nam & Aristotelici conclusionū genera, & pugnas propositionum figuris distinguunt: & rhetores circuitus τρικώλους, ἰσοπλευροὺς, & ἰσοσκελεῖς nominãt. Græci etiam scriptorum atq; oratorum προσοικοδομήσεις nominant: & Antonius historiæ exædificationis meminit, libro secundo de oratore. Quæ omnia, vt ipsa etiam ædificia, possunt delineari, vt fundamenta appareant, tecta extent, vestibula conspiciantur, conclauia distinguantur, ianuæ, & fenestræ, & columnæ, cæteræq; partes ob oculos artificiosè ponantur, & vniuersa structura appareat: cuiusmodi etiam in ædificatione verborum in Albucio & Crasso, Lucilius & Scæuola animaduerterunt.

Quàm lepidè lexas compostæ: vt tesserulæ omnes
Arte pauimento, atq; emblemate vermiculato.
Crassum habeo generum, ne rhetoricotero tu sis.

Ergo delineemus primam illam apud Ciceronem trium membrorum comprehensionem: Quæ res in ciuitate duæ

plurimùm

plurimùm possunt: membrum est vnum quatuordecim syllabarum. Sequitur alterum, quod totidem est relatum syllabis: hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore⏑. Tertium breuius est, decem syllabis curtatum: summa gratia & eloquentia. Hermogenes hoc genus triangulo ἰσοσκελῆ erecto notabat. Sed quoniam breuius illud membrum aliquando & primùm collocatur, aliquando in medio accommodatè ad mentis auriumq; iudicium interponitur: tribus etiam explicatis lineis potest designari: duabus æqualibus, tertia breuiore⏑.



Eadem ratio teneri potest in complexionibus duorum & quatuor membrorum: eadem in longioribus circumductionibus, de quibus in rhetoricis audiuistis. Neque difficile mihi esset plurima exempla proponere: si ferrent librarij, & huius esset loci. Aliud etiam tempus hæc tractatio desiderat: nunc vobis hanc rationem quasi procul ostendere satis est: præsertim cùm similia ex me aliquando cognoueritis. Sed non comprehensio solùm, & ambitus sententiarum hoc modo: verùm etiam reliquæ oratorum tractationes, quas ἐξεργασίας vocant. Exposui vobis hac æstate Vergilij Eclogas: & concinnitatem in carminibus tristis & calamitosi Melibœi indicaui. Primi enim quinq; versus comparationem habent: sed quomodo tractatam, qua ratione coædificatam?

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Syluestrem tenui musam meditaris auena:

Duobus versibus felicitatem Tityri cecinit: de se verò vno & dimidiato conqueritur:

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua:
Nos patriam fugimus:

Redit pòst ad Tityri felicitatem, & perficit versum inchoatum, & addit integrum.

tu, Tityre, lentus in vmbra
Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

Expolitio ista circulum habet. Est enim vt verborum, ita etiam rerum κύκλος, *&* ἐργασία κυκλοειδὴς. *Itaq; qui Mathematicos sequebantur: circulo annotabant: potest tamen etiam hæc figura assignari.*



Incipit itaq; à Tityro Melibœus: & in eodẽ desinit. Sed quærat aliquis fortassis, quas hæc ratio vtilitates habeat: cùm prolixa sit, & propè infinita, & libera scriptoribus. Et vt ad postremum primo loco respondeam: liberum non est, quod auditorum auribus, & eruditorum hominum iudicio debet satisfacere, & rebus ipsis accommodari. Deinde etsi exempla infinita sunt, (multa enim extant, plurima interierunt, noua fortasse multa constituentur) tamen tractatio ipsa terminata certis generibus est: vt hæc ipsa,

de qua

de qua loquimur, comparatio: quæ est vel similium rerũ, vel contrariarum, vel aliquibus rebus differentium. Deinde vel vtrunq; vel æqualiter aut cõtrahitur, aut producitur: vel altera pars magis: vel prima etiam ad postremum repetitur, vt in hoc Vergilij principio. Vt enim architecti non est, omnia, quæ vbiq; sunt, ædificia intueri atq; cognoscere, sed satis est in singulis generibus meliora aliqua ad imitandum inspexisse: ita etiam scriptori faciendũ est: vt in omnibus paucos deligat, quos æmuletur, &, cũ quibus velit, contendat. Vtilitas verò in his est: primùm, quòd res melius intelligatur, eoq; memoriæ magis consuletur: deinde artificij obseruatio voluptatem gignit, ex qua constantia & auiditas nascitur, in perlegendis aliorum scriptis: quibus contraria sunt leuitas atq; satietas vitia, quibus in studijs nihil est nocentius. Tum ad iudicandum multum opis adfert hæc diligentia: & sæpe artificium in facili loco animaduersum, in difficilioribus ea, quæ recondita sunt, eruit: vt Tityrus in sua antistrophe, primo versu ocium & Deum fatetur:

O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit:

deinde duobus versibus rationem reddit, & promittit honores:

Namq; erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus:

postremis duobus versibus redit ad ocia, quorum meminit, eaq; explicat:

Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

Ergo etiam hi quinq; versus, lineis depingi possunt, vt ipsa structura operis appareat.

Est etiam



Est etiam alia vtilitas huius rationis, quæ primùm est in annotationibus, quas appellaui ἀποσημειώσεις: deinde in istis aposchematismis: quòd hac via patefacta etiam cõspicitur, quo modo inter se genera dicendi differãt, & quibus id consequamur rationibus. Quomodo enim iudicabitur, quid inter se tria Vergilij principia differant: huius Eclogæ, & Georgicorum, & Aeneidos, absq; hac obseruatione? Primum enim concinnum est hac comparatione, id quod pastorali cantui conuenit: alterum partitione mediocriter auctum, quod rusticam parsimoniam, & agriculturam decet: tertium ornatũ circumscriptione ampla, quam heroica postulabat grauitas. Atq; hæc tria vt artis vocabulis, sic etiam lineis poterunt distingui. Habet igitur hæc ratio etiam hanc vtilitatem, vt, quæ parum inter se differant: tamen, quomodo differant, clarissimè indicet. Eosdẽ enim habent, vt vocant, pedes hi duo versus:

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi: &:
Protinus æger ago, hanc etiam vix, Tityre, duco:

at differunt & verborum literarumq; concursu, & harmonia: ex quibus numerus nascitur poëticus: id quod hac ratione intelligitur.

!.. .!. .!. .. !.. !.

Nam primus pes & quintus similem harmoniam habent.

Sonus

Sonus enim vocis est in prima, hoc est, in tertia citra postremam: & secundus & tertius in media. Alter verò ille versus,

Protinus æger ago, hanc etiam vix Tityre duco:

cùm ijsdem metiatur pedibus: tamen sono & collocatione literarum differt.

!.. !.! !!. .! !... !.

Nam secundus & tertius numerus heroicus duos sonos acutos habet: & tertius vocalium contractionem: & spondæi duo sunt magis sonantes: ita vt iste primo illo, vt est reipsa tristior, sic etiam sono grauior existat. Poëtarũ hæc sunt exempla: sed quia vobis ista superiore proxima æstate & interpretatus sum, & indicaui: volui notis ex proximis vti indicijs. Deinde eandem rationem in oratoribus & historicis sequi debemus: & habent omnes scriptores multa inter se communia. Si enim dicam: Vir sapiens semper honestatem sequitur: & pro ea mortem libenter oppetit: stultus rebus honestis voluptatem anteponit: quam sapiens non sensuum titillationibus, sed virtute atq; honestate metitur: Philosophicum istud genus orationis est: sed compositum ad imitationem exempli poëtici: quod absq; hac siue arte, siue ratione, siue obseruatione, aut quomodocunq; appellare placet, aut nõ potest, aut difficulter poterit intelligi: & verborũ istud genere atq; natura à Vergilij versibus differt: forma ferè eadem est: vt inter se duæ togæ discrepant, quæ forma sint eadem consutæ: sed altera viridis sit, & lætioris coloris: altera nigri, & seuerioris: & ab altera vlna aliqua panni opificis arbitratu detracta.

Hæc obseruare, & huiusmodi rationes locis digerere: magnas vtilitates ad vtendum atq; mutandum parat: magnam in cognoscendo voluptatem gignit. Et quanquam varium & multiplex sit: tamen vnius horæ quotidiana diligentia, vbi neq; magister neq; ingenium deest: mirum est, quantum triennio humana potest consequi industria. Sed vestram ego vitæ & gentis conditionem considerans: consulo, vt in orationibus primùm Ciceronis, & Demosthenis, hoc studiũ præcipuè ponatis: deinde in libris Philosophicis Ciceronis, & historicis. Quanquam etiam epistolæ de principio statim in manus sumendæ sunt. In omnibus his per interualla sæpe temporum ad poëtas transeundum: sed parcè, neq; diu, antequam stilus & copiosus fiat, & oratorius. Placet enim mihi Antonius apud Ciceronẽ: qui in causis se ciuilibus & forensibus diligenter & perpetuò exercuit: & historijs se oblectauit: philosophos legit, sed non secutus est: propter angustas atq; concisas disputationes: à poëtis tanquam altera lingua locutis abstinuit. Sed fuit dissimulator studiorũ Antonius, vt etiam artis suæ dicendi: & cùm se dicit philosophos nõ intelligere, & poëtas non attingere: indicat, quid in imitando sequendũ sit, quid vitandum: idq; oratori, cuius oratio in multitudine debet probari. Atq; hæc eò ego scribo, vt videatis, in quibus maximè operam consumere vos oporteat: quò ad eum, quem propositum habetis, finem perueniatis. Iam verò quia omnis obseruatio, omnisq; exemplorum notatio stilo præparata est, & ad scriptionem reliquamq; exercitationem dirigitur: de scribendi ratione, quam vos sequi oportet, deinceps est dicendũ. In qua illud primùm præcipitur: vt de argumento cogites, quod Aristoteles τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα

πρᾶγμα nominat. Id eiusmodi sit, vt totum à nobis intelligatur. Neq; enim fieri potest, vt cuius naturam nō perspexerimus, id scribendo posimus exprimere: nō magis, quàm si pictor, quem nunquam vidisset, aut de quo non audiuisset, Aiacis clypeum, aut Achillis arma, aut Diomedis & Glauci honorarias donationes & congressus vellet depingere. Primùm igitur sit in præceptis, vt rei natura vniuersa cognoscatur. Ex quo alterū efficitur, in rebus delectū habendum esse: vt eæ principio huius exercitationis eligātur, quæ ad intelligendum faciles sunt: & ad tractandum atq; demonstrandum nō nimis prolixæ. In prolixitate enim & obscuritate, præsertim incipienti, operosa molestia metuenda est: ex qua fastidium oritur huius consuetudinis: quam lætam esse & hilarem volumus, non tristem atq; abiectam. Nam vt non tam canit benè, qui canit inuitus: ita etiam non tam scribit elimatè, qui cum fastidio scribit, quàm qui scribit studio excitato. Itaq; et notis rebus principiò stilus applicetur: & nō prolixis, neq; obscuris. Quibus duobus illud adiunctum atq; cognatum est, vt etiam breui explicentur. Versibus enim, non vniuersa rei natura, modū huius diligentiæ censeri volo: vt est breuis alicuius vel epistolæ, vel narratiunculæ, vel argumentationis, vel comparationis & similitudinis, similiumq; breuium rerū tractatio. Illud etiam hoc in loco rectè præcipitur: vt primus annus in Cicerone consumatur, ex coq; stilo suppeditemus materiam: neque integras instituamus ad eius imitationem orationes: sed primò particulas aliquas, idq; breuiores: quæ vel necessarium, vel insignem aliquem locum habent. Voco autem necessarium, quo ferè semper vtendum est: insignem, qui hoc ipso commendatur,

quòd propter perspicuam concinnitatem accersitur rarò, & in leuioribus absconditur. Ciceronis igitur primo anno libros & lectioni tribuimus & stilo: cæteros verò scriptores tùm Græcos, tùm Latinos, legendo solùm cognoscere per id tempus est satis: & hic annus solutæ tantùm oratorũ orationi detur: insequentes etiam historicis atq; poëticis exercitationibus largimur: sed parcè, vt ne prima hæc & princeps exercitatio impediatur: neq; imprudenter alienis aut historicorum exercitationibus, aut poëtarum linguis, senatorium & forense oratoris os vocemq; videamur inficere. Hæc omnia illi faciliùs, & certiùs consequentur: quibus præmonstrator & magister continget. Et quoniam pauci sunt, qui id poterunt: diligenter videndum est, ne indoctus aut imperitus, pro erudito & exercitato comparetur. Atq; hæc de stilo, & scribendi consuetudine: cui coniunxerunt veteres commentationes & declamationes ante actiones forenses atq; ciuiles. Sed quoniã omnia hæc absq; imitatione frustra instituuntur: dicendum deinceps de hac est: in qua ista quæri possunt: quid sit imitatio: & qui proponendi ad imitandum pro exemplo: & vnúsne esse debeat exemplo, an multi: tùm, quæ imitanda, & quomodo: postremò, quo sit instituenda imitatio tempore. De quibus omnibus ego meam vobis exponam sententiam: sed paucis. Nam omnia in hoc libello, & in hoc vestro consilio copiosè demonstrare non decet. Non enim doceo, quid omnibus imitatoribus agendum sit: sed quam viam vos ingredi debeatis: qui à reliquis literatis viris, quibus propositum est solùm philosophari: tùm generis nobilitate, tùm vitæ instituto estis separati. Imitationẽ appello μιμητικὴν: in qua ζῆλος est, studium & amor eius consequendi, quod in alterius

in alterius oratione laudabile & admirabile videtur. Ea verò ratio est exprimendi in tua oratione, quæ in aliena aut laudabiles aut illustres sunt, dicendi tractationes & formas: quas Græci tùm εἰδη: tùm ἰδέας nominant. Quā obrem & artem in hac ratione esse volumus: vt nihil fiat contra decorum, quod summa semper cura alendum est: & scientiam rei vniuersæ, & omnium rerum: non vnius alicuius rei, aut partis vnius. Quis enim eum laudet pictorem, qui manus solùm in homine depingere possit: reliquas partes non possit? aut humana capita qui possit deformare: reliqua animantia coloribus & vmbris conuenientibus repræsentare nesciat? Non hæc ratio artis est, neq; paruæ, neq; tenuis scientiæ: sed tenenda sunt in hac doctrina, quicquid omnia dicendi genera postulant: ad quæ omnis est referenda imitatio. Ex quibus intelligitur, quod secundo loco quærendum fuit: quis potissimùm sit imitandus, quem pro exemplo habeamus atq; æmulemur. Is enim nos ad suas virtutes maximopere appetendas excitare debet: in quo plurimæ & artificiosissimæ apparent & extant: non quòd ornatus ita debeat esse applicatus, vt ab omnibus intelligatur: sed de vobis loquor, & de imitatoribus: qui, quod reliqui non possunt, ipsi possunt videre dicendi formas, & earum ornamenta. Sed cùm apud Latinos scriptores, veteres illos Romanos, quorum & sana, & volubilis, & ornata lingua fuit, nullus sit, qui propius omnes ἰδέας orationis spectandas nobis dederit, præter Ciceronẽ: huic etiam cùm & suæ ætatis scriptores, & qui pòst alijs scripserunt insequentibus seculis, eloquentiæ primas dederint: quis est, qui dubitet, hunc in exemplis quasi antesignanũ debere collocari? Nulla forma est oratoriæ eloquen-

tia: nulla etiam philosophicæ disceptationis: nulla sermonis quotidiani: quam nō vel totam expressamq; ostenderit: vel cuius non partem ita delinearit, vt quomodo reliquæ partes effingendæ sint, à mediocri artifice nō intelligatur. Sit igitur hoc datum atq; positum: hoc scriptore nullum neq; certius, neq; præclarius in Latina lingua exemplū: sed solúmne sit, & aliáne etiam præclara, videamus. Qua in quæstione si roger, sintne omnia à Cicerone literis tradita: & eáne omnia adhuc hominibus extent: rogor, quod neq; ignorari potest, neq; debet interrogari. Caremus enim eius de Repub. libris, id quod omnes sciunt Grammatici: nullas habemus ab eo scriptas historias: nihil etiam eorū scripsit, quæ à Varrone de agricultura: à Plinio de rebus naturalibus: à Vegetio de re militari: à Vitruuio de architectura sunt explicata. Iam quàm multa sunt apud Græcos philosophos, medicos, historiarum scriptores: quæ non à Cicerone sunt attacta? Verùm nos de imitādi scientia loquimur, quæ sola facit perfectum artificem, & moderatrix est stili: etiamsi ipse stilus sit dicendi effector & magister vocatus. Permitto, vt omnes atq; omnia legantur: sed ratione atq; iudicio: vt statuamus, ab alijs materiam multā, & magnā, & præclarā accumulari posse: verba etiā congeri: & stilū, de quo loquimur, imitatorem optimi cuiusq; exempli, delectum adhibere, rebus ipsis conuenientes formas adferre: quarum genera & proprietates nusquam meliùs, quàm in Ciceronis monumentis conspiciuntur. Quanquā fateri debeo, & libenter fateor: apud Demosthenem esse nonnulla, quorum imaginem apud Ciceronem nō facilè reperias: & in Platonis sermonibus multa sunt præclara & diuina, digna imitatione: quorū à Cicerone etiamsi adumbrata sæpe sit,

pe sit, tamen non est aliquando penitus expressa effigies. Deinde quis neget, si historia scribēda sit: aut si versus faciendi, poëtam imitandū esse: sic etiam historicū deligendū, cum quo contendatur: & ad eius imaginem quam proximè conandum vt accedamus? Quid ergo est? idem est imitandi, qui legendi, ordo. Primus labor Ciceroni tribuatur: & quod huic deest, id conquire aliunde: sed hunc prius disce, & in hoc te prius exerce: & quoad proficis, non te tui exempli pæniteat. Memini antea comparationis, quā συγκρισιν & σύγκρισιν scriptorū Græci nominant: quæ vtilissima est studiorū ratio. Quis negat in Cicerone & Demosthene multarū rerū eandē esse sæpe expolitionē: sæpe etiam esse discrimē? quis nō laudabile putet, cùm apud alios inuenis, quod bonum & singulare est, idem consignare: & ad locos artis & imitationis, quorum memini, deportare: ibi tractationem delineare: autorem iudicare: rem tractatam breui subijcere? Cum ergo de latina lingua sit quæstio: & hominis togati vocem & orationē polire atq; ornare propositum sit: & primæ semper partes Ciceroni sint tributæ: neq; quisquam tam varia dicendi genera summa cum elegantia, & orationis decoro expresserit: quis negabit, tam diu hunc relinquendum non esse: dum cognoscuntur res præclaræ, quæ antea à nobis ignorabantur: & dum, quæ volumus, ea apud hunc inuenimus? Quod verò deest, id ab alijs non accipere, si liceat, dementia est. Sed si instructus ab huius oratoris copijs, facultatibus, opibus, ad alios venias: non difficile erit, quid tibi desit, quod necessarium sit, animaduertere. Et posteaquam benè infectum erit huius eloquentiæ saluberrimis fontibus palatū: minus periculi erit in alienis humoribus, ne idē deprauato

sensu

sensu corrumpatur. Vt igitur à Demosthene lacertoso oratore vtiliter ad Isocratem politum & comtum scriptorem transitur, aut vtriq; eodem tempore rectè coniunguntur: ita etiam à Cicerone ad Demosthenem non solùm transitũ fieri patiar: sed vt digressio per interualla fiat, consulo: & vt sæpe inter se comparentur, suadeo: vt etiam censeo, si historiam conficere propositum est, vt aliud genus orationis instituamus: quod ipse etiam Cicero faciendum iudicat. Fusa enim historica oratio est, & tracta, vt inquit Antonius: & cum lenitate quadam æquabili profluens: vt in foro & iudicio, asperitas est, & sententiarum aculei. Ergo historia aliud dicendi genus postulat: quod in optimis autoribus animaduertitur. Sed tamẽ ad hoc ipsum consequendum, Cicero: qui idem potuisset, & certè melius fortasse, quàm Salustius, aut Cæsar, aut Liuius, magnas facultates adferet, & iudicium elimatum suppeditabit: non solùm vt simile, sed vt etiam aliquando melius idem efficias. In Liuio Patauinitatem, vt scribit Quintilianus, Pollio deprehendit: quam non considerasset: si non ex melioribus cognouisset, quid Romanum esset, & quid Patauinum. Et qui Ciceronis aquis benè os imbutum habent: eodem illi gustatu in Liuio eam, vt ita loquar, peregrinitatem sentire poterunt: quam sensit Pollio. Sed hæc hactenus de ea quæstione, in qua rogatur: quis potissimùm imitandus, & qui præter hunc alij. Cicero enim imprimis: & præter hunc, in suo genere optimus quisq;. Sequitur, vt indicemus, quid imitandum sit: & qua prosequendum id sit ratione. Quæ pars tametsi prolixa sit, & fusa per omnia præcepta eloquentiæ: tamen ad pauca adstringetur à nobis capita. Omnis enim ista deliberatio ab vno capite incipit:

incipit: & id in duo continuò membra secatur. Primùm enim argumentum, quod explicandum suscepimus, considerari oportet, quò pertineat: deinde videndum est, quam rerum flagitet tractationem, & quem rerum atq; verborũ ornatum requirat. Et hæc causa est, quamobrem tractatione, & dicendi genere, imitationis à me sit complexa & perfecta definitio. Neq; obscurum est, si propositũ est dialogum scribere, & homines inter se colloquentes introducere: non adorationes Ciceronis spectandum esse: sed in Tusculanis aut Academicis quæstionibus, similibusq; sermonibus esse, quæ sequamur. Sic si orationem, si comœdiam, si tragœdiam, si satyram: quò sint oculi dirigendi, & in quod animus intueri debeat, clarum est. Incipit ergo hoc studium ab argumento: & se ad duo capita seuocat. Argumentum non semel iam à nobis appellatum est τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα: alij ὑπόθεσιν vocant. Genus dicendi ἰδέαν: tractationem nostro arbitratu, tum μέθοδον, tum ἐργασίαν nominemus: nõ quòd ratio ipsa tractandi etiam ad dicendi formas pertineat: (habet enim quæq; suam tractationẽ) sed rerum vocamus propriè tractationem: elocutionis verò & formæ ornatum: propterea quòd vnaquæq; res propriũ & conuenientem ornatum desiderat. Sed argumentum deligendum est: qua in electione Horatij consilium sequi oportet: qui præcipit

Sumere materiam nostris, qui scribimus, æquam
Viribus: & versare diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri —

Vires verò maximè diligentia iuuantur. Qui enim ingenio & doctrina minus possunt: exemplo optimorum oratorum atq; scriptorum subsidio diligentiam debent compa-

rare. Quo fit, vt virium æstimatio tribus perficiatur: ingenio, cognitione, diligentia. Nam qui & ingenij acumine præditus est: & ad id doctrinam comitem atq; ducē comparauit, adhibita diligentia, & vehementi excitatione industriæ, magnum necesse est esse, quod non queat scribendo poliendoq; persequi. Sed hanc partem deliberationis explicare totam non possumus, antequam de imitandi tempore cognoscatur: & quia virium & ingenij atq; doctrinæ mentio facta est: exponemus breuiter id, quod postremum fuit: quo sit imitatio instituenda tempore: quod non tam ætate censendum est, quàm viribus. Vt igitur pueros Aristoteles à suis Ethicis excludit: ita ego etiam non pueros solùm, verùm etiam eos remoueo viros ab hac artificiosa via: qui præcepta dicendi non tenent: qui rerum doctrinam nullam sunt adepti: & qui non summo studio expetant laudatissimæ & optimæ orationi suam quàm similimam existere. Nam idcirco pueros Aristoteles & adolescentulos à sua disciplina, vt opinor, depellit: quòd nec voluntatis in ipsis sit constans excitatio: nec morale iudicium. Sic nos etiam φιλοχήτορα incenso animo, cuius pectus nonnulla sit literarum doctrina eruditum, ad hoc studium, & imitandi rationem admittimus. Imperitos verò, dum erudiantur: & ignauos, dum excitentur: ad reliquarum artium magistros, qui eos ferre possunt, relegamus. Quo ergo tempore animus ita comparatus atq; instructus est: id maximè idoneum est ad hanc consuetudinē. Quanquam non ego exquisitam doctrinam flagito: ista ego vestra mediocritate cōtentus sum: veruntamen huius exercitationis tria sunt tempora: vnum disciplinæ, quod primum est: alterum doctrinæ, quod medium: tertiū atq;

vltimum

vltimum perfectionis. Discere enim tam diu debemus hãc artem, dum neq; consequimur, neq; perficimus, quod diuulgari posit, & dignum sit omnium auribus, & eruditis gratum. Posteaquam verò & huius rationis, & plurimarum rerum doctrinam comparauimus: vt benè exercitatus posterioribus agendis partibus histrio, ad primas rectè, & in theatrum conspiciendus admittitur: sic etiam vestra oratio, postquam hoc modo expolita erit, non metuet multorum sententias: neq; doctorum hominũ iudicia extimescet. Tertium tempus, quod erat perfectionis: tametsi optandum sit, eoq; contendendum, vt nullo opus sit nobis exemplo: tamen haud scio, an vnquam cuiquam continget. In tanta enim varietate, & excellentia philosophorum, oratorum, historicorum, poëtarum, erit semper aliquid, quod vel non legimus antea, vel non animaduertimus: semper, quod cognoscamus. Difficile enim est omnia legere: omnia intelligere: propè omnibus mortalibus negatum meminisse. Sed tamen, quoad possumus, contendendum & prosequendum est. Turpe enim est subsistere in virtutis, & laudis, & gloriæ via, cùm progredi liceat: præsertim cùm postremi labores plærumq; primis & leuiores & iucundiores existant. Quanquam verùm etiam est, etiamsi perfectissimis similis esse, aut anteponi non possis: tamen honestum & præclarum esse, in multis rebus cum illis contendere: quædam etiam meliora facere, cùm possumus: & illorum vel inuentis, vel exemplis, quos imitamur, aut addere aliquid, aut detrahere, aut commutare: & aliquid conari atq; moliri, quod sit præstantius. Id enim omnibus fuit ætatibus, & omnibus semper concessũ mortalibus. Libera enim, non seruilis debet esse imitatio. Et imi-

tatorem non semper sequi alterius vestigia volumus: sed quàm sæpissime, & quoties poterit, si poterit decenter, præeuntem anteuertere. Antequam ergo modica non est aliqua quispiam tinctus doctrina: neq; dicendi rhetorum artem cognouit, neq; dialecticum aliquem magistrum audiuit: non admittam sanè adolescentem ad hunc ludum: eumq; grammaticis relinquo, quorum adhuc dictata, & præscriptas materias, tanquā alienas lineas sequetur. Sed postquam hæc est adeptus aliquis: si ingenium habet, & si amor in eo est & studium eloquentiæ, vt est in vobis: aperiatur ei hic ludus: & quantum hæc ratio atq; consuetudo posit, experiamur. Et principio quidem huius studij, quem optimū esse credemus in quaq; lingua, eum summa cum diligentia legemus: in eoq; considerabimus, quid dicat: tùm, quo id ordine, quo genere dicendi, qua tractatione: in quibus primum inuentionis est: ordo verò collocationis: genus dicendi, formæ. Tractatio autem est, quæ ipsam maximè formam constituit: & ornamenta orationis complectitur: & sententiarum atq; argumentorum expolitiones: & membrorum, & circumductionum structuram, connexiones, numeros: earumq; omnium inter se rerū varietatem: quæ in arte tradita, hic obseruantur, & quasi delineantur, & depinguntur: in volumen, de quo dictum est, reconduntur: vt quoties opus erit, in promtu sint, & videre possimus, quibus in vnaquaq; re suscepta vestigijs sit insistendum. Ergo hoc primum est huius diligentiæ tempus: obseruare in exemplo, & annotare, quæ ars prædocuit. Neq; expectare debemus, donec omnia cognoscamus, & volumen repleatur: sed de principio, simulatq; est aliquid animaduersum, stilum sumere, & simile aliquid fabricare.

Quo in

Quo in loco de materia & argumento præcipitur: vt à facilimis incipiamus, & industriam non oneremus obscuritate, sed facilitate releuemus. Quocirca in epistolis breuiores ad imitandum eligendæ principiò sunt: & in orationibus, vt etiam in longioribus epistolis, & in sermonibus philosophicis: pars aliqua breuis: vt est conclusio argumēti, similitudo, comparatio, narratiuncula, locus & sentētia communis, contrarium. Sed hæc nō tam materiæ sunt, quàm modi: de quo iam dicemus. Illud verò huius loci: vt vnumquodq; in suo genere. Vt enim historicus historicum: & Satyricus Horatium aut Persium: & tragicus Euripidem aut Sophoclem: sic etiam hîc, quoniam plurimùm inter se differūt oratio forensis, & philosophicus sermo, & collocutio familiaris: quale vnumquodq; in suo est genere: tale etiam exemplum est constituendum. Sed difficile est, iudicare cuiusmodi aliquid sit, & esse debeat. Ergo deinceps breui, vt institui, de ratione imitandi dicatur. In quo primùm considerandum est: quid imitabile nobis sit, & quid sit in imitando negatum. Imitabile voco, quod imitando consequi & exprimere possumus: μιμητόν à Græcis appellatum: ex quo ἀμίμητον quid sit, intelligitur. Quæ verò imitabilia non sunt: illa instituere atq; suscipere extremæ stultitiæ est. Sed eorum duo sunt genera: vnum natura imitabile non est: alterum temporibus. Quintilianus imitabilia esse negat, ingeniū, inuentionem, vim, facilitatem: verum est, quod scribit. Nascuntur enim ista nobiscum: & sunt naturæ aliorum, non nostræ: & arte neq; dari, neq; doceri possunt: tametsi appareant in exemplo. Hæc igitur naturaliter ad imitationem non pertinent: etiamsi in imitando eluceant, & ex hac exercitatione

tatione nostræ etiam naturales facultates excitentur, eruditantur, confirmentur. Sed hoc genus, quod natura imitabile non est, nihil ad hanc rationem. Sunt enim alieni, nō nostri ingenij: verùm sunt etiam quædam aliorum opera ita fabrefacta, vt sint supra nostras vires posita: cuiusmodi Horatio Pindarus visus est.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iuli, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Causam etiam indicat:

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.

Eam Pindari grauitatē, & amplitudinē, &, si ita loqui licet, granditatē, ἀμίμητον esse existimat Horatius. Ac cùm sint quædam opera magnorum artificū, quæ principiò quidem attingenda non sunt, quòd assequi non possumus: tempore tamen fiunt faciliora. Non datum est enim incipienti, orationē integram conficere, aut opus aliquod integrum: neq; si datum esset, consulerem. Tempus enim & facultatem suppeditabit: & dabit facilitatem. Quocirca in partibus facilioribus operum, & in minoribus membris primus labor consumatur: & paulatim ad maiora, atque difficiliora, vniuersumq; opus fiat progressio: & ne quidē in perfectissimis demum admittenda desperatio est. Aut enim exequemur, quod volumus: aut multa inde præclara deportabimus, ad ea conficienda, quæ nostræ industriæ à natura cōcessa sunt: vt etiam Horatius fecisse se scribit:

Ego,

— Ego, inquit, apis Matinæ
More modoq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vuidiq;
Tyburis ripas, operosa paruus
Carmina pango.

Sed laudabilis hæc in Horatio modestia est, quòd Pindaro primas tribuit: & Antoniũ Iulium ad maius plectrũ hortatur. Neq; enim quicquam imitatori magis, quàm arrogantia, vitanda est: quæ semper leuitatis atq; stultitiæ est comes. Neq; tamen Horatius desperauit. Nam est in multis par Pindaro: & sæpe cum Pindaro prudenter, atq; etiam cum laude contendit. Sed quia infelix imitatio ridicula est: de se fatetur modestè: alios monet prudenter: ne quid, quod vires superet, conentur suscipere: si id velint in lucem prodire: & de eo doctorum virorum fieri iudicium. At domi omnia tentanda atq; conanda sunt: in ysdẽ etiam immorandum, quoad proficimus. Verùntamen principium huius studij in leuioribus, sed tamen necessarijs, sumi debet. Necessarium voco, cuius non rarò: sed vbique est vsus. Cuius generis sunt ea, quæ antea nominaui: in quibus videre oportet, quid imitatione sit dignum. Quicquid verò dignum est laude: id vel apparet, vel est reconditum. Quorum alterũ genus Mathematicos secuti Græco vocabulo φαινόμενον *nuncupemus: alterum* κεκρυμμένον. *Apparentia nomino: vt sunt verba, & eorum ornatus, & complexiones: vt inuentarum rerum collocatio & structura. Reconditæ sunt, amabilium in oratore morum significationes: non expressa verbis consilia: argumenta & sententiæ omissæ, quæ poni poterant: ornamenta etiam omissa,*

quæ

quæ poterant applicari. Quæ tanti momẽti sunt, vt ea qui in intuendo prætereat, nihil sit præclari moliturus. Vt enim virtutis est, non solùm suscipere, quæ sunt bona & laudabilia: sed etiam, quæ mala sunt, vitare: & vt ipsa aliquando non videtur, sed intelligitur: ita etiam imitatoris officium nõ modò positarum & illustrium: verùm etiam præteritarum & occultarũ rerum consideratione perficitur. Oculis ergo imitator eruditis opus habet: primùm, quia recondita non videntur, nisi eruantur: deinde, quia illa ipsa, quæ apparere diximus, ita in scriptoribus sæpissime contexta sunt: vt non nisi à perspicace magistro & artifice sentiantur. Atq; idcirco hæc ars principiò magistri opem desiderat, cùm is potest contingere: qui argumenta det, qui imitanda indicet, qui doceat, qui emendet: qui ostendat, quomodo similia sint dissimilitudine occultanda. Occultator enim artis suæ esse debet, qui velit esse bonus imitator. Iisdem per omnia vti in exẽplo puerile est. Nam tametsi est artificiosum, sequi Apellis Venerem Anadyomenen, aut Satyrum Protogenis: & ijsdem vti coloribus, lineamentis, vmbris, nihilq; facere dissimile: tamen excellentius est, quam artem Apelles in Aesculapij aut Priami imagine demonstrauit: eandem te in Apollinis aut Achillis repræsentare: & tamen totum id Apellis documento esse assecutum. Primus igitur conatus sit, vt similitudo nõ appareat: alter, si appareat, vt id videatur factum de industria: id quod etiam est eruditorum. Sed tùm id faciendũ est: cùm laudabilis est contentio: & non dissimilis elegantia, in rebus non ijsdem, sed diuersis: & non tam genere, quàm tractatione similibus. Multæ sunt Demosthenis orationes, multæ Ciceronis: sed tamen in his ipsis Ciceronis

orationibus.

orationibus, imò etiam in Philippicis, quæ titulum habent quasi præclamatorem exempli, dissimilitudo ijsdem dicendi formis captata est, & abscondita similitudo: cùm tamen Demosthenem sit secutus. Æneas apud Vergilium quæ loquitur, & quæ agit: quid differunt ab ijs, quæ Homericus Vlysses dixit, & fecit? quid tam simile, quàm vtriusq; sæpe poëtæ dicendi genus: & tamen in summa similitudine quanta differentia? quanta varietas? vt propè non tam Vlysses Homeri dicatur, quàm Æneas Vergilij. Sed tamen aliquando placet extare, & sentiri imitationē: neq; improbo Bembi principium: Bembus, Teupole, pater meus: quod ad exemplum eius factum est, quo Cicero in Bruto suo vtitur. Nam vt ille de Hortensij morte, opinione omnium maiorem animo cepit dolorem: sic Bembus pater, postquam Venetias de Vrbini Ducis morte esset Senatui allatum, magnum sanè dolorem cepit: ijs enim verbis vtitur: causas etiam doloris, vt Cicero, ita Bembus complectitur: & vt Ciceroni dolor oratione augebatur: sic etiam Bembo augetur. Siue Bembus voluit aliquo consilio agnosci similitudinem: siue putabat non videri: ego certè pro patris eiusq; dolore, legens ista lætitiam percepi: & de hac ratione, tùm illa considerans, memini cogitasse. Verùntamen obtegenda imitatori omnis est similitudo: quæ tùm demum laudatur: cùm par gloria scriptorem sequitur: quomodo verò & quibus in locis atq; exemplis comparata sit, non potest deprehendi. Occultandi verò modus in tribus consistit: additione, ablatione, mutatione: in qua sunt coniunctio, figuratio, commutatio, transformatio: tùm verborum, tùm sententiarum, tùm membrorum atq; circumductionum: in quibus quid sit additio & ablatio per

se satis intelliguntur, Graeci πρόσθεσιν *&* ἀφαίρεσιν *vocant: & verbum sæpe, & incisum, & membrum, & in his contenta sententia vel ablata vel addita aliam orationis formam & veluti effigiem facit: opinione omnium, inquit Cicero, maiorem animo cepi dolorem: at Bembus, magnum sanè dolorem cepit. Sed tamen hæc duo rarò absq; cæteris vsurpantur: sine quibus puerilis est imitatio. Mutationem* ἀλλοίωσιν *voco, cuius pars vna est* συζυγία, *siue* σύνθεσις, *qua consistit in diuersa verborum & rerum collocatione, & perficitur vel præpositione vel postpositione & interpositione verborum, membrorum, rerum, cæterarumq; rerum, quæ sunt necessariæ. Figuratio* σχηματισμός *est Græcorum, qui est generum potißimùm & numerorum, & casuum: nam horum varietas voluptatem adfert, & obducit varietatem. Sed vt in componendo, ita etiam in obtegendo & mutando, facere oportet, quod decet, & quod est conuenienter ornatum. Cōmutatio,* κατάλλαξις *appellata, est verborum & rerum vicaria operatio: quæ in verbis* συνωνυμία *dicitur: in rebus diuersa argumentatio, hoc est, sententiæ & orationes eodem pertinentes: vt sunt in rebus effectis* συναίτια *& in conclusionibus multorum argumentorum* συλλογισμοί. *Transformationē nomino, quam Græci* μετασκευήν, *quæ omnem orationis complectitur exornationem. Nam & verborum translationes atque modi, & sententiarum ornamenta sæpe idem possunt, ideoq; licet mutare: neque quicquam est, in quo magis glorietur imitator, quàm in rebus & verbis, eorumq; complexionibus transferendis: in quibus non solùm diuersitas, verùm etiam varietas expetitur: ideoq; transfiguratio adiunctam habet* μεταβολήν, *quæ satietatem tollit, & omnis delectationis*

tionis princeps esse solet effectrix. Inter μεταβολὴν autem & μετασκευὴν hoc est discriminis: quòd hæc diuersum faciat opus: illa varium: neq; quicquam est auribus magis gratum, quàm eadem res sæpe alijs verbis notata, & ornatus vbiq; diuersus, & circumductionum varietas, & numerus in earum clausulis vbique per interualla alius. Atq; hæc sunt, quæ artem atq; similitudinem occultant: quæ tametsi leuia videantur, sunt tamen sola, quæ efficiunt, quod eruditorum hominum aures requirunt: neque vis eorum intelligitur, nisi consuetudine & vsu comperiatur. Verùm illud tenere semper oportet, nullam occultationem laudabilem esse, quæ non vel par aliquid, vel melius, substituat: aut si deterius esse videatur, tamẽ non fiat absq; consilio & ratione. Vergilij illam circumscriptionẽ, Arma virumq; cano: quis non videt ad Homeri similitudinẽ esse factam: verùm id tamen est discriminis, quòd Homerus Achillem nomine suo nominat, & eius iram, quid ea mali Græcis dederit, paucis petit à Musa commemorari. Vergilius Aeneam suum non nominat, sed pluribus verbis, quod instituit, exequitur: ita vt si superiorem esse Vergiliũ nolimus concedere: tamen fateri necesse sit, speciosum esse exordium, & Homerico par, si id per Græcos liceat obtinere. Sed tamẽ aliquando honestum est cedere: cùm id postulat res proposita. Nam vt in eodem exemplo maneam, quo antea sum vsus: quis negat plenius esse, & numerosius: opinione omnium maiorem animo cepi dolorem: sed tamen modestum etiam alterum, & idoneum ad rem præsentem: magnum sanè dolorem cepit. Verùm enim, vt ad rem redeam: semper aut melius aut simile, aut ratione humilius ponendum est: & cogitandum, illa tria tùm demum

rectè fieri: cùm non solùm vestigia obtegunt, sed etiam adiungunt ornatum. Quicquid enim artificiosum est: hoc etiam elegans & concinnum esse debet: & illa, quorum memini, tria maiorem, quàm imperiti credant, vim atq; ornatum conciliant. In minimis enim ferè est figuratio: at in illa Vergiliana comparatione nónne est suauissima?

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Syluestrem tenui musam meditaris auena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in vmbra
Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

Quid minutius, quàm, tu Tityre, &, nos fugimus? at ista numerorum mutatio quantum habet venustatis? eoq; etiam Tityrus, vt solent bucolici, eandem concinnitatem imitatur, sed citra arrogantiam (vt apud pastorem amicum) & inuidiosam æmulationem:

O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit.
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Consimiliter numerum mutauit: nobis fecit, inquit, mihi semper erit: & à nostris ouilibus imbuet. Vt igitur cùm absq; exemplo scribimus, elegans est hoc genus: sic cùm propositum habemus, quod sequamur, & elegans est, & occultans, quod captatum à nobis, nolumus agnosci. Non opus est omnia persequi, quæ proposuimus: partim enim ex me audiuistis, partim etiam per se intelliguntur, & non sunt huius temporis: sed tamen etiam transformationis exemplum ponam. Est elegans sententiarũ conuersio, quam Græci ἀντιμεταβολὴν *vocant, apud Theocritum.*

ἄικα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον ἀῖγα τὺ λαψῇ,
ἄικα δι' ἀῖγα λάβῃ τῆνος γέρας, ἐς τὲ καταῤῥεῖ
ἁ χιμαρὸς, χιμαρῷ ὃ καλὸν κρῆς ἔσε κἀμέλξῃς.

Pro hac conuersione Vergilius circulo, de quo diximus, vsus est: & pro illis verbis, quæ à Theocrito repetuntur, Vergilius alia repetit: & quis negare potest, hæc fieri exẽplo? at ergo dicat aliquis, non eodem est vsus ornatu, neq; ijsdem verbis? quia agnosci noluit vestigia ab imperitis: at cur, Non equidẽ inuideo: cùm etiam Theocritus, κοὔτοι τοι φρονέω? *quia sciri voluit, quem imitetur: vt verò imitetur, non voluit animaduerti. Sed negat fortasse aliquis, esse imitationem: cùm non sint eadem in vtroq;: cui respondeo, imitationem non eiusdem esse, sed esse similium, & id quod simile est, diuersum esse debere: cognatum tamen: atq; eam cognationẽ ex ipso fine & orationis forma debere iudicari, vt in his versibus carminis bucolici finis est suauitas, eaq; de causa Thyrsis apud Theocritum Aepoli pastoris carmen laudans* ἁδὺ τὸ ψιθύρισμα, *inquit: & mox,* ἁδὺ ὃ καὶ τὺ συρίσδες: *itaq; delectationis & suauitatis gratia, vt Theocritus illud suum* ἁδὺ *repetit, & conuersione, de qua diximus, vtitur. sic & Vergilius, Nos patriæ fines, &, nos patriam fugimus: & conuersionis loco quasi circulo & orbe sententiam est complexus. Notum principium Homeri est,* μῆνιν ἄειδε θέα: *& planè Homericum est, graue, ornatum, & proposito operi conueniens. Sed neq; minores neq; pauciores habet virtutes Vergilianum, Arma virumq; cano: Heroicum etiam omnino, & in magna dissimilitudine, artificiosa similitudo est: quæ est in grauitate atq; ornatu: qui absconditus est illis, de quibus dictum est, rationibus. Nam vt Homerus iram Achillis: sic Vergilius Aeneam*

pluribus verbis, & propriis notis indicat: vt in personis varietas sit, & similitudo in tractatione: quæ ad finē debet accommodari, qui est grauitatis. Itaq; multa, eaq; magna, breuiter est complexus. Sed & illam Homeri literarum & vocum suauitatem, & poëticorum verborum sonum, quæ propria sunt Græcæ linguæ: Vergilius pulcherrima figuratione compensat: Arma virumq;: Italiam, Lauinaq; littora: terris iactatus & alto: vtriq; numeri ter sunt cōnexi: & in illo versu, Vi superûm sæuæ memorē Iunonis ob iram: & numeri coniuncti, & mutata casuum consecutio: & in illo, genus vnde Latinum, Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Troiæ: quanta est distinctio generum, numerorum, vocum? postremò illud, Musa mihi causas memora: collocatione differt ab Homerica inuocatiōe: & magnitudine par principio Homeri: præter illa insignia, non solùm interrogat: sed dolet etiam: & admiratur atq; acclamat. Quamobrem imitatio similitudinis abscondita est, collocando, mutando, addendo, variando. Nam & propositionem ab inuocatione semouit: & personas atq; res cōmutauit: plura enumerauit, quod est additionis: & varietate verborū, generum, casuum, numerorum, omnia sunt sonantia: idq; ad grauitatem aptè: vt nec elegantia grauitati obstet: nec elegantiam grauitas impediat. Ergo in rebus dissimilibus, debet similitudo celari: & id fieri ea, quam ostendi, via. Post quā igitur delegimus, quem imitari velimus, & quid exprimere: prima consideratio generis dicendi esse debet, ad eiusq; finem & formam, & res & verba, eorumq; & collocatio & varietas est referenda. Sed magistro opus est, & absq; arte non deprehenditur furtiua imitantis imago: & magna consuetudinis est exercitatio: & paucorum est hominum.

hominum. Nobilis historicus Salustius est, & Quintiliani de breuitate eius testimoniũ est notum: sed quotusquisq; est, qui intelligit, quomodo ea sit comparata? Halicarnasseus in Thucydide scribit pulchrum esse verborum contextum, sed non suauem: contrà in Xenophonte suauem, non pulchrum: in Herodoto vtrunq;: cuius compositionem ait esse ἁδρᾶσαν & καλήν. Acuti iudicij atq; exercitati, tanquã perspicacis oculi est, videre in quibus venustas sit, & in quibus delectatio: & quomodo pulchritudo à suauitate discrepet: non quòd res nõ sint inter se multùm dissidentes, virtus atq; voluptas: sed quia in oratione elegantia & suauitas non facilè separantur, idcirco & ars necessaria est, & magistro est opus, & exercitatio requiritur. De Vergilij Georgicis libris dicitur, quòd sint perfecti: de Aeneide, quòd non elimata: sed ego velim mihi dari aliquem poêtarum explicatorem, qui id, vbicunq; opus est, possit indicare & ostendere: verùm de hoc aliàs. Nunc ad illud, quod propositum est, de dicendi forma: cuius imago nobis, dum operamur & fabricamus, ante oculos ponenda est: & ad eam stilus tanquam manus, & verba eorumq; ornatus tanquam colores & vmbræ, & lumina conuenienter applicanda. Conuenientiam decorum appello, cùm omni in re, tùm in imitando imprimis necessarium: in quo duo præcipuè sunt tenenda: aptitudo, & modus. Aptitudo est rerum & verborũ congruens natura. Modus est in cõgruentibus, vt ne quid desit, & ne quid deficiat: vt in Homeri Iliadis principio nihil deest, in Vergilij Aeneidis exordio nihil abundat, tametsi sit Homerico circumductius. Aptitudo consideratur motibus, moribus, natura: in quibus naturam appello earũ rerum, quæ homines non attingunt: vt herbarum,

herbarum, arborum, gemmarum, hortorum, prædiorum, villarum: quarum rerum explicationes atq; descriptiones certum propriumq; genus orationis attributũ habent: mores & motus poëtarum sunt & oratorum: cùm personarũ & suos mores exprimunt: cùm ad iram, ad odium, ad amorem, ad misericordiam animos vel audientium vel legentium impellunt: ex quibus tribus illa tria ab Aristotele libro tertio Rhetoricorum elocutionis genera: ἡ παθητικὴ λέξις καὶ ἡ ἠθικὴ καὶ ἡ ἀνάλογος τοῖς πράγμασι. *Hæc verò cuiusmodi esse debeant & sint, idem Aristoteles, optimus artis præceptor, indicauit. In hoc etiam de decoro loco præcipitur, vt non solùm formæ imaginem tanquam cutem tantummodò effingamus: verùm vt sanguis & venæ & nerui atque musculorum lacerti extent & conspiciantur. Quamobrem elaborandum est, vt & speciosa sit, & prudens oratio, & sana: in quibus species, elegantiæ est: prudentia, rerum: sanitas, decori & naturæ: vt forma ipsa sit naturalis, & conueniens. Neq; enim dubium est, quin exoriens è mari Apellis Venus: nonnihil fuerit è mari spumea: sed ita, vt ea spuma Deæ formam redderet amabiliorẽ. Vt igitur Apelles nõnihil squaloris reliquit: ita etiam scriptori atq; imitatori faciendum est: vt consideret, nõ quantùm aliquid ornari poßit, sed quantùm deceat: quod nisi fiat: necesse est & tumidam & inflatam & ineptam orationem existere. Itaq; rectè cõsulunt, qui dicunt, Homericam esse imitandã Mineruã, quæ Vlyßẽ in varias mutat sæpe formas, eumq; aliquando & rugosum & paruũ & deformem facit,*

πτοχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, ἠδὲ γέροντι:

aliquando etiam admota eadem virga,

μείζονα τ' εἰσιδίην καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.

&

& — καδ δὲ κάρητος
οὖλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.

Id etiam in oratore faciendum est: vt nō semper bombycina & preciosa veste: sed sæpe etiā trita & vulgari & quotidiana prodeat. Post decori animaduersionē: comportandæ & collocandæ res sunt: & verborum adferenda copia: & seq oportet, quæ diximus: vt nihil absq; causa neq; fiat neq; ponatur: et id quomodo fiat, nō intelligatur à multis. Nam vt optandū est, vt oratio omnibus placeat: & id maximopere captandū: ita etiam cauendū præcipuè est, vt ars & imitatio & similitudo nō appareat. Atq; hæc hactenus de stilo et de imitatione: in quibus nō placuit omnia persequi: vt quomodo ex Græcis Latina facienda sint: & quibus rationibus poëtarū versus ita oratione libera dissolui & explicari debeant, vt poëma nō fuisse videatur: itē quomodo cōmentatio instituenda sit, & quomodo inchoanda & perficienda declamatio: quæ omnia tùm demū rectè suscipiuntur: cùm horum, de quibus dixi, magna præcessit exercitatio. Ergo de his aliâs: nunc hæc sufficiant pro hoc tempore vestris studijs: præsertim cùm me præsentē adhuc habeatis. Rursus igitur velut ab initio ingredi iam oportet in hoc curriculum: & accedendū ad multam lectionem & ad scriptionē multā. Lectio verò duplex est: vna exempli ad imitandū: altera doctrinæ: quarū altera moram requirit: vt, quæ in exemplo latent, eruantur: altera percursionem & annotationem & memoriam multarū & variarū rerum desiderat. Itaq; ita perficienda est, quemadmodum principiò diximus. Et Ciceronē quidem hoc triennio totū ad intelligendū legi posse horis antemeridianis nullum est dubium: ad imitandū etiam plurima disci in eodem posse,

etiam clarum est: quæ supererunt: dabimus annis insequẽtibus. Iam in cæteris autoribus, quis neget plura posse comparari: ex ijs, quos nominaui: oratoribus, historicis, philosophis, poëtis? vt hoc trienniũ & orationẽ ornatam dare possit: & variarum rerum prudentiam: quorũ vtrumq; si consequemini, exemplo esse positis vestri ordinis hominibus. Et sanè post militarem virtutem, quæ eius est scientiæ & fortitudinis, quid magis virum nobilem decet, & cõgruentius est generis vetustati: quàm probati mores, pectus eruditũ, lingua sapiens, omnis antiquitatis memoria, omnium Rerumpublicarũ cognitio. In Cardinaliũ numero nónne quasi lumina fuerunt, Contarenus, Bembus, Sadoletus? in Cæsaris aula quantũ ornamentũ Atrebatensis Episcopus? Gallias nónne Cardinalis Bellaius: nunc etiam Guisius: & Matisconensis Episcopus illustrãt? Iulius Pflug patronus & hospes meus nónne decus Saxoniæ est? Iacobo Sturmio, Christophoro Carolouicio an nõ plurimùm ad nominis celebrationem prosunt literæ? At omnes hi magni & nobiles: sed tamen hæc ipsa nobilitas, quæ per se satis clara est, in his viris literarum doctrina est reddita illustrior. Si Germania nostra, & si principum virorũ familiæ: huiusmodi curarentur hominibus: nulla esset metuenda rerũ periculosa conuersio, nullæ barbaræ consuetudines: nulla ecclesiarum & religionis deformitas. Quocirca hæc ego vobis scribens: vniuersam nobilitatem ad hæc studia adhortor: quæ si quem hominum ordinem maximè decent: certè nobilitatem imprimis: quæ quò magis cæteris ordinibus gloria præstat: eò pluribus et maioribus virtutibus debet antecellere.

FINIS.

Argentorati Anno 1556.

AD

PHILIPPVM COMITEM LIPPIANVM.

DE EXERCITATIONIBVS RHETORICIS.

IOAN. STVRMII Liber Academicus.

IOANNI STVRMIO, ACADEMIÆ ARGENTINENSIS Rectori: Leonhardus Hertelius S. D.

SCIO EQVIDEM COMpater chariſsime, ſummopere neceſſariam eſſe iuuentuti ſtili exercitationē. Sed quemadmodum ea inſtituēda ſit: vehemēter dubito. Et quanquā videor mihi nudius tertius aliquo modo intellexiſſe rationem tuam: (quam & probo, & ſequendā exiſtimo) hærent tamen quædam in noſtris Declamatoribus vitia: quæ ego conabor paucis exponere. Tuum erit adeſſe mihi conſilio.

Primùm mihi diſplicet frequens, vel ꝓpè perpetuus vſus eius ſcriptionis; quæ in laudatiõe verſatur virtutū

& doctrinarũ: non quòd ipsum scriptionis genus improbem: sed tractationem istius nec vtilem, nec aptam, nec labore magnopere dignam. Neq; verò tam tractationis formam reprehendo, quàm ignauiam discipulorum & laboris fugam. Segnicies enim nostrę tractationis Decorum negligit: tractatio inepta orationem efficit quasi importunam & ingratã. Nam quotusquisq; est, qui parem industriam in scribendo, cæterisq; studijs ponendam existimet? Diu vno in loco fixum esse, molestum est, præcipuè adolescenti: laboriosum est, ita mentis aciem versare: vt varias in partes distractæ cogitationes occupentur inuentione, & delectu verborum atq; rerum.

Hunc laborem insuauiorẽ reddit vel vtilitatis ignoratio vel contemtio, molestiam auget oblectationum recordatio, quas palæstræ, quas deambulationes, quas cum æqualibus colloquia suppeditant. His enim omnibus carendum est: dum meditationi datur opera.

Multæ præterea causæ sunt: quibus impulsi de curriculo sæpe deflectimus. Has ego propterea omitto: quòd tibi non ignotas esse scio: nec necessum habeo in hoc loco omnes recensere. Illas autem commemoraui idcirco: quia aliorum exemplo me ipsum excitare studeo: & quia admodum cauendũ prouideo: ne, quod in cæteris reprehendo, id mihi vitio dari possit.

Iam tametsi in spacio constituto permanemus: & ad acuendum stilum tantum temporis sumimus, quantum requiri videtur ad ingenium expoliendum, & ad elaborandum id, quod proposuimus: tamẽ nescio, quid tandem currente rota (vt ait Horatius) monstri orationis prodeat.

Certẽ

Certè non dissimile illud esse, fatendum est corpori alicui vasto: quod propter molem incessu tardũ est, & motu ridiculum: quod facie tetra formidabile est: quod membris alijs mutilatum est, alijs redundat: cui nihil denique ineſt aspectu dignum, nihil elegans, nihil laudabile. Ego quò rem mecum perpendo diligentiùs: eò magis mirari desino hos quasi fœtus prodigiosos nostros. Ita enim accedimus ad fabricandam orationem: quasi sola magnitudine ponderanda sit, non æstimatione virtutis.

Solent aurifices indice probare aurum: nos non indice, hoc est, iudicio prudenti & limato æstimandã putamus orationem, sed appendendam. Re aliqua ad commentandũ proposita: illico congerimus tanquam aceruos quosdam verborum & sententiarum: cumulamus quicquid vspiam extat apud scriptores, quod in eam rem dictum putatur. Sic orationẽ refercimus furtis & compilationibus: non secus ac coruus ille Æsopicus: qui speciosarum auium plumis sese depictum ostentabat.

Variorum authorum scripta cognoscẽda esse quis neget? Ex ijs sumenda, quæ rei propositæ inseruiant, quis reprehendat? At tùm demum id fieri solet laudabiliter: cùm accedit ordo, & ratio, & obseruatio præceptorum. Hæc quia à me & discipulis meis non animaduertuntur: in multa vitia incurrimus. Hinc sequitur figurarum dicendi indocta commixtio: vnus existit totius orationis sonus: non verborum delectu variatus: non distinctus sententiarum ornamentis. Quæ aperte explicanda sunt, obscurè inuoluimus: anguste coarctamus, quæ desiderant amplitudinem: quæ ornari decenter volunt,

ter volunt, sine cultu producimus: pondere retardamus, quæ incessum amant citatum: denique non leuiter peccamus, siue morum facienda sit significatio: siue dicendum probabiliter: siue grauitate apta, & æquabilis decurrere debeat oratio.

Agnosco eadem in me, quæ dixi, vitia: eaq; auersor: at nō is sum, qui vel exercitato ingenio artificiosè, vel magno ocio assiduè in hoc genere studiorum versari possim. Quid enim faciam?

Habes duo impedimenta, quæ me, meosq; discipulos in instituto cursu hactenus remorata sunt. Venio ad ipsum genus commentationis, quod in exornando solùm consumimus: de quo illud tantummodò dicam: nec tam frequens esse vsu, nec ita copiosè exemplis demonstratum ab Oratoribus: vt inter cætera orationis genera primas partes tenere debeat. Est tamen non negligendum: quia in iudicijs & consultationibus passim diffusum, multum momenti habet & roboris: tùm verò, cùm seorsim absoluit orationem vel laudando, vel vituperando, nescio quid exile adferat, cùm ad docendum, tùm ad animos impellendos.

Sed non satis est, indicare vitia: corrigere eadē velle, id demum laudabile: corrigendi rationem ostendere, liberale. Hæc duo posteriora, quamuis ingenij mei non sint: tamen malo semel audax esse, quàm cum incommodo aliquo sententiam meam reticere. Id quò faciam rudiùs: eò magis abs te veniam peto, & consilium tuum imploro.

Primùm video magni referre, certos habere discipulos Rhetoricos: qui authoritate tua interposita, teneantur

neantur mihi ex officio obtemperare: siue ad ὑποθέσιν aliquam excipiendam cõuenire eos necesse sit: siue sub incudem reuocandum, aut recitandum, quod domo elucubratum adferunt.

Nolim autem nos tanquam operarios sordidos ita adstringi temporũ momentis: vt mensiũ, & hebdomadarum, & dierum terminis circumscribamur: sed pro ingeniorum facultate: deinde pro rei propositæ, quæ stilo perpolienda est, tractatione simplici aut copiosa, explicata aut difficili, definiendum est temporis spaciũ. Etenim liberalia studia colimus: liberaliter nobiscum agi volumus. Amicorum interesse conuiuũs etiam statis horis, nunquam ferè ingratum est. Sed commentari tùm, cùm etiam maximè liberum nobis est, nunquam ferè suauissimum.

Deinde ludo Rhetorico aperto, ea via ingredienda est, quæ expeditissima sit & vtilissima. Cuiusmodi est illa, quam Græci vocant συνθετικήν. Nam in singulis orationis stilus partibus seorsim acuendus est: & argumentationum atq; amplificationum tentanda ἐξεργασία, prius quàm ad integræ orationis structuram fiat progressio.

Ad hanc exercendi rationem author optimus est Hermogenes. Valet enim præ cæteris artis scriptoribus acumine præceptionum: & ita explicatur à te, vt non solùm intelligatur facilè: sed ipsi etiam fontes appareant imitationis.

Ὑποθέσεις partim suppeditat Hermogenes, partim ex historijs deligendæ sunt: partim ex Homero, Euripide, & alijs scriptoribus, qui rerum copia, & personarum varietate referti sunt, exempla petenda.

Monendi

Monendi sunt etiam adolescentes, quæ res dilucidè exponendæ sint: quæ circumducendæ amplè: quæ ornatè perpoliendæ: quæ quibus dicendi figuris conformandæ. In singulis etiam orationum formis ostendēdum breuiter, quibus vtendum sententijs, qua methodo sententiæ figurandæ: quibus verborum, sententiarúmue ornamentis: cæterisq; quæ ab Hermogene in libris de dicendi generibus traduntur, vestienda sit oratio. His fundamentis positis, ad maiora progressio instituenda, & vniuersi corporis cōstructio suscipiēda.

Sed hæc non dico, quòd præstari à me possint vel mediocriter: sed quia enitar tantum adferre auxilij discipulis meis ad dicendi consuetudinem, quantum licebit per ingenij imbecillitatem, & per cætera negocia scholastica. Quòd si vellem considerare, quantum facere deberem: nihil me esset miserius. Veruntamen cùm non plus à me postuletur, quàm præstare possim: cedendum est tempori. Benè vale, & mihi consilio tuo succurre. Argentinæ XV. Aprilis, Anno M. D. LXV.

IOAN. STVRMIVS MICHAELI BOSCHIO, PHILOSOPHIAE MAGISTRO: primæ Classis præfecto:

S. P. D.

DIV IAM A ME PETIS, Boschi: vt ad epistolā Leonhardi Hertelij respondeam: & de ijs impedimentis meam sententiam exponam: quæ illi viro,

viro, cui tùm declamatorum exercitatio commissa fuit: occurrebant.

Faciam illud quidem: nunc tandem aliquod nactus ocium: sed quî mortuo respondere potero: aut quî satisfacere, si in aliquibus ab eo dissentiam?

Mihi, inquis, responde: & tuum tu mihi iudicium explica. Egóne tibi? homini inde à prima ætate in nostris classibus educato: & per omnes ordines scholarũ erudito? Sed tamen satisfaciam tibi officio meo: & vt Dionysius Syracusanorum Rex: cùm senibus imperare non potuit: pueros docere instituit: ita ego cùm tibi, quid de tota hac ratione teneã, tradere non possum: ad PHILIPPVM Comitem Lippianum decurram: & cum eo colloquar de stili exercitatione: & commentationibus Oratorum, & Rhetorum declamationibus: sed breuiter, ne modum epistolæ non retineam.

Atq; eò libentiùs facio: quòd probari istud sentiam præfecto illius nobili viro Conrado Schuicheldio: nõ vt currentem calcari vrgeamus: sed vt adiuuemus olympionicen anhelantem metæ cupiditate: & victoriæ studio inflammatum.

Valde enim delector adolescentis ingenio: qui superiore mense Octobri annum decimum quintum ingressus, Grammaticorum iam superauit rudimenta: & paucorum mensium progressibus ostendit, quæ & qualia amicis atq; parentibus expectanda incrementa. Virginalis in eo verecundia est: quam cum matris lacte suxisse videtur: & incredibilis humanitas: quam à parentis accepit ingenio: denique iuuenilis morum suauitas in eo magna, & virilis, ac propè senilis constantia.

Habebis igitur, Boschi, hisce diebus paucis: si ocium suppeditabit, meam de declamatorum difficultatibus sententiam: si quid tamen rectè de hac parte eloquentiæ iudicare possum: quod placeat eruditis. Vale. In Sturmiano, 23. Decemb. 1574.

AD PHILIPPVM LIPPIANVM COMITEM: HERMANNI SIMONIS LIPPIANI COMITIS FILIUM: de Rhetoricis exercitationibus Ioan. Stur. Rect. liber Academicus.

TIBI, PHILIPPE COMES, EXplicabo: quæ Michaël Boschius tam diu à me petit: quæ causæ sint: quamobrẽ pauci aut propè nulli sint, qui stilũ exerceant: & declamandi consuetudine delectentur.

Tibi verò, inquam, potißimùm: quoniam tu tamdudũ ingrederis in hanc viam: & ita insistis bono vestigio: vt et proficere te multùm, atq; etiam vehementer delectari appareat: & quòd tuapte natura id facis: & quòd Conradũ Schuicheldium nobilem virum & literatum hominem excitatorem: & Ioachimum Tœlemannum adiutorẽ: & me comprobatorem habes quotidie.

Atq; vt ne te pluribus verbis morer: hinc ego principium exordiar: ab ipso rei fastidio initium faciens. Non enim mirum est: mirabile videri: quam rem quisq; magno ingenio præditus optandã homini putat: & propter quam alios admiramur: ad eam tam paucos esse qui conferant industriam:

induſtriam: aut ſi qui fuerunt, aut ſi qui ſunt: qui ſtudium aliquod in hac facultate poſuerunt: tamen eam, quam rei requirit magnitudo: non collocarint diligentiam.

Quàm enim pauci ſunt hac ætate: qui eloquentiæ ſunt ſtudioſi? vix ſingulæ gentes ſingulos poſſunt oſtendere.

Fuit ſuperiore ætate excitatũ literarum ſtudium: ab Hermolao Barbaro: Rodolpho Agricola: Eraſmo Roterodamo: Petro Bembo: Iacobo Sadoleto: Chriſtophoro Lõgolio: Gulielmo Budæo: ſed aut puritas in his deſiderata fuit: aut facultas expedita. Eraſmus Roterodamus copia & varietate contentus: Italorum ſpernebat in ſcribẽdo ſolicitudinem. Bembus & Sadoletus: ſcribere maluerunt latinè, quàm loqui. Et quanquam Sadoletus facilior, quàm Bembus: tamen Bembus plus voluiſſe, Sadoletus non plus potuiſſe videtur. Budæo defuit vis apertæ orationis: grauitatẽ tamẽ cum elegãtia captauit: quarũ alterã aſſecutus eſt: habet enim oratio eius neſcio quid ſeueritatis: ſed puritatem obſcurauit verborum crebrioribus conuerſionibus.

Sed ô vtinam huius ætatis ſtudium reſtituatur: refrixit enim hic feruor: & Italia iam Hetruſcè gloriari, quàm latinè aut græcè mauult ſapere: ita vt in vno quaſi conſiterit eloquentiæ cupiditas Paulo Manutio: quem nobis atq; literis fata abſtulerunt. Nam ſi qui ſunt, qui pauci ſunt: eorum in noſtra Germania nomen ignoratur.

Fortaſſis, qui hæc legent: ſi amici ſunt: verebuntur me hiſce me anteponere: qui de hiſce iudicem: ſi inimici, calumniabuntur: me maximorum hominum, vt ſunt maximè, laudes imminuere. Itaq; & fautoribus meis & aduerſariis paucis reſpondebo. Tanti me facere memoriam horum, vt optatum mihi ſit in horum numero, aut angulo

aliquo latere: modò in reiicula pecude non numerer: & ne asscribar gregi barbarorum.

Admiror enim hos: sed doleo, eos ad summa non contendisse: eosdemq; stilo & scriptura contentos: declamandi atq; dicendi laudem vel noluisse: vel desperatione rei difficilimæ, vt ipsis fortassis visa est: in hoc secundo gradu constitisse. Tres enim facio: Vnum eorum, qui & sapere & dicere potuerunt: alterum, qui & sapere potuerunt & scribere: tertium, qui sapientia rerum contenti: & mediocri facultate loquendi acquiescentes: oratoribus sua reliquerunt Senatus & iudiciorum ornamenta.

Primo genere Græcorum & Latinorum hominum oratores continentur: altero historici: & philosophi aliqui: & ex oratoribus etiam Isocrates & Lysias: inter quos ô si ego esse potuissem: & certè, quos supra nominaui: eos etiam in hoc colloco: dissimiles quidem illos inter se: & in similitudine quadam inter se impares: sed habent singuli gradus sua quædam incrementa & defectiones.

Tertio ordine numero Franciscũ Petrarcham & Marsilium Ficinum & Sauanorolã: Theologos etiam aliquot & Iureconsultos & Medicos. Omnes hos vtiles mortalibus scriptores & magnos viros: sed nos, dum & hos postremos salutares autores esse putamus: & illos medios magnos viros: tamen quia laus summa, & eloquentiæ cõsummata gloria debetur primis: vt æmulentur hos, eloquentiæ studiosos excitandos esse arbitror: & quanquam nos in humilioribus constiterimus: tamen viam adolescẽtibus ad arcem huius gloriæ ostendimus. Quòd si qui nos in nullo horum gradu haberi velint: patiãtur, me cotẽ Horatianam esse: qui alios acuere coner, exors ipse secandi.

Ergo

Ergo ad principium redeo: & ad ſummum eloquentiæ adhortor adoleſcentes faſtigium. ſed ita, vt faſtidiū, quod ex difficultate naſci falſo videtur: conemur de ſcholis depellere.

Quæ igitur cauſa eſſe videtur: ſiue faſtidij huius, ſiue difficultatis: ſiue quocunq; aliquis velit appellare nomine?

Atq; ego cauſam quidem video: & quænam ea ſit, oculis mihi cernere videor: ſed ingrati mihi eſſe videmur acceptorum à Deo beneficiorum: quibus Deus pro perpetua ſua erga mortales bonitate, nos in hac ſenecta mundi locupletauit.

Non enim minus nobis ſuppeditat ætatis: quàm illis, qui Ciceronis & Demoſthenis temporibus vixerunt. Neq; minor nobis copia autorum relicta eſt: quàm illi à maioribus acceperint: qui quidem eloquentiæ ſtudioſis eſſe poſſint neceſſarij. Et quoniam fons eloquentiæ prudentia eſt: certè aut parem aut ſuperiorē illis facultatem habemus. Quæ enim pars philoſophiæ nobis deeſt? Dialectica præcepta Ariſtotelis: æquè habemus atq; Romani habuerunt: antequā Lucius Cornelius Sylla ex Græcia Ariſtotelem integrum in Italiam victor reportaſſet. Aequè etiam Ethica: in quibus à Platone & alijs ſcriptoribus locupletati ſumus: quibus etiā Pericles fulminator caruit. Aequè Phyſica: quibus Plinium & ſcriptores Agriculturæ adiungimus. Aequè Mathematica: neq; video aliquot ex noſtris antiquis illis cedere: etiamſi volantem Archytæ columbam non inuenerint. Et horum omnium ſcriptorum monumenta literarum nobis relicta ſunt: atq; ita relicta: vt par nobis poteſtas atq; facultas ſit: & copiæ verborum locupletandæ: & ſtili exornandi, & orationis amplificandæ.

Nulla igitur in parte prudentiæ & sapientiæ, hoc est, philosophiæ, nostra deterior conditio est: vna certè re omnes omnium ætatum superiores antecellimus: diuini cultus & cœlestis doctrinæ intelligentia: sine qua nulla potest esse perfecta prudentia: nedum sapientia.

Hac eloquens Demosthenes & Cicero caruerunt: hanc sapiens Socrates & Aristoteles ignorarunt: huius ore patres prudẽtes rei familiaris M. Cato Maior, & M. Varro fuerunt destituti. Imperatores militares Fortunæ opem & Martis frustra implorare potuerunt: verum Deum verè non potuerunt inuocare.

Prudens Cato, cùm dicebat: Nesciunt mortales, quantum vectigal sit parsimonia: digna graui viro sententia: at ibi quàm ineptus in religione: & quàm in grauitate ridiculus: cùm Iouem pro bubus inuocat: Iupiter dapalis: quod tibi fieri oportet in domo familiaq; mea: culignam vini dapi eius rei ergo: macte vino infere ori isto: macte hac illace dape pollucenda esto.

Quantò satius erat: de re rustica nihil sapienter præcipere: quàm hoc modo tam ineptè Deum appellare & colere. Varronis etiam sapienter dictum: Si est homo bulla, eò magis senex: at quàm illud anile: Item veneror Mineruam & Venerem: quarũ vnius procuratio oleti est: alterius hortorum: quo nomine rustica vinalia instituta. Nec nõ etiam precor Lympham & bonum euentum: quoniam absq; aqua omnis arida ac misera agricultura: sine successu & bono euentu frustratio est, non cultura.

Et tamen hic idem conatur suorum religionem corrigere: & Homerum reprehendere: cùm scribit: Et quoniam dij, vt aiunt, facientes adiuuant: priùs inuocabo eos, nec,

vt Homerus

vt Homerus & Ennius, Musas: sed duodecim Deos consentes: neq; eos tamen vrbanos: sed illos duodecim Deos, qui maximè agricolarum duces sunt. Annon in Catone & Varrone accidit: quod apud Paulum est: cùm crederēt sese esse sapientes, stulti facti sunt. Miseros homines: quos sua sapientia stultos efficit!

Sic igitur statuendum est: non philosophum, non mathematicum, non magistratum: non patremfamilias: non populum vllum vnquam prudentiùs & sanctiùs iudicasse aut iudicare posse: quàm Ecclesia Christianorum de officijs iudicent. Non igitur prudentia cedunt nostra tempora illis ætatibus: neq; etiā ingenij acie: cuius beneficio ad prudentiam peruenitur. Nam & omnium artium, quas complectitur philosophia, fontes patefactos habemus: & doctores illarum mediocriter multos: etiam bonos mediocriter: quosdam verò eximios.

Fortassis præmia fuerunt maiora eloquentiæ: quàm nostris sint temporibus: quæ plurimùm possunt ad excitāda hominum studia.

Magnas enim sibi facultates oratores præsertim Romani defensionibus causarum adipiscebantur: multas & magnas clientelas comparabant: maximus honos & autoritas summa in curia & foro oratorum: ita vt aliqui Reges sint fori & iudiciorum cognominati. In legationibus eloquentia summam laudem inuenit.

Non esset istud mediocre impedimentum in hac dicendi exercitatione: si esset verū, & si eloquentia ad linguam tantummodò latinam astricta esset: & si non Itali, Hispani, Galli, Germani, possent esse diserti. Annon solutam orationem ita tractauit Boccatius: vt exemplo sit puritatis

& suauitatis:

& suauitatis: in animis omnium Italorum: qui ingenio valent. In astricta verò & numero poëtico: nónne idem Franciscus Petrarcha apud suos est assecutus. Apud Gallos tam Philippus Cominæus placet lectoribus historiarũ: quàm Græcis & Atheniensibus placuit Thucydides. Lutherus annon quasi magister extitit nostri sermonis: siue puritatem consideres: siue copiam. Principum consilia: ciuitatum iudicia: scribæ omnes: omnes legati: ac Iureconsulti Germanici: hanc laudem homini tribuunt Theologo.

Causam certè ipse defendit & iustam & necessariam: quæ per se meretur victoriam: sed certè oratorijs lacertis sua misit tela argumentorum.

Si hæc religionis restitutio non esset: si nullæ conciones eius extitissent: si nihil scripsisset aliud: quàm ea, quæ in vetere & nouo Testamento translata diuulgauit: tamen summa eius et perpetua in hoc labore deberet extare gloria.

Si enim huius Germanicæ translationi cæteræ Græcorum, Latinorum, aliorumq; comparentur: cedere cogẽtur: perspicuitate, puritate, proprietate: similitudine Hebraicæ originis. Credo vt Apellem nemo legitur pictorum superasse: ita ne scriptorum quidem quisquam Lutheri conuersionem poterit vincere.

Sed dicat aliquis: quid Boccatium nominas, & Petrarcham, & Cominæum? laudem quidem illi aliquam pepererunt: sed rem non magnã reliquerunt hæredibus: præmia nos pecuniaria & quæstuosa quærimus: non honoraria & gloriosa.

Non ista scribo auaris & sordidis: contra barbariem pugnamus: omnis auaricia, omnis sordium colluuies barbara est: in quam nõ cadit eloquentia: ingenium quærimus cupidum

cupidum laudis : studiosum literarum & elegantiæ: animum ardentem flagitamus: qui alijs potiùs, quàm sibi, viuere videatur: vt aliorum bona & felicitatem : ipse suas esse possessiones arbitretur.

Vbi nunc horti Luculli? vbi Hortensy clientelæ? vbi Tusculanum Ciceronis? omnia ista nusquam apparent: at laus immortalis est: quam, si ad publicas & cõmunes vitæ vtilitates accommodata est: nemo sapiens potuit contemnere.

Sed quia sunt, qui instrumenta virtutum pecunias esse putant: & vitam humanam propè esse pecuniam : accessione certè eloquentiæ prudentia fit splendidior: & opes ac facultates amplificantur. Da mihi theologum, doctum illum quidem, sed non disertum: & tamen adeptum magnũ dignitatis locum: si huic ipsi adiungas dicendi copiam & orationis vim: an non dignitas fiet illustrior? aut si opes habeat, an non hoc additamento queant augescere? Si peritus Iureconsultus sua arte locuples: certè disertus & idẽ peritus euadet locupletior. Sit prudentissimus Cæsaris aut Regis consiliarius: idemq; copiosus: probabilène est : has copias potuisse socia eloquentia cum dignitate maiore accumulari? Petrum Bembum iuuit quidem familiæ suæ dignitas: sed literæ & oratio latina præcipuè in Cardinaliũ collegio collocauit. In Sadoleto clarius istud extat : stilo illius acceptum ferendum esse : quòd Episcopus Carpentoracti: quòd Cardinalis in consilio Romano.

Nos tu ergo, inquis, Romam mittis : & Romæ nobis proponis dicendi præmia? Minimè verò: ego tamen velim quamplurimos esse Romæ Contarenos & Flamminios: neq; vnquam Pontificatus emendabitur: nisi huiusmodi sobole:

& quasi pullis eloquentiæ: & huiusmodi summissis pampinarijs palmitibus ex oratorum vinea translatis.

Verùm longiùs ego rursum excurri, quàm institueram. Propositum enim à me est: mirabile esse, cùm neq; ingenia desint hominibus nostrorum temporum: paria antiquis illis temporibus: & philosophiæ ijdem fontes extent: & par prudentia: consimiles etiam vtilitates, & vsus æquè latè patens: & cùm ab omnibus bonis naturis expetatur dicendi laus & orationis commoditas: tamen ab eius propè omnes abhorreant exercitatione: & tam pauci sint, qui eam assequantur.

Ac profectò adolescentibus non possumus asscribere hanc culpam: si ego rectè tot iam annis, tot naturas in hac ætate obseruaui.

Singuli enim anni: imò singula trimestria spacia: nobis ad nostras scholas mittant adolescentulos: ingenio & indole præclara præditos: & in quibus egregia voluntas est: & præclara industria. Idem Louanij, idem Lutetiæ animaduerti. Quî fit, quòd ex tot millibus, tam pauci fuerint: qui eam diligentiam in scribendo, & commentando & declamando, qualem requirimus, adhibuerint?

Atq; omnia diligenter considerans: video magis in nobis, qui præfecti sumus: quàm in ipsis harere causam adolescentibus. Neq; istud eò dico: vel vt me vituperem ipse: vel vt collegas meos reprehendam. Satis enim constat de illorum industria: & de Academiæ nostræ disciplina: ex qua tot iam præclara extiterunt ingenia: sparsa per multas Europæ nostræ partes: sed quòd neq; ipse mihi in hoc officio & in hac exercitatione satisfecerim: & quia egomet me ipso non possum contentus esse: non possum desistere: eadem

re: eadem reuocare, de quibus sæpe monui & scripsi: dum quod in me desit: ab alijs effectum esse videam: velim autem non solùm nostros in hac via persistere: sed etiam alios eandem ingredi: vt multæ Academiæ, & scholæ literarum, spacijs locorum disiunctæ: animis & exercitationibus, & docendi modo consocientur: quem ego nullum esse posse puto: si ista, quæ dicturus sum, non sint idonea. Vnum deest pueris nostris: quo Romani & Græci præstabãt. Nam vt scripsi sæpenumero: domo secum à parentibus adferebant in scholas sermonem patrium: cum materno quasi lacte exactum: à nutricibus propè præmasticatum: ab æqualibus communicatum: & ludo potiùs quàm labore vllo conquisitum: imò sua penè sponte natum, non elaboratũ industria.

Atq; hæc causa est vna ex præcipuis: quamobrẽ Romanis atq; Græcis faciliores extiterint exercitatiões Rhetoricæ: quàm nobis, qui hac facultate destituti sumus. Et eadem tempora: magistros dicendi habebant magis exercitatos: quàm nos nostris habeamus temporibus.

Ego verò ista, Philippe Comes, considerans: facturum me operæ precium cõfido: si te per omnes gradus deducam eloquentiæ: ab hac tua ætate, atq; hac facultate tua sumens principium.

Es enim mense Octobri ingressus annũ decimumquintum ætatis tuæ: & qua es ingenij bonitate: sex hisce mensibus: quibus patria relicta mecum vixisti: nostræ Academiæ Grammatica præcepta superasti: magna ex parte: vt per te propè possis: sermonis latini partes omnes distinguere: & in autoribus agnoscere: nominaq; & verba inflectere: & in consecutione verborũ: quam Syntaxin vo-

cant: videre, quid latinum: quid purum: quid apertum: generibus, casibus, temporibus, modis, personis, rebusq; & earum numeris: hæc aut per te observas: aut monitus à præceptore Ioachimo Tælemino: cuiusmodi sint: facilè potes intelligere: hac ego contentus mediocritate tua: ducam te in rhetorum scholas: sed ita, vt grammaticorum scholas non negligamus.

Copiam enim verborum adhuc non eam habes: quæ ad scribendum & ad stilum: atq; loquendū est necessaria: & quia copia & varietas verborum abest: non adest etiam in hac inopia vocabulorum delectus: qui origo est eloquentiæ.

Hac in parte adiuuabit te etiam præceptoris industria: & quotidie ostēdet in cœnis & prandijs: in ædibus: in hortis: in agris & syluis: rerum atq; actionum in omnibus animantibus: in omniq; natura vocabula: vti sunt homo: victus aliqui quotidiani: vt mensarum vasa: vt vasa culinaria: vt ædium partes, ipsæq; ædes, vt hortorum areæ & puluini: vt pergulæ illorum: vt herbæ culinariæ: vt coronariæ: vt agri partes. satorum genera: campestria, montana, collina: vt arborum & plantarum omne genus: vrbis etiam ipsius partes: & ædificiorum varietates: vt curia & forum: & ea omnia, quæ in hisce alysq; locis sunt, aguntur, accidunt. Pars enim maxima facilitatis atq; facultatis posita est, in præceptoris industria & diligentia: sed ita, vt etiam vestra & voluntas & studium accedat: interrogando, commentando, loquendo: nō solùm in scriptis scholis, sed in ludo etiam & ocio & ioco, omniq; remissione animi.

Exiguum enim est, quod magistri poterit industria: nisi animi

niſi animi etiam tui vehemens accedat affectio: cuius tua tibi fortuna maxima incitamenta dedit.

Quantum enim eſſe putas? tantam te hæreditatem exſpectare: quæ tibi à patre Hermanno Simone in comitatu Lippiano: & à matre in duobus comitatibus Spegelbergiano: & Pyrmontiano obueniet.

Quàm magnum eſt Comitem natum eſſe: in duabus familijs: quarum vtrag; præclaris exemplis antiquiſſimã & nobiliſſimam reliquit memoriam?

Vt hiſce maiorum tuorum veſtigijs inſiſtas: vt horum laudibus atg; virtutibus reſpondeas: tametſi te tua natura excitat: tamẽ vt magis exciteris: cõſidera patris matrisq; ſummam ſpem: quotidiana vota: ſumtus atg; impenſas, quas faciunt: quas omnes contemnunt: & pro nihilo ducunt: ſi tu, quò volunt, ducaris.

Præfecerunt diſciplinæ tuæ nobiliſſimum virum Conradum Suicheldium: in quo quotidianũ habes diligentiæ exemplum: quem ego tanti facio: vt aliquando ipſum fore in Principum conſilijs atg; cancellis principem virum confidam: vt iam hoc etiam tempore, quaſi voce Reipublicæ ad huiuſmodi officia & dignitatem vocari videatur.

Habes Ioachimum Tœlemannum: iuuenem quidẽ adhuc, ſed benè literatum: & tibi aſſiduum. Condiſcipulos etiam nobiles adoleſcentes pater adiunxit tibi: qui in hiſce exercitationibus tibi comites & ſocij & adiutores adſint quotidie.

Atg; etiam ego, ſi quid potero, nõ tibi defuturus ſum: ſiue monendo, ſiue hortando, ſiue conſilio etiam atg; ſubſidio: in hiſce quotidianis tuis laboribus.

Sed quid labores dico? ita nobis inſtituẽda tua ſtudia

sunt: vt vel nullus labor in hisce sit: vel eiusmodi sit, vt plus voluptatis, quàm sudoris sentiatur. Laudis enim cupiditas: & virtutis appetitio: & doctrinæ honos: & delectatio literarum: ad contemnendos labores atq; sudores plurimùm possunt: nisi credamus, puerum Horatianum absq; voluptate multa tulisse atq; fecisse, sudasse atq; alsisse: vt Pythia posset canere.

Minuemus igitur omnes, quoad fieri poterit, laborem tuum: & currenti tibi nostris consilijs conabimur esse pro vehiculo: & stilus si quid habet à natura molestiæ atq; fastidij: id benè consulendo: aut tollemus, aut ita imminuemus: vt laborem par & æqualis delectatio, voluptas & relaxatio animi comitetur.

Sit igitur primus gradus in exercitatione stili, vt propositam Ciceronis epistolam, aut locum aliquem insignem ex eodem autore, semel, iterum, sæpè legas: Germanicè deinde eandē epistolam ob oculos positam scribēdo explices. Deinde remoto Cicerone: quod Germanicè interpretatus es: ad linguam latinam reuoces: ijsdem, si poteris, quibus Cicero vsus est, verbis: sin autem non poteris ijsdem, at quibus poteris. Nam si melioribus vteris: laus erit atq; voluptas: si vinceris: at vtilis erit victoria archetypi: quæ te doctiorem efficiet.

Hæc ratio has habet vtilitates: quarū prima est: quòd nullus sit labor inuentionis: cuius facultas non cadit in ætatem vestram: quæ etiam causa est fastidij: quod stilus secum adfert.

Altera, quòd ambitus sententiarū descripti à Cicerone, retinent calamum intra septa artificiosæ compositionis: & consuetudine scribendi acquiritur: quod arte difficile esset præcipere.

Tertia,

Tertia, quòd genera verborum: & formulæ sententiarum: quibus vsus Cicero est: paulatim tuæ fiunt quasi possessionis & fundi: eaq; ab optimo autore vsurpata. Ex qua commoditate, quarta consequitur: quòd periculo caret hæc ratio: neq; metuendum sit ab impuritate: quæ in scholas plerasq; & gymnasia propè omnia: multos iam annos inuecta: neq; a diligentibus quidem magistris potuit huc vsq; eruncari: vsq; adeo radices egit: vt ferè probari plerisq; videatur. Non loquor hic de verbis planè barbaris: quibus scatebat superior ætas: sed de illis & vocabulis, & modis loquendi, & adagijs: & poëtarum flosculis: quæ specie elegantiæ etiam mediocriter magnos viros in scribendo deceperunt.

Nihil enim difficilius, quàm decorũ retinere: cuius obseruatio adolescentibus negata est: præceptorũ opus habet moderatione. Hæc moderatio diarijs maximè adiuuatur: in quibus antiquata ab vsitatis, oratoria à poëticis: & ab vtrisq; historica suis quasi loculamentis, & domicilijs poterunt distingui à magistro prudenti & exercitato.

Quæ verò ratio tenenda sit in his diarijs: quæ etiam ephemerides sunt appellandæ: in quibus eloquentiæ fit messis: cùm aliàs sæpe, tùm superioribus mensibus diligenter ostendi: ita vt mediocriter ingeniosis & doctis discipulis nostris: putem satis esse indicatam.

Iniſtam tu viam ſtatim de principio exercitationis ingredi debes: vel in hanc te potiùs à Ioachimo Tælemanno introduci oportet: & id ſtatutum habere: horum omnium, quæ præcipiam, ſi vnum aliquod negliges: ſeu pars totius ſit: ſeu modus agendi: totum opus aut impediri aut labefactari. Vt enim in horarijs mobilibus: ſi rotula vna, aut mo-

aut momentum aliquod vnum neglectum sit: tota fabrica vitiosa est: & vt in colendo agro: si vnũ aliquod opus aut omittatur, aut alieno tempore fiat: frustratio fructus consequitur: sic etiam hîc accidit: vt nisi omnia fiant: nihil hîc præclarè posse fieri arbitreris. Animaduertes enim diligenter, quæ hactenus consului, & deinceps scripturus sum: & nihil omnium negliges, si absq; labore atq; molestia: magnos profectus atq; progressus facere cogites.

Et quoniam tu in sextam iam classem progressus es: & quia istud, de quo loquor, potuisti facere in extremo cursu septimæ classis: poterit hæc ratio in omnibus scholis institui: quæ classibus decurtatæ sunt: & à septima classe incohari: & continuari in sexta. Ephemerides verò etiam in octaua instituì: quas dialogi nostri possunt antecedere in nona: quos incepimus conscribere: & ad classicos ordines accommodare: vt ante publicas scholas: totam linguã latinam, quoad eius fieri potest: consummare possimus. Suppeditabunt enim omne genus verborum: & formulas omnes sententiarum: & singuli in vno genere rerum occupati: propè omnia, quæ illius generis sunt, comprehendent: ex quibus ephemerides non solùm instituì: sed etiam coagmentari queant subitò.

Huius verò rationis fructum, acceptum referre debent scholæ Werterus fratribus, Wolffgango, Philippo, Antonio: qui liberalitate sua, qua mihi adfuerunt in hisce rebus annotandis atq; obseruandis: ostendunt, quàm illis curæ fuerint & sint literarum studia: & quàm ament publicas vtilitates: & scholarum atq; Ecclesiarum ornamenta. Omnes enim hi dialogi riuos suos deducũt ex linguæ latinæ Analysi: quam illorum auspicijs instituì: eiusq; in his sermonibus

monibus apparebit vsus atq; vtilitas: ad reuocandas in vitam hominum eloquentiæ commoditates.

Et hos igitur dialogos leges: & ephemerides institues: & in hoc primo gradu exercitationis atq; stili vestigium pones: qui in triplici ratione consistit: cuius primus modus est intelligendi & commentandi: alter interpretãdi sermone patrio: tertius reuocandi sub incudem stili, & ad memoriam scriptionemq;: quod in archetypo comprehensum proprium facis tua ista tripartita industria.

Sed hoc in loco hanc oportet tenere sententiam: verba semper & sententiarum formulas, inter ea bona numerari: quæ sunt vniuersitatis, & nullius propria: in quorum vsurpatione nemo de furto, aut vi actionem debet metuere: & idem Cicero in se fieri pati debet: quod ipsum nõ puduit in alys facere.

At dicat aliquis: sunt ista quidem publici iuris: at totum sibi vsurpare, id furtum esse videtur. Verum est, si tuum esse dicas, quod est Ciceronis: at memoria est tua: tua etiam vtilitas, quæ hanc memoriam sequitur: tuus stilus: tuus moderatus horum & occultus vsus: tua imitatio: tuum mutuum, etiamsi creditum sit. Nam ab illo creditum est: qui nemini amplius inuidet: qui idcirco scripsit sua: vt sua aliorum & omnium fierent: tua, inquam, consuetudo est loquendi.

Annon à parentibus accipiunt hæredes filij domi integras cantilenas: quibus patrium sermonẽ augent & ornant? nónne Craßi & Antonij orationes memoriæ mandabant parentum & magistrorum iussu: vt sua fierẽt: quæ erant aliorum? & ita sua fiunt ista & propria, vt vnde allata sint, non animaduertatur: Annon è culina à coquo

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

cibum coctum atq; paratum accipimus: qui à nobis comesus: ita per omnia corporis membra & artus distribuitur: vt nihil appareat, quod coqui fuerit aut culinæ? Si natura potest abscondere, quæ sunt aliena: cur non ars & ratio & vsus rerum? Motus gladiatoris imitantur myrmillones: quis dicat gladiatoris illos esse: qui iam myrmillonis facti sunt: & gladiatoris esse desierūt? Sic & hæc quasi concoctio, & digestio, & nutricatio, ciborum & ferculorum Ciceronianæ eloquentiæ: per omnes partes sermonis latini: & per omnes naturæ regiones: adferēda & promenda sunt ad quotidianam loquendi consuetudinem: & ex ipsis diarijs puerilibus opes verborum atq; sententiarū hauriendæ sunt: quas suas faciant adolescentes: vt in suo fundo atq; possessione vsurpatæ & vindicatæ: priuatæ & propriæ esse credantur.

Et vtile est, ad quotidianum sermonem etiam stilum adiungere: & à præceptore ex ijs opibus, quas pueri reconditas habent: non solùm in diarijs: verùm etiam in grammaticis præceptis: quæ, dum genera nominum, verborum: & eorum modos, & casus, & numeros tradunt: vocabulorum, si non omnium, at certè plurimorum, complectuntur supellectilem: ex his, inquam, præceptorem aut epistolam decet, aut dialogum breuiusculum conscribere: qua in re duplex ratio est & modus. Nam vel latinum dabit, ad quod stilum applicabit puer: quod eodem modo, quo Ciceronem, tractabit: vt primùm Germanicè vertat: deinde ex Germanico sermone idem ad latinam puritatem reducat: quæ ratio expeditissima est: & facilior hic modus: quàm in illo priore principio fuerat.

Altera ratio est: vt Germanico & patrio sermone cō-

plectatur:

plectatur: quod adolescentem velit in sermonem Romanũ traducere.

Sed hic præceptor non solùm memoriam debet adferre eorum, quæ adolescentulus: aut in grammaticis didicit: aut in ephemeride collecta habet: sed etiam ingenium atq; artem.

Nam tametsi non libera hic potest esse præceptoris inuentio: sed astricta est: non tam rebus, quàm verbis: tamen sæpe datur etiam in his opportunitas acutarum sentẽtiarum, & literatarũ conclusionum: & ex hisce ipsis verborum generibus: omne genus circumductionum & periodorum potest vsurpari: vt, quoad eius fieri potest: si non idem acumen atq; elegantia & suauitas existat, quæ in Cicerone: sed tamen propè eadem esse videatur.

Sit igitur hic primus gradus exercitationis: quo ad declamationum campos, & ad orationum arcem ascendatur: qui constitutus est diarijs, conuersionibus orationis Ciceronianæ: & scriptionibus fictis q; à præceptore argumentis: quæ quò propius ad veritatem accesserint: eò plus emolumentorum & fructuum parient.

Dicat fortasis aliquis: gradum tu primum quidẽ ponis exercitationis huius: at quibus tu hunc constituis curijs gymnasij vestri: aut etiam aliorum scholis, qui vestrã rationem sequuntur?

Et rectè istud quæritur. Nam quoniam difficultatem atq; fastidium stili aut tollere aut imminuere studeo: de quo Hertelius conquestus erat: deducam per omnes decem tribus nostri ludi hanc præceptionem: vt ad has exterorũ gymnasia, quibus hæc placebunt: suam accommodent industriam.

Itaq; moneo, vt inde à prima atq; infima classe sumatur exordium: & qui huic præpositus erit: necesse est, vt prima fundamenta ponat: & quid in superioribus classibus faciendum sit, sciat: vt etiam primos atq; medios meminisse oportet præceptores: quid pueri in inferioribus didicerint.

Istud cùm aliàs sæpè monui, in conuentibus nostris: atq; etiam in libris meis: quos scripsi varios, de discendi atq; docendi ratione: tùm hic rursus moneo: vt si præfecti classium istud non faciant: contra officium se facere intelligant: & sua magis hanc partem studiorum culpa: quàm discipulorum vitio turpiter negligi: & in publica ab ipsis peccari commoda.

Non de nostris istud dictum modò velim: sed de omnibus, qui hanc rationem sequentur. Neq; magistros, qui curijs præsunt: solùm istud facere est necessarium: sed etiam, qui his præfecti sunt: eorum est, an ista fiant in singulis ordinibus, obseruare: ac si non fiant, animaduertere: & quæ vitiosa sunt, corrigere.

Ergo primus iste, qui infimum ordinem ducet: vnà cum legendi labore: & inflectendi nomina & verba: quotidie decurijs rerum atq; actionum vocabula tradere incipiet: & quæcunq; vel verba flectent: vel nomina declinabunt: vel cæterarum partium orationis momenta tradent: ea efficiet, vt quarum rerum notæ sint: & quid significēt, intelligant atq; meminerint. Et quoniam pueri in hac curia literas formare nesciunt: memoria custodire debent: quod stilo non possunt exarare: & hanc memoriam præceptoris est adiuuare & confirmare: interrogationibus & exactionibus quotidianis. Si enim necessarium est in quæ-

stu num-

ſtu: nummos, quos quotidie conquirimus, cuſtodire: cur non idem requiratur in hac copia comparanda: & facultate vocabulorum corroganda? Tanquam nummus bonus: verbum vnumquodq; bonum recondendum memoria eſt: & exigendum à præceptore: vt quotidie lucrum & opus abſq; interitu & iactura & obliuione appareat.

Hic igitur primus ſit labor claſſicus: in quo illud etiam præceptor elaborabit: vt nullum verbum det, niſi bonæ & Romanæ notæ: vt imprimis à Cicerone mutuatum ſit: aut vbi hic deſit: ex cæteris probatis ſcriptoribus ſumtum ſit.

Huius moderatoris laborem: tanquam pilam ex manu eius excipiet, præfectus nonæ curiæ: in qua adoleſcentuli ephemerides inſtituent. Formare enim characteres latinos incipiunt: & qui induſtrij ſunt: facultatem aliquam adferent ſcripturæ ex inferiore loco.

Et in ſcholis noſtris: magiſter ſcripturæ hîc facit principium: deſumta aliqua vtili ſententia ex Cicerone: aut autore bono: non longa ſententia: verùm breuiter nomine & verbo perfecta: cuius generis ſunt breuiſſima adagia: & poëtarum quædam hemiſtichia.

Quod igitur in decima tribu memoria cuſtoditũ eſt: idem hîc repetitum ſcriptioni mandandum eſt: & facienda diaria: & ſingularũ rerum vocabula augenda ſunt: & ſuis locis digerẽda: ea ratione, quam ſuperioribus menſibus tradidi: in ſcholis noſtris publicis.

Vocabulorum autem tria hîc ſunt genera: vnum, quæ in grammaticis præceptis, pro exemplis ponuntur: alterum, quæ in epiſtolis ſelectis continentur: tertium, quod à præceptore additur. Hæc omnia tria ad ephemerides deportanda & tanquam gemmæ atq; ornamenta neceſſaria

diligentißimè cuſtodienda: ita vt detrimentum magnum habeatur: vnius iacturam facere.

Quemadmodū enim in re familiari, nihil prodeſt fructuum & lucri comparatio: ſi diligens abſit cuſtodia: & vt frumenta pereunt, niſi cellis frumentarijs ſeruentur: nihilq; aratio, nihil ſementis, nihil meßis, nihil trituratio emolumenti adferet: ſi horrea deſiderentur: ſic etiam in vocabulorum coaceruatione omnis propè perditur opera: niſi in diarijs reponantur: & tantū ſolùm retinetur, quantum memoria conſeruatur: quæ fluxa & fragilis eſt: niſi quotidiana exerceatur conſuetudine: qua noſtra ætas in communi vita & quotidiana hominum neceßitudine caret: in qua patrius ſolùm ſermo vſurpatur.

Ergo cùm hæc ephemeridum ratio neceſſaria eſt ad facilem exercitationem ſtili: tùm etiam illa, quam Henrico Schirnero in nona claſſe præmonſtraui: qua vna hebdomade abſq; labore pueri didicerunt vſq; adeò multa nomina & verba: eaq; generibus & formis diſtincta: vt per verecundiam non auſim nominare numerum: cùm tamē Columella glorietur, ex vna matre fructuoſa ſe compleſſe aminais vitibus, cæteroqui infœcundis, duo iugera biennio. Quamobrem ſi vita ſuppeditabit, non deſiſtam: dum hæc ratio in nona tribu inſtituta: per omnes decurias omnium tribuum continuetur. Sed hæc demōſtrantur meliùs, cùm videntur & cernuntur: quàm hoc ſcripto poßint explicari.

Miretur fortaßis aliquis: quamobrē in omnibus claſſibus retineri velim hanc rationem: ſi ita facilis eſt: vt vna hebdomade tam magnus numerus queat comparari? Quia ſunt aliquæ rerum notæ, quæ niſi in primis gradibus poſſunt intelligi: quarum res à pueris ignorantur: vt Dialecticorum,

lectionum, Rhetorum, Mathematicorum, Philosophorũ, & Sectarum atq; familiarum in Philosophia, propria & verba & nomina, & loquendi modi.

Deinde propositũ nobis est: ostendere, qua ratione gratus & iucundus stilus existat: & facultas acquiratur declamandi atq; dicendi. Hæc verò ephemeridum ratio, ad Philosophiam ex rerum partibus conformata: nisi per omnes classes custodiatur: neq; compleri loca poterunt: neq; promta poterit esse memoria. Continuata verò & perpetuata, copiam accumulat: memoriam confirmat: per omnem rerum naturam oratoris & scriptoris animum sensusq; deducit: vt neq; res eum deficiant: & ipsa verba cum rebus suis, quarum notæ sunt, sua sponte, non quæsita, obuiam animo & propè oculis occurrant, etiam subitò differentis.

Sed primus labor in hisce infimis ordinibus: non solùm pueris, verùm etiam præceptoribus difficilior est: eóque maior adhibenda diligentia & industria est: cùm puerorum: tùm imprimis magistri: qui si officium deserat: tanquam olei fæctor hostum nequam faciet. Ergo ex nona classe progressos pueros: is, qui octauæ præpositus moderator est: industria & cura & complexu suo fouebit: & quam secum ex nona classe apportabunt verborum & formularum supellectilem: eam & ipse scire debet, & admonere, vt pueri custodiant: & alia ipse quotidie addere: vt quotidie habeant, quod simul arent, seminent, metant. In scholis enim maior est & facilior, & maturior, quàm in re rustica, opum comportatio.

Huius classis moderator argumenta etiam poterit proponere, patrij sermonis minutula, paucarum sententiarũ:

extra

extra ambitum, qui pueros fatigat: quas incisis & membris, non conuersionibus separabit: verba etiam præibit: etiam ea, quæ in ephemeridibus habent: ita vt non domo adferant ad ludum à doctioribus adolescentibus suppeditata: sed in sua quisq; decuria in scholis à se subitò confecta: spectanti atq; inuenti ostendant moderatori: qua ratione & subsidio præceptoris: & eiusdem laudatione: & contentione condiscipulorum exhilaratus: nullo afficitur fastidio puer: subleuatus non solùm ephemeridum custodia: sed etiam magistri memoria: qui semper meminisse debet: & quid in ordinibus didicerint inferioribus: & quid ipse adiunxerit, adiungatq; & accumulet quotidie.

In septima ergo curia etiam in hac ratione retinendi sunt adolescentes: opes augendæ: & conseruanda est loquendi atq; scribendi exercitatio: curandumq; huic gubernatori, vt non solùm loquantur & scribant: sed vt purè & perspicuè, hoc est, latinè loquantur: & nisi cum latina interpretatione: nullum ex ore magistri verbum elabi debet nostratis patriq; sermonis.

Quanquam in hac ipsa tribu: eam rationem etiam auspicari possumus: quam tu, Philippe Comes, suscepisti. Mense enim Octobri extremo egressus es ex septima tribu: & iam multas hebdomadas in sexta ita nobis probas operam atq; industriam tuam: vt nos omnes admiremur progressus tuos: neq; tuos solùm, sed etiam adolescentum: quos pater tibi condiscipulos addidit. Quamobrem hoc additamentum in ista curia aggregandum est: vt non solùm copia verborum augeatur: sed etiam accessio fiat nouæ stili exercitatione: cuius tu fastidium iam & in sexta classe, dum per pestē licuit in vrbe esse: et nunc in prædio iamdudū superatū contemnis.

Atq;

Atq; hæc etiam in quinta classe custodiantur. Facilior enim erit labor: si tamẽ labor videri aut nominari debet: in quo manus solùm scribendo mouetur: ex memoria verò ephemeridum: & illa domestica supellectile & præceptoris voce, & ipso exemplo Ciceronis: res rerumq; vocabula: sua sponte substilum defluant.

Atqui ita tribuum inferiorum ratio instituta in superioribus continuanda & perficienda est: vt aliquid semper noui summittatur: vt in vitibus putandis: non solùm fructuarios vinitores palmites parent, fructui anno præsenti: sed reseces atq; custodes faciant insequenti.

Quocirca ad istam interpretandi Ciceronis rationem: quoniam in quinta curia fundamenta iaciuntur poëtica: & syllabarum traduntur moræ, & tempora, & soni, & carminum genera: assonare oportet poëticorum versuum solutionem: iysdem manentibus verbis: sed eorundem perturbato ordine: si non ante sextum eius anni mensem: at vt septimo huius consuetudinis auspicetur exordium. Hoc enim modo: & præceptorum animaduertent pueri vsum: & numerus poëticus coalescet in imbecillis adhuc ingenijs: & verba noua animaduersa: nouaq; compositio: facilitatem simul cum voluptate ad stilum & scribẽdi industriam secum deportabunt. Id enim propositum est nobis in hoc libro: & in eo elaboramus: vt difficultatem & fastidium, duplicem eloquentiæ perniciem: ab hisce exercitationibus depellamus: & singulæ inter se classes non solùm locis: sed etiam materijs atq; rationibus sint discriminatæ. Præterea etiã illud, quòd vt quæq; tribus superior est: ita etiã verborũ copia & rerũ atq; sententiarũ formulis locupletior euadit: si cũ discipulis præceptor etiam officiũ suum diligẽter faciat.

Et in quarto ordine moderator primis mẽsibus, in quinta curia inchoatam solutionem poëtarũ perpetuabit: pluribus propositis carminibus: integris aliquando Horatianis odis explicatis: vt varijs carminum generibus iuuentutem exerceat. Ac postremis mensibus: ita decet soluere poëtæ versus: vt eorum verba & formulas cum oratorijs vocabulis commutet: vel retento à puero genere carminis: vel aliquo, quod velit, alio supposito.

Erit etiam huius officium: in ephemeride poëtica ab oratorijs separare: & pueris eorum ostendere discrimina & varietates: & poëtarum supellectilem: quasi ex altera parte oratorum apparatui opponere.

Sed neq; in hoc collegio negligenda est illa interpretatio, neq; omittenda, neq; remittenda, neq; intermittenda trium inferiorum graduum: sed noua & alia quæsita materia: & nouo comparato diario. Obseruatis enim rhetorum & oratorum exemplis: conquirere ex Cicerone debet locos communes: amplificationes: argumentationes: in quibus aut res graues tractantur: aut insignia latent verborum atq; sententiarum ornamenta: aut benè & artificiosè reconditæ sunt verborum conuersiones fabricatæ.

Poëtæ Ianum faciunt bifrontẽ: nos in hisce scholis non monstrosum volumus esse præceptoris vultũ: sed duobus oculis contenti: postulamus, vt altero oculo inferiores ordines intueatur: & videat, quid ibi pueri didicerint, memoriæ mandarint, scripserint: altero autem longiùs prospiciat: atq; prouideat, quid in superioribus doceatur: vt ad illarum rationem: sua industria in suo ordine viam sternat.

Itaq; hæc exempla non idcirco solùm congregabit: vt pueri habeant, quod vertant, atq; commutent: & reuocent

in Ciss-

in Ciceronē: sed etiam, vt cùm ad superiores curias progrediuntur: exempla secum adferant: & stilo & memoria confirmata: quibus rhetorica & dialectica in supremis duabus classibus illustrentur præcepta: & illi duo præceptores habeant: quod in explicandis præceptis: interrogent discipulos: & discipuli exempla habeant: ex quibus moderatori queant respondere & perspicuè videant adolescentes duarum maximarum artium, alterius disserendi, alterius dicendi: vsum atq; facultatem.

Opinor iam clarum esse: quomodo hæ duæ classes à sese distinctæ sint: & quam habeant inter sese necessitudinem atq; societatem. Quare iam tempus est, vt ad tertium ordinem transeamus.

In hoc loco maior potest esse & crebrior stili exercitatio: propterea quòd hic adolescentes liberi sunt atq; soluti grāmaticis præceptis linguæ latinæ: & mediocriter tenēt, sermonis græci cuiusmodi sint fundamenta: & adhuc à dialecticis & rhetoricis præceptionibus vacatio illis concessa est: quæ in secunda & prima curia tradūtur. Hic verò vel autores solùm vtriusq; linguæ interpretantur: vel exemplis pluribus confirmantur discipuli, grammaticarum regularum, quas tenent: ita vt memoria illarum exemplis renouanda sit & confirmanda in hoc ordine.

Quocirca ocium hic datur maius ad augendā verborum & formularum copiam: ex ijs libris, quos à magistro explicari audient: neq; intermittenda est hîc illa rhetoricorū locorum & exemplorū coaceruatio, atq; interpretatio eorundē, & eò maiora hæc esse decet: & crebriora, quò maius ocium suppeditat: & facilior euasit hæc conuertendi ratio: quam in septima & sexta instituerunt.

Sed & græcas orationes, quas ex Demosthene propositas habent: transferre debent: non solùm ad sermonẽ latinum: verùm etiam vernaculum. Habet enim nostras etiam oratio suum eloquentiæ ornatum atq; facultatem. Etquanquam maiorem volumus esse exercitationem orationis latinæ, quàm Græcæ: tamen hæc consuetudo Græca conuertendi atq; cõmutandi cum latinis: etiam latini sermonis facultatem accumulat. Verùm, vt dixi, illa interpretandi via, quam in primo gradu huius consuetudinis collocauimus: hic non omittenda est: sed vel tota oratio Ciceronis aliqua exuenda Germanicè est, & rursus induenda latinè: vel partes aliquot, membráue insigniora, quæ cæteris placebunt. Quibus verò adolescentibus propositum est: in scholis docendo ætatem transigere: & duarum linguarum scriptores explicare: hi etiam, vt in imis sit ordinibus: græca latinè conuersa: ex latino sermone, clauso libro, quasi postliminio: patriæ & ciuitati suæ restituere debent: & in hac tribu, huius exercitationis incipere exordium.

Apparet igitur ex his, quæ de hac classe præcipimus: diuersam hic esse exercitationem ab illis, quæ in ordinibus inferioribus demonstrata sunt: retentis tamen ijsdem vestigijs: facilitate etiam propter vires puerorum confirmatas: si non maiore: at certè æquiparata.

Supersunt igitur duæ primæ classes: in quibus dialectica & rhetorica præcepta traduntur: quorum occupatio non potest hunc stili vsum impedire. Non enim ita difficilia sunt adolescentibus in hisce duobus locis, quæ explicantur à magistris: vt in humilioribus septimo & sexto fuerunt. Secum enim ex quarta & tertia classe adferunt

multa

multa exempla rhetoricarum præceptionum: & instructi sunt à copia verborum: & intelligentia cum ætate cõfirmata est: & auxilia accipiunt à doctioribus condiscipulis: aliȝq; multis adiumentis leuantur.

In hoc igitur secundo ordine breuiores orationes Ciceronis germanicè traducentur totæ, aut loca insigniora: consimiliter Demosthenis etiam: vt quod in tertia primordium cepit: hic maiores conatus habeat.

Sed progrediendum vlteriùs est: ad secundum gradũ, quem deinceps trademus: et natura inferiori proximus est.

Constitit autem primus cùm per se: scriptione geminata: tùm antegressione eorum, quæ in nona instituta sunt, vocabulorum congestione & memoria: & accessione eorũ, quæ in octaua adduntur: quæ ad vocabulorum digestionẽ formulas sententiarum adiungit: sed singulis incisis atq; membris argumentula complectitur: germanicè præscripta: vocabulis etiam latinis: atq; formulis à moderatore præmonstratis.

Alter verò iste gradus, de quo breuiter percurram, quæ sentio: totas orationes in manus sumit & versat: & memoriam addit, vt publicè etiam recitare memoriter possit: & actione non solùm cum suæ classis atq; superioris condiscipulis: sed cum publicarum etiam scholarum auditoribus contendit de gloria. Qua in re natura plurimùm potest: sed eadem excolitur industria exercitationis.

Sed satisfaciet adolescens officio præceptori suo: si binas quotannis hac ratione conuertat: & memoriter pronunciet. In conuertendo autem hic labor non debet subsistere: sed augeri hic modus debet: cùm magistri præscriptione: tùm natura & industria discipuli: qua in re totius

negocij summa consistit: vt velit, vt libenter velit, vt delectetur: vt quodammodo in summo studio & industria: ipse sibi non satisfaciat: vt satisfaciat autem, elaboret.

Adhuc credo te credere, Philippe Comes: nō esse posse difficultatem in hac consuetudine: neq; item fastidium: siquidem tu ista potes efficere in sexta classe: in hac imbecillitate tuarū virium: & ætatis prima adolescentia: quod in robustioribus expectamus: præsertim cùm multis commoditatibus verborum & sententiarum doctrinæ sint, aut certè esse debeant locupletati.

Memini autem me ante aliquot annos in quadam Lutheri epistola legere: quæ est in bibliotheca Conradi Huberti: ad Wolffgangum Capitonem: nihil sibi suorum scriptorum placere: præter Catechismum suum: & librum de seruo arbitrio: idem ego in hac disciplina stili sentio: cætera omnia pro nihilo propè esse: nisi summa cura sit in ephemeridibus custodiendis & augendis: & nisi in hac puerili exercitatione, quotidiana pensa exigant moderatores classium à suis discipulis: vocabulorum & formularum: tùm etiam exemplorum: nō tantùm in curijs inferioribus: sed etiam in summis nostræ Academiæ gradibus: & in eloquentiæ fastigio.

Sed idem mihi eueniet in hac confectione: quod in reliquis etiam euenit. Canimus sæpe surdis: respondent omnia syluæ.

Verùntamen quasi ista profutura sint, ita pergam ad primam tribum progredi: in qua & primorum meminisse: & ad vsum reuocare: & his ipsis inferioribus: sua quædā addere oportet. Non enim binis contenti sumus: sed tertiam aut quartam, si fieri possit, orationem ex Cicerone addendam

dendam censemus: vt etiamsi eadem ratio retineatur: augeatur tamen labor industria. Quò enim vberiores segetes: eò plus operæ in messe collocandum est.

Neq; istud in Cicerone solùm faciendum est: sed etiam in Demosthene: idq; duplici ratione & modo. Duo enim genera orationum sunt.

Vnum earum, quas explicatas à magistro habent: quì labor facilimus est: præmasticatus quodammodo à præceptore: ideoq; tribus etiam inferioribus cõmunis: nisi quòd in hac curia maior materia cædenda est: & ornamenta oratorij topiarij artificiosiùs conquirenda veniunt: cognitis præsertim rhetoricis præceptis: & oratorum exemplis in ephemeride rhetorica annotatis.

Alterum earum orationum est: quæ in scholis interpretatæ & explanatæ non sunt: sed translatæ à literatis hominibus: quorum opera permittimus vtantur: sed ita, vt contendant cum illis: perspicuitate & puritate. Atq; istud facilius & liberius facere, quam illi, poterunt. Coacti enim illi sæpe sunt verba græcorum consuetudinis sequi: neq; potuerunt ab illorum fontibus recedere: in hac verò exercitatione, concessum est Græcorum instituta & actionum formas: cum Romanorum moribus atq; legibus commutare. Conuersiones etiam verborum: quo nomine iam sæpe periodos voco: membris extendere, vel pluribus vel longioribus: ipsos etiam ambitus & circumductiones verborum dissecare: & ex vna composita comprehensione, duas simplices conficere: ita vt hellenismis artificiosè Græcorum occultatis: sola latinitas appareat Romani sermonis.

Vtrunq; hoc genus conuersum & quasi Romana veste indutum:

indutum: licet in scholas publicas tanquam in theatrum adferre: & in ludo: quasi seriò causas forenses agere: & cum publicis actoribus rhetoricis, voce, vultu, motuq; & gestu corporis decertare.

Atq; hæc de prima classe. Publicis verò auditoribus, & quæ in secunda classe institutæ est forma: & in prima retenta: eadem hîc confirmanda est: vbi tertius gradus rhetoricarum exercitationum est constitutus. Superiore enim anno oratorios discipulos in scholas tanquam in forũ & iudicium produximus: qui Ciceronis orationes recitarent: vel potiùs easdem causas agerent, quas Cicero: quas quidem adhuc saluas habemus: & in his agendis speciem aliquam veritatis imitarentur: grauitate, hilaritate, dolore, lætitia: sermone, vociferatione: vt ut partes singulæ exigant: & decorum postulare videatur: esset etiam in eodem loco quæsitor iudicij ipsiq; iudices: fasces etiam consulares: & lictores: viatores etiam: & circumstans corona eorum, qui audiunt: imprimis verò rei & litigatores vtrinq;: patroni & amici, quos ipsi sibi aduocarint, qui causas dicunt. Et placuit hæc ratio plerisq; omnibus, & adhuc placet ijsdem: & sensimus, nullius actionem fuisse vlli fastidio, etiam longiorem: quam hæc exercitatio requirat.

At inquit aliquis: multum interest inter veritatem & speciem veri: & omnia hîc ficta & simulata: non veri iudices neq; quæsitor verus: & oratorum horum & reorum: non à dolore expressa lachrymæ, sed imitatione simulatæ: non periculum metuunt actores tui: non infamiam verentur: non exilium, non culeum parricidæ timent: simulata & falsa omnia.

Si hæc

Si hæc vituperatio nostræ istius nouæ rationis locũ habere debet: reprehendatur etiam Iphigenia Euripidis, & Aiax Sophoclis: condemnentur omnes fabulæ: quarum actionem, & simulatum vultum & clamores, veræ spectantis populi lachrymæ, & acclamationes sunt subsecutæ.

At poëtarum ludi magnifici: theatro, scena, personis, vestitu: & acta omnia artificiosè ab histriombus & ab ijs, qui modos faciebant: tui verò adolescentes quid repræsentare queant huiusmodi?

Sed neq; satyra aut tragœdia magnifica habuerunt exordia: illorũ enim etiam plaustra placebant populo & rusticanis hominibus: & primæ feces histrionum delectarũt spectantem & audientem populum: neq; primæ histrionum actiones eam adferebant artem: quæ post adinuenta & addita fuit: multa tempora docere solent, & addere artibus tempora multa cõsueuerunt. Neq; Demosthenes subitò: neq; Cicero derepentè, vt Comici loquuntur, oratores extiterunt: prima à magistris didicerunt: secunda exercitatio adiunxit: tertia vsus docuit: qui & ipse arte ingenioq; oratoris: cùm corrigitur magis, tùm etiam amplificatur.

Est aliquis alius, qui dicit: neq; semper bonum esse, adolescentes fictè loqui, simulanter agere. Nos verò neq; semper ista agi volumus ab adolescentibus: terminos nostrarum scholarum definiuimus: & quæ faciunt: nõ mendace natura faciunt, sed, quod decet, præceptorum suorũ & magistratus sui mandata faciunt: obedientia est: non impudentia: facere, quod facere iubent: quorum voluntati non potes resistere. Neq; præceptores dedecet mandare: sine quibus res magnæ comparari non possunt.

Sed cõtra has rationes: multas habeo vtilitates, quas

adducam in medium, & demonstrabo, hanc rationem, & consuetudine confirmabitur: tam honestissimam esse, quam est vtilissima: perutilem verò esse & perneccssariam.

Hac enim via nos vindicabimus nobis ratione: quod temporum iniquitate à Romanis ciuibus ablatum est. Duabus enim rebus Populus Romanus fuit clarissimus, potentia rei militaris: & eloquentia. Nihil enim formidabilius omnibus gentibus: quàm perpetuus exercitus: quàm legiones: quarum nomen hostibus erat horrificum. Nullū maius ornamentum domi: nullum militiæ, quàm oratio defendens vbiq; populi iura, leges, rempublicam: & mirabile est in Dei prouidentia: quòd Romanis dedit linguam & sermonem: ita flexilem & concinnam & sonantem: vt nullius gentis populiq; oratio Romanorum orationi anteponi possit: & cum Spiritus sanctus tribus vsus sit præstantissimis linguis: quibus homines docuit & ornauit: Hebræorum, Græcorum, Romanorum: tamen Hebraici & Græci sermonis inter doctos tantùm, eosq; non plurimos est vsus: Romanus verò per omnes nationes & populos & regna commeat: neq; vsquam gentium venias: vbi non latinum aliquem hospitem inuenias: qui viam proficiscēti monstret.

Ergo huius linguæ honestissima est comparatio: sanctissima exercitatio: quod in tribus diuini spiritus muneribus, Deus voluit vbiq; esse, & esse perpetuum: & si vnà cum sermone Imperium Romanum debilitatum statim fuit: reuocandum eloquentiæ studium: quæ maximam semper vim habuit: ad docendum & persuadendum res honestissimas: eius linguæ verò præcipuè: quam Deus hospitalem esse voluit: quàm latè terrarum orbis patet hominibus.

Hanc

Hanc Roma amisit, & hæc iam in medio proposita est industriæ hominum: vt quæ velit: eam suis ciuibus Respublica recuperare possit.

Duobus cõmodis Græcorũ & Latinorũ filij nostros liberos superarunt: primùm, quòd à matribus, & æqualibus, & domesticis sermonem accipiebant: & absq; præceptis latinè loqui poterant: alterũ, quòd actores Comicos & Tragicos quotannis sæpe spectabant: oratoresq; quotidie audiebant: de grauissimis negocijs causisq; inter se differentes.

Hæc commoda si in nostram scholam reuocare possemus: cur non assequamur id industria, labore, diligentia: quod illi temerè & sola consuetudine possederunt: vt latinissimè loquerentur?

Ergo huic detrimento, duo inuenienda erant remedia: quorum vnum est diariorũ & ephemeridũ, de quibus iam sæpe facta mentio est: quam rationẽ ego tanti facio: vt nisi per omnes classes excolatur: nunquam ad frugem laudabilem peruenire possimus. Vt enim in vineis cõstituendis: nouellæ vites, earumq; primi surculi atq; viuæ radices, nisi primo anno diligenter custodiantur, & mensibus singulis liberentur ab herbis noxijs, & occentur, retorrescunt: & fructum simul cum pulchritudine amittunt: sic etiam nisi à primis annis atq; ordinibus infimis, hæc ratio ephemeridum adhibeatur, & per omnes ordines recolatur: actum de copia est & puritate sermonis latini.

Altera ratio est posita in hisce actionibus: quarum defensionem in hoc scripto & in hoc loco suscepimus: & quam in nostris scholis vsurpandã esse censemus: & vsurpari iamdudum incipit.

Distribuimus enim propè omnes orationes Ciceronis,

singulas singulis adolescentibus: publicarum scholarũ auditoribus: quas recitent, quoties placitum erit: placitum autem erit, si fieri potest, quotidie.

Deinde concessimus interpellationem: & aduersarium interloqui permittimus: atq; ita respondere illum Ciceroni mortuo sinimus, quasi viueret: & ita puer sese exemplo applicat, quoad potest: vt oratio interpellantis cum Ciceronis oratione contendere videatur.

Deinde iudicium constituimus: quæsitore vno: iudicibus pluribus, quos præpositus iudicij sibi aduocauit: aut quos Senatus Prætórue dedit. Magistratum etiam addidimus & populum circumstantem: & vt in Tragœdijs poêtæ Heroës imitantur: & in Comœdijs rusticos homines: sic nos vera iudicia in veris causis instituimus: & quasi gladiatorum, sic oratorum paria introducimus.

Ex hac consuetudine hæc consequentur commoda, quorum primum est: quòd omnes orationes Ciceronis vno anno recitari in scholis poterunt: idq; aut nullo aut non magno labore. Quid enim laboris est, vnum aliquẽ vnam orationẽ vno anno mandare memoriæ. Atq; ex hisce crebris atq; etiam quotidianis vnius horæ recitationibus: illud assequentur adolescentes: quo hucusq; caruimus commodo: vt quasi Ciceronem loquentem, & rediuiuum audiant: si non eadem aut forma aut ætate motuq; & gestu: attamen illius verba audient: illius cognoscent sententias: illius periodis assuescent: & ex vnius ore omnes & singuli quotidie audiẽt: quod ipsos in Ciceronis vestigijs retineat.

Ad hanc vtilitatem accedet: quòd vera & eadem altera audient intelligentia: nullo interposito dierum interuallo: quod à præceptoribus, vt plerunq; fit, aliquot mensibus

sibus non potest explicari. Adde quòd cum non parua voluptate spectantur actores: audiuntur: dum æmulatio inter ipsos excitatur: si alter alterum conetur superare: memoria, venustate, stilo, qui expolitur: dum interpellationes domi à se conscriptas adferunt: dum etiam aduersarias domi à se factas in hac palæstra agunt: si non reuera: at imitatione veri: & studio vero laudis atq; vtilitatis.

Augebitur etiam hæc voluptas, cùm easdem causas Germanico patrioq; sermone conuersas agent: neq; eloquētiæ vsus solùm intra Romana pomeria incluſus latebit. sed ad vnuscuiusq; linguam & ad patriam cuiusq; transferri poterit: & accursu & spectatu suorum ciuium magis ipsi, qui agent, excitabuntur: plures etiam existent condiscipuli, qui volent æmulari.

Comœdiarum actiones multi improbant: propter molles meretricum gesticulationes: parasitorum & lenonum sales spurcos: in quibus corruptelam morum esse putant: at in his nihil horum: omnia vtilia, seria, seuera, grauia: plena dignitatis, plena ciuilitatis.

Et vtilitatem igitur habet hæc consuetudo: & necessaria est: ad veterem Romanorum morem recuperandum: quo commodo Romani adolescentes nostræ ætatis iuuentutem superabant.

Arbitror etiam iam constare: quomodo paulatim per omnes classes exercitatio progrediatur, & vt inferiorum tribuum exercitationes: protela sint superioribus: ad consummandum cursum eloquentiæ: & quam inter se habeāt vicinæ classes necessitudinem, & quæ cuiusq; ordinis sint propria: vt etiam primæ classis exercitatio à publicis scholis differat, non obscurum est. Illic enim, vt hic, etiam

orationes memoriæ mandantur, & aguntur, & conuertũtur: at hic interpellationes scribuntur: & noua fit quasi iudiciorum & curiæ forma: à Romanis quidem non vsurpata: at in scholis tamen vtiliter instituta. Orationes etiam hic contrariæ conficiuntur: vt proximis hisce diebus fiet. Rehagius enim Antimilonianam à se confectam aget, & Ciceroni audebit aduersari. Hic etiam Demosthenes aliquando latinè dicet: & mutato Græco & Attico pallio, togam in forum & populum adferet Latij.

Illud etiam proprium est publicarum scholarum: quòd in his non solùm Ciceronis debent bonis vti: sed propriam possessionem comparare: & causas nouas fingere: & integras orationes facere: in quo instituto duo sunt argumentorum genera.

Vnum græcorũ rhetorũ: vt in Hermogene apparet: atq; etiam latinorum, vt videre est apud Senecam & Quintilianum: quod genus totum fictum est: cui etiamsi motum adhibeas: tamen non æquè placere potest, atq; alterũ, quod in veritate positum est: & ad audiendum atq; spectandum est grauissimum: & inuentionem habet faciliorem.

Primum enim illud tantum habet solùm facultatis: quantum statuum capita suppeditant: at istud alterum, secum adfert suas opes, ab alijs quasi relictas: & nostro traditas hæredio. In horũ numero sunt sacræ cõciones: Euangeliorum explicationes: Prophetarũ explanationes: quæ ad populum nostrum adferri poterunt: si oratorũ more tractentur: exordijs grauibus: narrationibus apertis: confirmationibus varijs & firmis: amplificationibus in rebus magnis: moribus corrigendis: virtutibus commendandis: exemplis insignibus illustrandis: quorum omnium vestigia

extant

extant in patribus: & nostrorum theologorum commentarijs. Quis non hoc genus causæ cuiuis causæ Ciceronis & Demosthenis anteponat?

Adiungi etiam istis poterunt Philosophorũ dogmata: & quæstiones: & loca insignia: siue sermone & disceptatione expedienda sint: siue oratione perpetua dilatanda. In hoc genere argumentorum etiam sunt causæ actæ in iudicio Imperij nostri: Principum, ciuitatum, populorum: multorum annorum cognitione explicatæ: vna extrema iudicata sententia: quas causas nostri Iurisconsulti Ludouicus Grempius: Bernhardus Botzheimius: Ioannes Neruius: Syndici ciuitatis nostræ, non recusabunt communicare: vt sunt doctissimi, & vt amantissimi nostrorum studiorum.

Horum duorum generum facilis est inuentio. Habent enim propè omnia inuenta: ordine opus habent alio: addenda multa, multa etiam auferenda: multa coaceruanda: multa separanda, & illustranda oratorijs insignibus: cuiusmodi adolescentes in Cicerone & Demosthene obseruauerint.

Sed illa Hermogenis & Senecæ & Quintiliani themata, habent aliqua etiam propria commoda. Nam cùm exemplis vtuntur oratores pluribus & crebris autoritatibus legum, & rerum iudicatarum: etiamsi his destituta sit iuuentus: tamen fingi leges & exempla possunt: quæ etiamsi nulla ætate extiterint: tamẽ antiquitatis aliquam habebunt gratiam. Et Cicero atq; Demosthenes, quoties exemplis destituebantur: rhetoricis vtebantur fictionibus: quas πλάσεις appellabant.

Illud etiam bonum est hic præcipere, quod antea sciri oportuit:

oportuit: quam quisq; Ciceronis orationem recitabit, aut transferet: eandem debet resoluere: & solutam ad vtranq; ephemeridem deportare: quarum alteram verborũ esse diximus & formularum: alteram exemplorũ, locorum communium, quæ Theses appellantur: argumentationum, conclusionum: amplificationum, exornationum: & quæ loca in huiusmodi diarijs pleniora erunt: ex illis codices conficere: qui partitionibus & distinctionibus, & gradibus erunt digerendi, & redigendi ad naturæ ordinem, hoc est, accommodandi ad partes totius Philosophiæ, quæ naturæ & imitatrix est, & adiutrix, & sæpe emendatrix.

Quærat fortassis aliquis, cur tam multa ego de rhetoricis exercitationibus: & nihil de poëtis? quia Hertelius de his me non interrogauit: poëtas tamen velim scholis nostris esse commendatos.

Sed hi cuiusmodi esse debeant: ex hisce oratorijs est animaduertere. Aequè enim Comici & Tragici poëtæ suas fabulas docebant Romani & Graci: ac oratores suas causas agebant. Aequè etiam Homerus suas rapsodias: & alij poëtæ sua poëmata: aut publicè ciuibus: aut priuatim amicis & recitabant & canebant: atq; Aeschines Demosthenis & suam orationẽ Rhodi recitãdo pronunciauit.

At quoniam diuersa poëtarũ oratio est: & differens ab oratoribus verborum genus: cùm singulorum, tùm consequentium: poëtica ab oratorijs segreganda sunt: vel diarijs & codicillis seorsim confectis: vel in ijsdem ephemeridibus: quasi è regione inter se oppositis: & columnis inter se aduersantibus genere verborum, & modo tractationis.

Vehementer ego laudo poëtas: & hanc exercitationem nõ mediocriter probo: sed allia & serpilla odi nostræ ætatis

poëtarum

poëtarum multorum: atq; in bucolicis etiam Idyllijs & eclogis: velim nostrorum poëtarum carmina esse: qualia sunt apud Vergilium Corydonis rustici amatoris munera: quibus Alexin conciliare conatus est:

Huc ades ô formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Naïs
Pallentes violas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florem iungit benè olentis anethi.

Sed de hac exercitatione aliâs: cùm dabitur otium. Hoc verò tempore tibi, Philippe Comes, ista scribere placuit: vt quod facio impulsu amicorum necessariò: id ad te scribens libenter faciam. Amo enim mores & studia tua: & in his delector progressibus tuis, præsertim hisce, quos facis in stili tui exercitatione: & hæc scribenti mihi ob oculos versatur parentis tui Hermanni Simonis vultus atq; humanitas: & matris prudentia & grauitas: & vtriusq; vota. Leuauit etiam huius scriptionis laborem Conradi Suicheldy præfecti tui voluntas & cura: qui tuos profectus suos esse putat. Macte igitur tu cùm virtute & natura tua: tùm patris matrisq; optatis: & votis moderatoris tui: & valetudini tuæ inserui: vt te breui & tibi & studijs tuis: & parentibus patriæq; tuæ tuoq; populo: nobis etiam omnibus restitutum habeamus.

FINIS.

IOANNIS STVRMII, DE AMISSA DICENDI RATIONE, ET QVOMODO EA RECVPERanda sit, Libri duo.

Emendati, & aucti ab ipso Authore, & capitibus distincti.

ORNATISSIMO VIRO ET prudentissimo Iureconsulto, D. Ludouico Grempio, Ioannes Sturmius S. P. D.

SCRIPSI FROSSIO, ANTE ANnos quinq; librum de amissa dicendi ratione, quem iam recognitum tibi mitto, Ludouice Grempi: vt etiamsi liber eundem patronum non habeat: tamen habeat similem: & eum, qui Frosio successit, amicũ meum, virum optimum, hominem doctissimũ, iureconsultum prudentissimum. Inuestigaui causas, in huius libri confectione, amissæ eloquentiæ: quas si inueni, demonstraui homini intelligenti rationem etiam eandẽ recuperandi. Si assecutus sum, quod volui, benè est: sin minus, tamen me meorum laborum non pœnitet: quibus literarum studijs non obesse, & amicis gratum facere constitui. Hanc epistolam tibi ad hesternum πέπαις ὑάλινον adijcio: cuius memor eris, quoties hæc legeris. Vale. Argentorati, quinto Idus Februarij. 1543.

IOANNIS STVRMII, DE AMISSA DICENDI RATIONE, ET QVOMODO EA RECVPERANDA sit, ad Franciscum Frossium, Iurisconsultum, Liber primus.

προλεγόμενα.

EA RERVM BONARVM, FRANcisce Froßi, natura est: vt qui meliore mẽte præditi sunt, eos ad se amandũ excitẽt: quibus verò vitiosum est & peruersum ingenium, hos aut iniquos habere, aut certè non multùm delectare videantur. Sed illud mirabile est, cùm bonarum & malarum rerum contraria vis sit atq; natura: cumq; viri studioßi, hominibus non bonis permultùm sint dißimiles: esse tamen magnam, in erroribus, consensionem generis humani. Pluribus enim in locis, non solũm, quæ inferiora dignitate sunt, ita ab hominibus non malis exercentur, vt melioribus anteponantur: sed mala etiam sic excoluntur: vt rebus præclaris non locus ad laudem retinendam relinquatur. Nam Regna & nobiles populi non modò improbis militum ducibus maiora, quàm ciuili scientiæ præmia constituerunt (esset enim hæc ferenda comparatio) sed luxus etiam, quod grauißimum est, & ambitio, & impudentia, ita vsu atq; consuetudine recepta sunt: vt frugalitatis, & integritatis, & pudoris exigua ratio habeatur. Hoc tùm deprauato iudicio naturæ malæ, tùm etiam bonorum ingeniorũ fit imbecillitate. In rebus enim arduis & præclaris via & ratione est opus: & cùm omnia

præclara difficultatem coniunctam habeant: tamen destituuntur plerunq; ordine & modo etiam laudata ingenia: quo fit, vt rerum pulcherrimarum studia contemta iaceant, & ea laudabiliũ artium doctrinæ magno consensu præferantur, quæ à vitiosis naturis solent celebrari. Quàm verò sit eius, quod excellit, difficilis & ardua inuentio hinc videri potest: quòd eiusdem, postquam perfectũ traditumq; est, non potest diu, vt nõ contaminetur, vsus retineri. Purissimè maioribus nostris diuina voce tradita religio est: sed eadem non multis pòst annis ita est deformata, ita deinceps vitiorum & cupiditatum licentia, atq; indulgentia labefactata & corrupta: vt qui locus portus esse putabatur & statio doctrinæ Christianæ: is malarum artiũ sedes, & scelerum vitiorumq; perfugiũ extiterit. Est hæc natura cum rerum omnium bonarum, vt facilè hominum cupiditate & stulticia vitientur, tùm præcipuè vt religionis, sic etiam rationis dicendi. Cùm enim maximè floreret Romæ eloquentia, ibi nõ multis annis ita deformata & spoliata est, vt neq; inde ad nostra tempora vetustæ sit restituta elegantiæ: & posthac perpetuò sua pulchritudine, quam in natura habet, inter homines caritura videatur: nisi aliqui oriantur, qui maximo ingenio præditi, nobis ordinem viamq; illam in discendo ostendant, quæ veterũ Romanorum Græcorumq; rationi sit quàm maximè consentanea. Hanc enim propè vniuersam amisimus: & nisi magni nobis viri diuinitus dentur, qui eandem perditam inueniant atq; reportent, nulla spes erit reliqua restituendæ & instaurandæ nobis eloquentiæ. Etenim si cùm maximè atq; mirabiliter exculta esset, tùm non potuerũt eam summa ingenia conseruare: maximopere his temporibus arduum erit,

rem erit, amissam recuperare, & suo quasi reddere populo. Inuestigandæ igitur nobis hoc in loco, Frosti, causæ sunt, quamobrem nunc careant illa ciuitates: & cur, posteaquā ætas superior habuerit homines & doctrina & diligentia excellentes, & nostra ingenijs etiam non malis abundet: tamen propè nihil absolutum perfectumq; oratione cognoscatur. Nam tametsi per Germaniam permulti sunt, vt nosti, qui in sermone quotidiano linguam & puram & ornatam habent: tamen non eam habent magis politam, quàm hi, qui cum Ennio aut cum Thucydide vixerunt, quos cōstat eleganti sermone & graui oratione vsos esse, sed facultate, vsu atq; natura comparata, non arte perpolita. Quibus etiam per Italiam melior mens ad imitationem summi & præstantissimi oratoris excitata & erecta est, hi mihi velle eloquentiæ laudem scribendo, nō dicendo, consequi videntur. Qui verò paulò vixerunt ante hæc tempora, ij suo quisq; genere delectatus, imitationem optimi non perpenderunt. Quam igitur causam esse dicemus, quò minùs eò, quò veteres peruenerunt, nos quoq; accedere possimus? Hāc si cognouerimus, quamobrem amissa est: etiam, quomodo recuperari debeat, poterimus animaduertere.

CAPVT I.

VIdebimus, opinor, hanc, si, quæ summis viris proposita fuisse atq; placuisse cōstat, considerabimus. Crassus apud Ciceronē cùm omnia, quæ oratori necessaria sunt, subtiliter & verè notat: tùm etiam rationem indicat & ordinem signat, per quem id, quod volumus, assequamur. Neque ambiguum est, Ciceronem eo sermone, quem Crassus

habuit, sententiam suam expressisse: in qua tùm erat, cùm illa scriberet. Non enim sententias solùm singuli suas in illa disputatione declarant, sed naturam etiam, & ætatem, & tempus, significant. Quæ verò sunt illa, quæ Crasso, & Ciceroni placuerunt, in dicendi studio, ad considerandũ annotare? Dicam equidem, Frosi, sed non quasi vnus ex his, qui maximo ingenio, vt dixi, & missi diuinitus amissam eloquentiam reddere nobis debent: sed ita dicam, vt is, qui huius rei studiosus & cupidus, neq; amicis, neq; cuiquam, qui viuit, quod à se annotatum obseruatumq; sit, & quod ad publicas vtilitates pertineat, velit incognitũ. Prodesse cupio nostris hominibus: non mihi laudẽ comparare: quam si aliquam consecutus fuero, volo eam publicis vtilitatibus æstimari. Sunt autem hæc, quorum Crassus meminit, natura & studium, educatio doctrinaq; puerilis, cognitio subtilior, ratio literarum, consuetudo sermonis quotidiani, lectio scriptorum, vsus, memoria, studium permanens. Omnia enim, si, quæ in diuersis locis meminit Crassus, colligantur, intra hæc nouem consistunt. Itaque sicut eloquentiam: vt Apollinem, atq; Mineruam nouem Musis poëtæ præficiunt: sic nos hæc nouem oratori, & sapienti subijciamus. Non enim sapientiam ab eloquentia separamus: neque patimur cordis rursus atq; linguæ dissidium fieri. Quare ad reconciliandam amicitiam orationis & cognitionis, rectè illa nouem ad obseruandum præcipit siue Crassus, siue Cicero: vtriusq; enim habenda sententia est. Quid igitur est in his, quod ætas nostra magis, quàm illorum desiderat? In quo illi nobis sunt beatiores? vbi illa sunt, quorum nos destitutione miseriores sumus? Videmus annis iam compluribus, et industria & subtilitate præclara efflorescere ingenia, linguarum

Nouẽ futuro oratori necessaria.

guarum explicatores, infantiaq; informatores in omnibus ciuitatibus abundare, eloquentiæ doctores præmijs maioribus, quàm antea, comparari, non deesse cæterarũ etiam artium atq; doctrinarũ magistros, summam copiam & oratorum & poëtarum omniumq; scriptorum extare, exercitationem tantam & præcipuè per Galliam, vt eiam his, qui docent, nimia esse videatur: receptum esse in consuetudinem latini sermonis vsum, recordationẽ ingeny & susceptam vitæ humanioris atq; liberalioris institutionem, in multis non nisi morte finiri, & cùm omnia hæc nobis communia sint cum illis, qui tamẽ nobis præstiterunt, quæ causa est, Frosi, tantæ infælicitatis? Certè illud est, quia non satis honorata est, & quia modo atq; ordine caremus, quia exigua ratio iuuentutis habetur, nunquam eam, quam propositam habemus, perfectionem assequemur. Fuerũt per annos nonaginta & amplius inauspicati labores discentium, & summa fuit iuuentutis destitutio. Nam quoniam, qui docuerunt, aut fædam rationem secuti erant, aut nondum eruditam, caruit puericia docta & eleganti informatione: & quibus Deus ingenij præstantiam dedit, illi serò, quid optimum esset, potuerũt animaduertere: quod qui secuti sunt, magnum quidem illi nomen compararunt, sed ex doctrina magna, non ex dicendi ratione tali, qualem veteres tùm Romani, tùm Græci habuerunt. Præterea qui potuerunt illud assequi, cùm literarum magistris parua essent proposita præmia, & ad contemtum maior, quàm ad laudem, locus relinqueretur, scribendo vtilitates attulerunt, docendo parum profuerunt adolescentiæ. Itaq; senescimus, antequam verborum facultatem, & dicendi scribendique rationem assequamur, si tamen quisquam est etiam

decursa

decursa ætate assecutus. Socrates Gorgiam Leontinũ, Protagoram Abderitem, & reliquos Sophistas vehementer insectatur, quòd in magna professione ignari rerum essent: quid si hodie viueret Socrates? neminem certè in literis, & in illa Philosophia posset inuenire, quem cum illis compararet. Fuerunt enim non professionis nouitate magni illi viri, sed rerum etiam habebant cognitionem tantam: vt ciuitatibus admirationi essent: & Gorgiæ nõ inaurata, sed aurea statua, eadẽ de causa, fuit à Græcis constituta. Sic optimè constitutæ Respub. non solùm militiæ & forensibus occupationibus præmia constituerunt: sed liberorum etiam rationem summam habuerunt: neq; vtilitatibus modò: verùm etiam honoribus, literarum & dicendi magistros prouocarunt. Quamobrem non ingenijs solùm consulendum est, sed ciuitates etiam excitandæ, vt quamdiu se nõ posse sine liberorum posteritate consistere sciunt, tamdiu etiã literarum magistros retineant: atq; ita retineant, vt suo vitæ genere contenti, non ad alias, vbi plures vtilitates sunt, vitæ rationes deflectant. Sed non hæc eò dico, quasi ad me etiam istud pertinere arbitrer: neq; enim me inter eos, qui, quod requiro, id possunt, numero: & liberaliter mecum actum est: sed illud velim considerent etiam cæteri homines, nisi propositis vtilitatibus rarò excitari ad res magnas atq; necessarias ingenia. Nisi suscepta & per annos multos perpetuata vitæ meæ ratio delectatione & voluptate retineretur, nisi respicerem, quo me Deus in hominum genere viuere velit, & ad quas res me miserit, iam dudum fortasse commutarem hoc docendi munus, cũ quæstuosa & hisce moribus auara alicuius artis professione. Sed viuendum mihi in literis est, & acquiescendum ei institutioni,

stitutioni, cui me mea natura atq; Deus addixit: inde etiam tantæ nostris hominibus adferendæ commoditates, quantas diligentia & studio potero comparare. Magnũ & arduum opus est, restituere vetustam dicendi rationem. stultum illud polliceri, insani assecutum se putare: sed quia ea rei natura est, vnius hominis vires in tantis difficultatibus succumbent, & multorum opera opus est: res etiam ipsa summum ocium, diligentiam singularem, iudicium exactum, ingenium ad eam rem aptum, naturam idoneam requirit. Itaq; vereor, ne, si etiam ego aliquid coner adferre, videar plus arrogare mihi, quam vel ingenio, vel facultate queam comprobare. Quanquam enim primum mihi & optatum ocium comparatum sit, licet operam diligentiamq; promittere posim, tametsi natura me ad literarum studium duxerit: libenter tamen agnosco, & fateri debeo, ingenium in me admodum esse exiguum, & iudicium ita tenue, vt sine pudore de rebus non debeam pronunciare. Sed enim in ea sum sententia, vt putem, si quid benè fit ab alijs, qui arte præstant, id etiam à rudibus posse non arroganter annotari. Cùm enim nõ parum in faciendo doctus ab indocto differat, in iudicando tamen magna similitudo est. Verùntamen est etiam discrimen, & qui non inuidioso ingenio sunt, & qui sunt publicarum vtilitatum cupidi, in rebus magnis & difficilibus, si quid habent, qualecunq; illud sit, si commoditatem habeat, debent proferre in mediũ, & videri voluisse prodesse & profuisse, quoad potuit fieri, humanis necessitatibus. Itaq; ego in re leui & abiecta, declarare eiuscemodi voluntatem statui, & oratione, quam Cicero pro Quintio habuit, proposita, breuiter explicare, quæ ad intelligendum, & ad ob-

seruandum, & adimitandum pertinere videbuntur. Hoc enim modo videbitur, quomodo amissa sit eloquentia, & qua ratione vetus illa consuetudo exercitatioq; dicendi sit repetenda. Facilius etiam magnarum rerum formæ, quæ sub sensum ipsæ non veniunt, animo teneri possunt, cùm id, quod ab accommodato ad eas perfectoq; habitu profectum est, antè inspeximus.

CAPVT II.

Repetitio illorum, in quibus dicendi ratio consistit.

NOuem ergo illa, Frosi, in quibus dicendi rationem consistere diximus, explicanda nobis deinceps sunt: erant autem illa, ingenij vis & industria, doctrina puericiæ, præcepta Rhetorica, cognitio Philosophiæ, sermonis quotidiani consuetudo, lectio scriptorum, vsus, memoria, continuatio studiorum: si hæc propè omnia demonstrauero à nobis esse violata, causas nimirum indicaui amissæ eloquētiæ, & quare nostri homines ita dissimiles sint oratione perfectis, vt olim fuerunt scriptoribus: si verò indicaro, qua ratione ea consequi possimus, constabit certè aliquo modo, qua via tandem aliquando, sublata ex ciuitatibus, dicendi ratio debeat restitui. Nam vt de natura

I. De natura.

dicam breuiter, corrupta sunt nostrorum hominum ingenia, & deprauata viuendi ratio est. Tametsi enim permulti acumine & celeritate ad intelligendum præditi sunt per adolescentiam: tamen quotusquisq; aut non voluptate emollescit, aut, si hanc euitare potest, manet in libris, neq; ad quæstuosas artes deuolat, antequam puerili educatione sit enutritus? mitto enim maiora illa, quæ post hanc erant antè cognoscenda, quàm vel ad Medicos, vel ad vos

Iurisconsul-

Iurisconsultos deduceretur. Itaque naturæ bonitas, quæ philosophiæ præceptis debebat erudiri & confirmari, ea vel festinatione destitui, vel deprauatione morum corrumpi solet. Nihil tam inimicum studijs est, quàm voluptates & animi mollitia: quorum alterum nostris moribus defensionem nimis facilem habet, alterum præmium virtutis esse creditur, atque à multò maxima parte expetitur. Sed non inde solùm deteriores sumus: non modò deformata voluptatibus, aut aliquo magno affectu impedita natura non sinit nos comparari cum maioribus: non tantùm vitia & festinatio nos à vero abducit: sed etiam, quoniam latinus sermo non est, vt fuit olim, in ciuitatibus, & nõ nisi à paucis, idq; vitiosè vsurpatur, non potest eadem esse ratio puerilis institutionis, quæ fuit olim, & si esset, tamen amisimus eam, & est nunc rudior & difficilior. Quare hac mutata, commutatus etiam sermo est, & pro puro & Romano, impurus atq; peregrinus: pro ornato atq; literato, rudis & illiteratus venit in consuetudinẽ. Hunc secũ Romana & Græca olim iuuentus in scholas, & ad Grãmaticos attulit, eoq; nostris aptior fuit & ad discendum præcepta, & ad cognoscendũ poëtas atq; historicos. Primùm igitur in re ipsa est dissimilitudo & incommoditas: hac ex linguæ præceptione, & nostris temporibus, & superiore proxima ætate, & hodie etiam eadem doctrinarum perturbatio manat: deinde etiam in ratione viaq; tradendi, quam antehac secuti sumus. Fuit enim vaga varietate, difficilis obscuritate, iniucunda diuturnitate: apud veteres Romanos certa erat & aperta & breuis: nos multitudine, prolixitate, subtilitate nostra debilitamus ingenia. Itaq; nos & methodus illa vetusta Grammaticorum destituit, & ablatus est

II. De puerili institutiõe.

loquendi vsus, non ille impurus, quem augemus quotidie, sed latinus & literatus, de quo pòst dicam copiosiùs.

CAPVT III.

III. De præceptis Rhetorices.

IAm verò præcepta illa dicendi, & institutio artis multas habent easq; magnas incommoditates. Nam vt concedam, libros Rhetoricos satis esse multos, & qui eos explicant, doctoresq; dicendi, omnia, quæ ad hanc rationem necessaria sunt, habere: tamen natura repugnat, vt eum doceas dicere, qui loqui nesciat. Quotusquisq; est autem hoc tempore, aut fuit ætate superiore, qui sermonem latinum, si non copiosum, at saltem purum sibi posset arrogare? Itaq; nos aut serò, aut ante verborum copiam comparatã, præcepta cognoscimus, & dicendi magistros accimus tum, cùm vel ante tempus inutilis est exercitatio, aut pòst tempus vix vsus & orationis copia potest esse talis, qualem requirimus. Cùm enim eloquentiæ vsus sit maximus, cùm in omnibus artibus atq; disciplinis, tùm præcipuè in Theologia, & ciuili scientia: tamen quamdiu caremus eloquẽtia, tamdiu ad vsum non fœliciter potest adhiberi. Quousq; etiam consuetudo exercitationis non rectè celebratur, neq; excolitur vsus rhetoricus: eousq; nihil oratione politum, nihil elaboratum industria, nihil copia atq; varietate ornatum à nostris exire videbimus. Est etiam illud incommodum in arte, quòd à Dialecticis præceptis est separata, quæ ante nostra tempora ita fœdata sunt, vt nunc vel barbara adhuc institutione obscurentur, vel non satis in illis operæ collocetur, vel omnino incognita iaceant. Veteres autem illi, quos admiramur, & quorum nos similes esse velimus,

IIII. De Sermonis quotidiani cõsuetudine.

V. De Dialecticis præceptis.

timus, quiq; soli oratores dici possunt, ex hac arte, hoc est, disserendi ratione, & præcepta rhetorica muniebant, & in artis doctrina multa à Dialecticis mutuata ita exercendi consuetudine vsurpabant: vt postquam dicendi vim consecuti essent, nata illa cum ipsis, non disciplina comparata viderentur. Quanquam enim diuisa essent studia in Græcia tum, cùm Socratici cum Sophistis contenderent: tamẽ vtrique partis aduersariæ mitto rationes, sed verba quoq; habuerunt annotata. Hinc est, quòd in rhetoricis philosophorum libris multa videmus posita, quæ antè à Sophistis fuerunt tradita: & apud Græcos, qui de oratoris arte præcepta tradiderunt, in eaq; professione solùm versati sunt, non pauca præceperunt, sumta non ex sua officina, sed ex scholis Philosophorum. Itaq; verisimile est Demosthenem non ignarum fuisse eorum, quæ à Platone de ratione disserendi docebantur, & longè certiùs atq; veriùs intellexisse, quàm hi, qui inclinata dicendi ratione, sese Academiæ & Peripateticis addixerunt. De Cicerone nullum dubium est, qui eloquentiam sapientiæ studio cumprimis reconciliauit. Velim igitur hanc rem nostro seculo non carere exemplo: & eos, qui ex literarum cognitione nomen magnum consecuti sunt: in suis scholis maiorem instituere explicationẽ eorum, quæ ab Aristotele sunt tradita. Tametsi enim propè mihi non ambiguum est, longè copiosiùs eum & docuisse & scripsisse ea, quæ nobis per manus eorum, qui in illa familia manserunt, sunt tradita: tamen, quoniam ea sola extant, & quia nemo melior disserendi magister, contenti eo esse debemus, eiusq; præcepta celebrare. Fateor, non esse in Dialecticis libris plena omnia atq; explicata, multa etiam aliena interpòsita: tamen ita sunt coacta, ita etiam

VI. De lectiõe scriptorũ.

digesta, vt methodus illa, quam requirimus, non sit conturbata. Itaq; dolendum est, non diligentiorem operam in eam rem collocari. Verùm sic est natura hominum, peccant in partes cõtrarias turbata secula. Aetates superiores fœdissimam, & propè perpetuam in illis exercitationem instituerunt: nos verò dum illam vitamus, dum barbari videri nolumus, in summam negligentiam incurrimus, nec patimur, in re necessaria naturam nostram erudiri.

CAPVT IIII.

VII. De rerum cognitiõe.

Sed veniendum nunc est ad rerum cognitionem, ad recordandi vim, ad constantiam studiorum: hæc enim tria ex illis nouem sunt reliqua. Ac quidem querendum non est, diuisas inter se artes, & distincta studia, & separatos à Iurisconsultis medicos, neque vnum vtrang; artem profiteri: vera enim est illa apud Platonem Socratis sententia, quam ponam: non enim nos Gracorũ linguam latino sermone inferiorem facimus: πλείω σε ἔκασα γίνεται, ἠδὲ κάλλιον ἠδὲ ῥᾷον, ὅταν εἷς ἓν, ἢ μὴ φύσιν, ἠδὲ ἐν καιρῷ χολὴν τ' ἄλλων ἄγων πράτῃ. *Si hoc in paruis, & abiectis rebus vult esse Socrates, & secernit agricolas ab architectis, textorem ab eo, qui suta parat, magis nobis id in medicina, & iuris scientia est obseruandum. Sed illa reprehendenda consuetudo est, neq; iurisconsultos eloquentiam ad suam facultatem adiungere, neq; orationis copiæ studiosos, ciuilem scientiam, atq; reliquas artes, ac disciplinas cognoscere: sed vtrosq; sua professione contentos alterius opes contemnere. Est enim aliud discere ea, quæ necessaria sunt susceptæ nostræ rationi* κατὰ φύσιν, *vt inquit Socrates,*

tes, τὴ ἐν καιρῷ: aliud perceptam rationem proferre in medium, eamq; conferre in quæstum, & vti vita instituto. Doctrinarum cognitio, dicendi facultatem non solùm vberiorem, sed etiam illustriorem facit: doctrinæ etiam ipsæ lumen non habent, nisi claritas accedat orationis. Conturbata hodie dicendi ratio est, quòd ordine careat & modo, quem in disciplinis autores & scriptores earundem reliquerunt, & hæ ipsæ obscuratæ sunt fœda & vasta tractatione quorundam hominum, qui antequā loqui latinè scirēt, artes explicare sunt conati. Hi sua autoritate nos à vera via reuocant, & ad loca deuia, & vagabunda, lubrica, & spinosa deducunt. Neque enim mihi dubium est, Frosi, aliam te rationem secutum esse in ciuili prudentia, & aliam nunc animo tenere comprehensam, in tali tantoq; rerum forensium vsu: illud etiam statuere, rectam viam à Iustiniani coangustatoribus legum præscriptam, quam vestri pragmatici, & interpretes corrumperent. Ab eiusmodi ingenijs inquinatæ sunt & obscuratæ omnes philosophiæ partes. Itaq; quod oratori necessariū est, hoc tempore assequi non possumus: vt quantum satis est, varietatē doctrinæ omnem adipiscamur. Hæc defœdatio non solùm sapientiam vniuersam à nobis aufert, sed etiam in singulis eius partibus labefactat memoriam. Illustris enim tractatio, quam adfert eloquentia, & ordinata atq; artificiosa digestio, quæ tum ex caterarum artium cognitione petitur, tum Dialecticorum præceptis maximè informatur, & stabilitur, memoriæ altrix est & custos, quæ nulla re magis aboletur, quàm rudi & barbara atq; scopulosa traditione. Habet illa quidē ortum à naturæ bonitate, & vitiata natura vitiatur etiam memoria: sed cùm indigesta multitudine

Doctrinarum cognitio.

Claritas orationis.

Ordo, & modus.

De recordandi vi.

dine laborat, obruitur plerunq; & cùm non via modoq; alitur, etiamsi magna permaneat aliquando : tamen informis sæpenumero & monstrosa conficitur : nos artificiosam & expeditam requirimus.

CAPVT V.

De continuatione studiorũ.

REstat studiorum perpetuata illa neq; omissa neq; recta ratio, quam in singulis quidem artibus permulti retinent, in vniuersis verò qui ita durent, vt rerum cognitionem semper cum orationis copia coniungant, pauci sunt, qui eam consuetudinem aut omnino aut cum laudabili & præclara vtilitate retineant. Nam complures sunt Astrologi, Geometræ, Musici, pictores, poëtæ, qui sua arte delectati cæterarum rerum doctrinas reiiciunt: Medici etiam & in vtilitatibus comparandis percepta iam arte occupati, & post quæsitas commoditates ociosè & molliter viuẽtes, vt rem laboriosam, sapientiæ studium repudiant. Iurisconsulti tùm in exercitatione artis atq; ciuilibus occupationibus, tùm etiam post constitutos habitosq; honores, nihil ad se pertinere putant aliud, quàm ciuilia negocia: non illa omnia, quæ cum sapientia magnam coniunctionem habent, sed illa mercenaria, & quæstuosa, in congerendis cõseruandisq; facultatibus. Theologorum non magnus numerus est, qui eloquentiam ad se pertinere putent : & si qui sunt, qui eam amplectantur, tamen in re tanta & tam barbara tractatione corrupta, non possunt ita versari, vt vel dignitati rei orationis copia respondeat, vel latini sermonis puritas non conspurcetur verborum insolentia. In re enim ipsa omnes permanent, eloquentiæ verò studiũ multi remittunt,

Medici.

Iurisconsulti.

Theologi.

remittunt, multi comparata quadam volubilitate se facundos existimant. Sed cùm cæteris omnibus artificibus, tùm maximè Theologis apparatu ornatuq; orationis est opus. Itaq; perpauci sunt, qui in omnibus ita durant, vt eloquentia cum rerum cognitione coalescat, quod est necessarium: & hi qui sunt, quamdiu nihil perfectum proferre possunt, tamdiu constat non esse id assecutos, quod volebāt. De lingua exercitatione loquor: scriptoribus suam cuique laudem tributam volo: quam multi non solùm vtilitate rerum, sed etiā orationis non inani elegantia scribēdo sunt consecuti: dicendo verò quid multi præter linguæ celeritatem & verborum exultantem audaciam adepti sint, non video. Ego demum eloquentem esse illum censeo, qui cum orationis exercitatione rerum coniunxit & Philosophorū scientiam: qui vtrunq; horum apto congruentiq; apparatu instructum habet: qui ita, vt earum natura requirit, & ornare res potest & illustrare. Qui hoc consecutus sit, non video, neq; credo quenquam esse eruditiorum virorum, qui non id libenter agnoscat esse verum: & tamen esse viam, qua possint homines ad arcem rei peruenire. Sed hæc quoniam est in natura rerum, & eam ingressi sunt aliquādo Romani, Attici, Asiatici: nobis quoq; est annitendū, vt eandem inueniamus. Et quanquam nos quidē serò, tamen adolescentibus, tamen posteris, vtilissimum erit, aliquid habere præmonstratum. Cùm igitur nouem illa, de quibus dixi, partim conturbata sint, partim repudiata, non mirum est, amissam esse omnem facultatem & elegantiam orationis. Nam vt ex nouem Musarum varijs modis, pulcherrimus quasi nascitur vocum concentus: sic ex his, quæ antè posuimus, conficiatur oportet erudita atq; exercitata

Pulchræ similitudines,

citata oratio. Et vt omnis illa modulandi suauitas perit, si ex illis virginibus aliqua putidè, perturbatè, præposterè, discrepanter atq; exanimatè modos facerent, ita si quid ex his non rectè adhibeatur, aut si quid desit, non potest esse ornatus in dicendo aptus, neq; apparatus verborũ atq; rerum talis, qualem oratoris officium postulat.

CAPVT VI.

De Præmijs.

SEd ad consequendum hæc omnia, quatuor opus est nobis hominum generibus. Nam & eorum, qui sunt cum magistratu, opera opus est: & parentum: & magistrorum: & puerorum. Nisi enim ciuitates præmia constituant, cessant non solùm doctores: sed etiam parentes, quibus maximè curæ sunt liberorum commoditates. Per Germaniam nimium destitutæ sunt literarũ scholæ: id accidit spe præmiorum ademta, non religionis renouatione. Quamdiu enim familiæ atq; sectæ ociosæ, neq; doctæ, existimationem & autoritatem habuerunt, quamdiu honesta habita fuit ratio vitæ, abuti opibus Ecclesiæ, magna fuit antehac excitata turba ingeniorum: nunc verò postquam detecta sunt impietas illa diuturna, & tyrannica studia: postquam intelligunt homines, esse sceleratum, vti bonis alienis, sed sceleratius, Ecclesiæ: flagitiũ esse, nihil eius nomine, cuius sunt, agere, sed sacrilegium, eadem ad nefariam & scelestam voluptatem atq; libidinem conuertere: liberos suos vtiliter sibi, quàm publicè viuere flagitiosè malunt, eoq; eos ad plebeias artes deducunt. Credo ego, bonorum neminem esse, qui hanc colluuionem euersionemq; religionis sine conscientiæ grauissimo pondere defendendam suscipiat.

Sed

Sed sublata complurium conscientia est, & se vulgò multitudine excusant. Sacerdotiorum enim, vt nunc sunt, curationes, optimus quisq; remouendas statueret, nisi turba potentiaq; niterentur, quorum alterum irritari, alterum commoueri sine summa perturbatione humanarum rerum non potest. Nemo omnium est, qui non alienissimo sit animo à parricidio, horrescunt plerique omnes eius sceleris nomen: At etiam Romani illi veteres, nondum Christiani, in illa ignoratione veræ pietatis, hanc legem fixam stabilemq; habuerunt, Sacrum sacróue commendatum qui clepserit rapseritq;, parricida est. Clepunt & furantur sacrum, qui largitionibus, qui malis artibus irrepunt in possessionem sacrorum bonorum: rapiunt sacra, qui palàm ad suas libidines ea comparant. Quorsum igitur hæc spectat oratio? Vt intelligatur, si sacræ opes, vt principiò dispensatæ sunt, ita conseruarentur: si ad eas nemo admitteretur, nisi cuius probata vita, laudati mores, cõmendata esset consiliorum institutio: haberent, ad quam vitæ rationem sese aggregarent, adolescentes, & stimularentur plures quàm hisce temporibus, ad literarum studia. Nunc verò largitiones & gratiæ, in religionis fidem irrepserunt, & nomine pietatis occupato, eaq; eiecta, non amplius veritati locus patet. Nihil enim tam inimicum veritati est, quàm γνωμολογικὰ.
vis, & iniquè comparata potentia: nihil tam cõsentiens, quàm vitæ probitas & innocentia. In hac igitur destitutione bonorum, non excitatur industria multorum, quibus ingenium Deus egregium dedit. Tametsi enim hi nõ id curare debent, quem fructũ tribuant homines sapientiæ, tamẽ quia nascimur ita omnes, vt primi animi minus habeant & roboris & prudentiæ, priusquam id, quod optimũ homini

est, intelligatur, ad aliud vitæ genus plerique deflectunt. Nihil facilius animaduertitur, quam vitæ vtilitates, quæ ex cæterorum opibus æstimari solent: tardè plerunq; & sæpe serò animi diuitias amplectimur. Itaq; præmia proponi debent pueritiæ, & adhuc rudibus naturis: deinde eiusce modi disciplina institui, vt ad integritatem, innocentiam sanctitatemq; proposita videantur, & ad professionem vitæ talem, quæ commoditates adferat ad gloriam Christi amplificandam, & veritate se, nō autem honesti specie tueatur. Si hoc institutum antiquum & vetustum, renouari & restitui posset, non deessent aut in ciuilibus causis aut in Ecclesiasticis controuersijs, qui cum summa tranquillitate animorum, omniumq; comprobatione res obscuras explicarent, exacerbatas sedarent, deprauatas corrigerent. Sed non hoc in loco consilium dare constituimus, verùm causas commemorare, quamobrem amissa sit eloquentia, atq; significare, quia viri boni, quod verum est, intelligunt, & non possunt sacrarum opum possessionem probitati & religioni recuperare, exiguum esse eorum numerum, qui rem tantam, totq; difficultatibus implicatam suscipiant. Quo fit, vt dum pars maior non vult, dum boni id, quod volūt, non possunt efficere: neq; parentes vt velint, neq; liberi vt cupiant, neq; magistri vt suscipiant, alliciuntur. Infirmū est in inscientia & iuuentute iudicium: ideoq; vtilitatibus parentes, laudis cupiditate adolescentes sunt excitandi: hæc affectio ætate, & doctrina corrigetur, vt tandem etiam alienatio fiat ab ambitione, cùm vitæ institutio, ingenij educatio, morum disciplina, rectè poterit adhiberi. Sunt præterea multæ aliæ causæ, ob quas & studia perturbata sunt, & dicendi scientia est impedita: sed quia, si hæ, quas

dixi,

dixi, tolli possint, assequeremur id, quod expetimus, praetercundas esse illas duxi.

DE RECVPERATIONE dicendi facultatis.

CAPVT VII.

RElíquum est, vt dicamus de recuperatione, quæ pars tametsi præstantior est, tamen, quoniam causæ rerum malarum priùs tollendæ sunt, quàm res bonæ possint restitui, volui hæc etiam commemorare. Dicendum ergo deinceps est, Frosi, quomodo dicendi scientiam putem ad homines tanquam ad regnum suum reduci posse. Nam ex his, quæ dicta sunt hactenus, causas videmus corruptæ linguæ: deinde, si Quintiana illa oratio cum istis, quæ nostris temporibus scripta extant, conferatur: facile est considerare, nihil simile vetustati à nobis repræsentari. Itaque quemadmodum instituimus, repetamus illa nouem, & ordine singula declaremus, qua sit ratione viaq; ingrediendũ. Frustra enim suscipiuntur aliquid consequendi studia, nisi antè illud, quod eò, quò cogites, deducat, perpenderis. Sed non me illud inuenisse arrogo, verùm conquisiuisse eiuscemodi quædam, quæ quoniam certos autores habent, existimem esse celebranda. Vt igitur de natura primùm dicam, Natura. *nulla de illa comparanda præceptio est. Datur enim cuiq; diuinitus sua natura: sed si cultus atq; custodia in omni re plurimùm ad conseruandum valet: potest etiam de hac aliqua institui disciplina. Primùm igitur fugiendæ sunt voluptates, atq; cauendum est, ne vitijs corrumpatur ingeniũ.*

Nulla concordia studijs doctrinæ, sapientiæ, cum negligẽtia, mollitie, & prauitate solet intercedere. Vbi hæc vitantur, illa verò assumuntur, ibi egregia & præclara ad discendum dicendumq; indoles poterit excoli. Est enim excitanda naturæ bonitas studio & ardore amoris erga id, ad quod nata videtur. Hoc igitur secundum naturam est elaborandum, vt cupiditas accedat, quæ mater est diligentiæ. Etsi enim ab amicis natura dari non potest, sed cum vita simul adfertur, tamen exacuitur adolescens ab his, quibus se carum esse existimat. Pertinet hoc officium non ad parentes solùm, & ad doctores literarum, cæterosq;, cum quibus est aliqua vel necessitudo vel cõiunctio, verùm etiam ad eos, qui Rempub. curant. Excitantur ingenia, maximeq; puerorum, & adolescentum, non tam vtilitatibus, quas non vehementer expetunt, dum nihil deest, quàm beneuolentia, laude, autoritate, exemplis. Etenim si officium charitate, diligentia laude, approbatio existimatione, copia exemplis bonorũ gignitur: necesse est in ea Repub. neq; inofficiosos neq; negligentes neq; repugnantes neq; paucos esse, qui exacuantur ad res præclaras, si beneuolentiæ, si laudationes, si autoritates, si exempla non desint. Sit igitur hoc secundarium, vt curetur, quò literarum cupiditate flagrent adolescentes, ad eamq; rem parentes, magistri, præmia ad laudem atq; autoritatẽ exposita, opem ferant.

PVERILIS INSTITVTIO
quibus rebus contineatur.
CAPVT VIII.

Sed

SED veniendum nunc est ad illam puerilem institutionem, vt rectè eum, qui indolem aptam idoneamq; habet, educemus. Habet hæc pars tria capita, præceptionem, explicationem, resolutionem. Præceptorum ratio à multis est tradita, & ad hunc locum non pertinet. Sed illud monendũ est, vt ne vasta sit illa artis via, quæ Methodus à Græcis est nominata, regularum & præceptionũ multitudine. Vtilissimum est, exercitatam habere consuetudinem flectẽdi nomina & verba: & consecutionem & coniunctionem dictionum paruo legum numero absolui, & in vtrisque principiò obscuras illas & philosophicas vitare partitiones: medium tenendum est, & ea vtilitas, quæ ex coniunctione duorum extremorũ solet extare: vt nec contemnãtur præcepta, nec conquirantur. Nam & paucitas, & multitudo obstare atq; officere discentibus solet. Qui Donato contentus ad scriptores transit, festinatione impedit cursum studiorum: & qui Priscianum, aut Nebrissensem, aut Linacrum suis interpretatur, copia obruit, & fatigat, remoraturq; ingenia. Accedit ad hæc duo obscuritas, quæ breuitatis est comes: & præstantissimæ virtuti in dicendo, quæ est perspicuitas, contraria est. Vt in Grammaticis, ita etiam in Rhetoricis cæterisq; libris hæc tria explicando docẽdoq; sunt vitãda. Sed hæc de arte, cui explicatio statim & continenter adiungatur. Habet illa partes tres, argumenti expositionem, consuetudinis obseruationem, quæ in cognitione rerum posita est: & interpretationem vocabulorum. Primùm enim curare debemus, vt res ipsa paucis vniuersa cognoscatur: deinde res & leges institutaq;, ad quæ omnis accommodatur actio, intelligatur: posthæc ad singula descendendum est. Sed orationũ argumenta facilè ex narrationibus

tionibus colliguntur. Verùm, quoniam illæ plerunq; sunt prolixæ: possunt & sæpe debent coarctari: vt in hac causa, qua P. Quintius in famæ fortunarumq; discrimen deducitur: Aduersarius est Sex. Næuius. Hic desertum esse sibi dicit vadimonium à Quintio: bona eius à se esse possessa ex edicto Prætoris Burrieni dies triginta, ideoq; à Dolabella postulat, vt Quintius iudicatum solui satisdet: vel sponsionem faciat. Mauult Quintius sponsionẽ facere: C. Aquilium & iudicem sumit, atq; ex sponso agit. Orator aduersarius Q. Hortensius est: M. Cicero Quintij patronus, negat possessa esse bona ex prætoris edicto. Primùm, quòd causa non fuit, cur à prætore id postularet: nam negq; quicquam Quintium debuisse, negq; vadimonium deseruisse. Deinde, quia non potuit ex edicto possidere. Id probat ex verbis edicti, quòd negq; latitârit fraudandi causa, negq; exilij causa solum verterit. Postremò non possedisse, propterea quòd bonorum possessio non spectatur in aliqua parte, sed in vniuersis, quæ teneri & possideri possint. Breuis est eiusmodi explicatio, sed apta ad intelligendum & recordandum. Puto etiam hanc rationem Ciceroni placuisse, qui Aeschynis & Demosthenis inter se contrariarum orationum argumentum paucis verbis est complexus. De Consuetudine etiam hic rerumq; explicatione dicendum esset, si hæc res non esset ita prolixa, vt ludo & magistris satius sit eam explanationem relinquere, quàm hoc in loco interponere. Idem sentiendum est de vocum interpretatione: sed hoc magis est Grammaticorum, illud ex vestris libris & historijs est petendum. Verùm etiam vos multorũ vocabulorum vim ante Grammaticos explicastis. Præterea vestrum est scire, quot prætores habuerit populus Romanus,

Consuetudo.

Vocum interpretatio.

manus, & quæ sit differentia inter eos, qui de vrbanis, quiq; de prouinciarũ negocijs decernunt. Aliud enim fuit genus Prætorum, quos Sylla constituit publicis causis, aliud illorum quatuor, qui his sunt antiquiores, aliud, qui à Cæsare sunt postremò adiuncti. Adfert hæc distinctio lucem ad intelligendum, sed hæc tractatio ex vestris studijs defluxit. Vtilissimum est scire, tùm in Grammatica disciplina, tùm in ludo Rhetorum, vt ius dicentis, sic etiam prætoris esse, bonorum possessionem dare, & in possessionem mittere. Neq; intelliget Rhetor vim illius sententiæ magis, quàm Iurisperitus: Quis tandem nobis ista iura tam æqua describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Nauiũ. Hoc ex vestro fit arbitratu: quod quisq; in alterius persona æquum esse credidit, id in ipsius quoq; persona valere patiatur. Iam quid sit satisdatio, quid sponsio, quid vadimonium, quid vadari, à nobis definitum est: sed et Grammatici eadem explicarunt, sed vos autores estis. Verùm illud fortasse non inutile est ad obseruandum, sæpe in eo ipso libro, qui legitur, & consuetudinem vno in loco latere, in altero indicari: & obscuras alibi sententias esse, & incognitam alibi vocabulorum naturam, alibi verò vtraq; explicari. Quare vtile est in omni lectione, & interpretatione, prius totum librum celeriter perlegere, atque annotare, quæ sunt similia, quàm in singulis statim moram facere. Obscurum est in principio Orationis, quid sit iudicium de re, quid item de probro: sed explicatur postea id copiosius in tractatione quæstionis infinitæ: Cuius verò bona venerunt, cuius non modò illa amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusq; necessarius sub præcone cum dedecore subiectus est, is non modò ex numero viuorũ

exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honesta sæpe vitam quoq; turpem exornat, vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. Ergo hercule, cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama & existimatio cum bonis simul possidetur. De probro igitur iudiciū est, quod est de bonorum possessione, & de fama, quæ patris familiās fide atq; diligentia conseruatur, & non de re pecuniaria, de deserto vadimonio, non de re debita. Longum esset ista explicare, ideoq; prætercundum est, & veniendum ad ea, quæ minus nunc in vsu versantur.

DE RESOLVTIONE GRAMMATICORVM.

CAPVT IX.

DIcendum autem deinceps est de Grammaticorum illa ratione, qua integras conuersiones et sententias in suas formas redigunt, & has in ea dissoluunt, ex quibus ipsæ constant. Hanc, physicorum atq; Dialecticorum consuetudinem secuti, ἀνάλυσιν Græco vocabulo nominamus: paulò antè resolutionem interpretati sumus: quo verbo mihi in hac ratione vti liceat. Est ratio vtilissima ad comparandam orationis elegantiam & vbertatem. Necesse enim est, omnem orationem, quæcunq; illa sit, ex verbis confici, & rectè Cæsar originem eloquentiæ verborum delectum esse scripsit. Sed hic delectus, qui imprimis necessarius est, haberi non potest, non magis quam militum, nisi antè coactis vnum in locum, quasi militum: sic verborum

horum copijs. Nam vt Mathematici atq; apodictici rectè præcipiunt, omnes causas conquirendas primùm esse: deinde veras deligendas, & collocandas ordine: ita etiam in hac parte studiorum est faciendum: conquirenda copia verborum est primùm. deinde simul eorum oportet considerare potestates, et elegantiam. Sed hîc rursum deplorare cogor nostrorum temporum infœlicitatem. Propè enim vnà cum corporibus plurimorum consenescunt ingenia, priusquam vel mediocrem eloquentiæ possint laudem obtinere. Id fit tùm melioris rationis ignoratione, tùm loquendi consuetudine deprauata, & auocatione sermonis quotidiani. Romanorum enim & Atheniensium atque Græcorum olim liberi, propè cum matris lacte verbis simul optimis imbuebantur, & priusquam puericiam superassent, orationis copiam erant assecuti. Quare tùm id tempus idoneum ad grauiores disciplinas fuit, quod hodie nostri adolescentes apud Grãmaticos consumunt: & ibi eis finis audiendi, vbi nostris præpropera adhuc sunt principia. Hinc fit, vt nostra ætas Medicos, Iurisperitos, Theologos plures proferat, quam Oratores, si modò vllus hoc quidem certè tempore sit Orator. Neque enim video, cur difficilius sit totum illum doctrinarum quasi orbem discendo peragrare, omnesq; literarũ et artium doctores audire, quàm aliena lingua rectam laudatamq; atque perfectam ibi cognitionem consequi, vbi aut in libris latens vulgò non est recepta, aut si ab aliquibus in sermonibus vsurpatur, tamen ita contaminata verba habet, ita peregrinis conspurcata est loquendi modis, vt propè prudentius consilium esset, pátriæ consuetudinem retinere, quàm violare atq; fœdare sermonem alienum. Ha certè omnes incommoditates, quas gentium

I. ΕΥΚΥΚΛΟΠΑΙΔΕΙΑ.

diuersi mores dissimiles q; lingua attulerunt, vitari possent, si ea præessemus diligentia ingenijs, si eam industriam & dexteritatem præstare posemus, quam & officium nostrum

II. Μέθοδος ἀναλυτική. requirit, & desiderant rationes humanæ. Est enim via & ratio verba rerum tùm singula tùm coniuncta colligendi. Est modus in his duobus generibus collocandis, per quem adolescens, latina, significantia, apta, à se non antè cognita, inuestiget atque in suis quasi receptaculis inuemat: quibus ea informet, & cum laude tùm dicendo tùm scribendo in medium proferat, quæ vel mente complectitur, vel sua lingua scripta latina veste cupit induere. Sed qui libri hisce temporibus nobis verba explicant, parum adferunt facultatis puericiæ. Laudo illorum virorum diligentiam, qui nobis ea dederunt, in coaceruando, & doctrinam in explicando: dispondendi verò viam in ipsis desidero. Primùm enim literarum ordinem sequi, nullam laudem habet, & in singulis tantùm dictionibus vestigandis, atq; cognoscendis laborē leuat: copiam verò non ob oculos potest ponere. Deinde illa distinctio nisi oblatis vocabulis nullo præsidio esse potest. Quærit is, qui docet, aut qui ignorat, si legendo, aut auscultando notetur, quid sit sponsio, quid sponsionem facere, quid in stirpibus acetabula, quid in ædificijs suggrundia, quid in exercitu legio, quid apud mathematicos rhombus: nō quæreret, nisi eiusmodi multa oblata vltrò, cursum lectionis impedirent & retardarent intellectum. Adolescenti cùm ignotum verbum occurrit, tùm demum quærendi est locus: cùm verò patrio vestitu sententias indutas mente tenet, qui fieri potest, vt ex horum libris latinum gracumq; ornatum inuenerat, quo eadem vestiantur, cùm, vbi hic lateat, certum sit eum ignorare? Magistris literarum

terarum hic labor, & quibus amplior doctrina est, tametsi facultatis atq; copia non habet multum, tamen subsidio est.

CAPVT X.

SEd non solùm, quæ ab vno deducuntur, formationes atq; significata congerenda sunt, verùm ea quoque sunt adiungenda, quæ aut eiusdem generis sunt, aut omnino sunt pugnantia: sed ita demum adiungenda, vt certa sit tùm natura, tùm, quæ à natura non multum solet recedere, artis dispositio. Sunt.n. alia singula & solitaria, alia coniuncta & à sententia non procul remota: alia rerum præcurrentiũ, alia consequentium, alia causarũ, alia effectorũ, alia similium, alia idem significantium, alia contrariorum. Verùm vt aliquo modo nostro consilio excitemus cæterorũ studia, paucis indicabo meam in hoc loco sententiam. Quẽadmodum rerum certi constituuntur communesq; loci: sic verborum etiam genera, & sententiarum formæ, ad certos ordines reduci possunt. Hæc duo non ex quouis scriptore colligi debent, sed ex optimis primò sunt coaceruanda. Illud autem obseruandum etiam est, vt autorum, sic etiam verborum non vnam esse formam. Aliud dicendi genus oratorum est, aliud poëtarum, aliud quod medium est, historicorum. Itaq; vnumquodq; annotari debet, vnde sit sumtum. Si enim diuersa sunt horum trium orationis genera, etiam ea, ex quibus illa constant, inter se differre necesse est, verba nimirum, &, quæ ex verbis fiunt, sententiarum figuras. Oratorum igitur primus atq; vnus sit Cicero apud latinos, etiam philosophorum: sed addi potest Varro & Cornelius Celsus, verùm prudenter & modicè Celsus, & in suo

Distinctio Verborũ III.

Deductio, ἀπαγωγὴ ad locos.

Scriptores ex quibus eloquẽtiæ opes congregandæ.

Verborum non vna forma.

Oratores.

Cicero.

genere, & cùm est opus. Plinius etiam, sed cùm necessarium est. Apud Græcos Demosthenes solus orator proponendus, cui Plato adiungitur propter rerū & orationis amplitudinem, deinde Xenophon, Hippocrates, Aristoteles, & in multis Galenus. Poëtas latinos habemus Vergilium, Terentium, Plautum, Lucretium, Horatium, sed Lucretius in verbis & locutionum formis purior est Horatio, qui ob dicendi figuras, quas ἰδέας vocant, quas exprimit exemplis, vtilis est futuro poëtæ & oratoris ad expoliendum sua iuuat industriam: de formis loquor non sententiarum, sed tractandarum rerum. Vergilius vtrig; antecellit, sed in Georgicis & Bucolicis nihil in tractando peccat. Apud Græcos nemo melior Homero: cæteri etiam omnes boni, sed primus labor in optimis consumi debet, & ex Homero priùs copia comparanda est, quàm ad Hesiodum, Aristophanem, Theocritum, Euripidem, Sophoclē, Aeschylum, veniamus. Historicorum nemo melior inter Romanos C. Cæsare, sed Oratori similior, quàm Liuius, quo sæpe cùm in re militari destituimur, habemus opus: verùm antecedunt Cæsaris commentarij. Græci Xenophontem habent, qui puritate & lenitate orationis non cedit Cæsari: & Thucydidem & Herodotum: quibus adhiberi potest & Polybius, propter apparatum bellicum illis temporibus auctum, et cumulata rerum vocabula. Omnes hi in suo genere excellunt: sed quæ vtilissima sunt, ea primum locum debent occupare. Quare in Oratoribus principiò versandum est. Scio Romanis & Græcis aliam consuetudinem fuisse, & ad poëtas statim pueros deduxisse. sed quia ad Grammaticos illi quotidianum sermonē adferebant, quem antea domi didicerant, minus periculi erat, cùm lingua pura esset, in hac ratione instituēdi. Credo

Demosthenes.

Poëtæ.

Horatius.

Ἰδέαι, dicendi virtutes.

Vergilius.

Homerus.

Historici.

C. Cæsar.

Liuius.

Xenophō.

ego

ego cùm Seneca floreret, & insequentibus temporibus, cùm corruptus sermo latinus esset, magnam causam fuisse obscuritatis & ineptiarum, quòd vetustam illam disciplinam sunt secuti, quæ cum ipsis moribus & ætate erat commutãda. Neque poëtarum eadem est ratio: aliud dictionis genus Comici, aliud Tragici, aliud Epici, aliud Lyrici sunt secuti. Itaque diuersum non solùm compositionis, sed etiam verborum genus: in quo cum iudicio versandum est: ne, quæ inter se admodum dissimilia sunt, commisceantur. Sed de scriptoribus, vnde orationis, & eloquentiæ opes congreganda sint, satis sit hæc indicasse. Poëtarum ratio.

DE MODO ET VIA COLLIGENDI. CAPVT XI.

RElíquum est, vt de modo & via colligendi scribamus: quæ res etiam hîc non potest omnis explicari. In libris enim de ratione latinè loquendi atque scribendi, quicquid ad hanc præceptionem pertinet, aperiemus. Cum enim locorum alij cõmunes sint & ampli, alij in medio, alij in parte extrema coarctati: prolixum esset, hæc non solùm exponere, sed etiã enumerare distribuendo: quare, quod proximũ est, consulamus in hac puerili informatione. Optabile est certè quidẽ, extitisse vnũ aliquẽ, qui omnia comparata & distincta ita edidisset, vt in promtu essent posita atque explicata hominũ cogitationibus. Sed quoniã id factum non est, & si esset aliquid tale ab industria alicuius præclari ingenij profectum, quale Iulius Camillus non solùm profitetur, sed etiam domi iam elaboratum & cõfectum habet, tamen vtile est ipsam etiam iuuentutem in ijsdem exerceri, et sibi locos facere, eosq; legendo, dissoluendo, distinguendo Iulius Camillus.

Vsus τῆς ἀναλύσεως

guendo, conquirendoq; implere. Hoc enim modo fiet, vt & autor ipse, quilegitur, intelligatur melius, & verborū vis & significationes verè percipiantur, & memoria augeatur atque redintegretur, & sermo ipse quotidianus atq; latinus excolatur, non temerè, vt nunc fit: sed illa vetusta Latinorum consuetudine. Quare statim cum ipsis præceptis, eiusce modi ratio præscribenda est, vt vbi primùm vnius rei duo nomina, aut vnius sententiæ formæ duæ sese offerant, ibi locus confestim designetur. Sed quoniam locus vnus, etiam ex imis illis receptaculis, multiplex plerumq; est: subleuari debet adolescentis labor magistri subsidio Hic vtilis et necessaria est Dialectica: etiam reliquarum artiū cognitiones secum ipsæ partitiones adferunt: sed nihil tam angustum est, nihil tam amplum atq; vagum, quod non opus habeat explicatione et distinctione Dialecticorum. Proposueram totam hanc Orationem dissoluere, & ad suos quæq; locos comportare, et tradere rationem hanc omnem: sed cùm animaduerterem, non me id duobus libris complecti posse, & cùm in libris de ratione loquendi atq; scribendi eadem tractanda sint plenius, mutaui consilium, & solùm vno atq; altero proposito exemplo, constitui ostendere, quid primùm in illa puerili educatione, & in illa indigesta conquisitione sit elaborandum.

Notatio locorum.

Partitio & distinctio locorum.

Conquisitio.

CAPVT XII.

Repetamus igitur ex illa Quintiana, et congeramus, quicquid ibi est, quod ad ciuiles causas spectare videbitur. Sed cum oēs res aut sua ipsa vi alia consistant, et sua quoq; natura nitātur, aut ad has alia accedāt, atq; ita adiungantur, vt nulla perpetua necessitudo cum his sit, quod genus

Locorum partitio.

nus apud Philosophos vocatur συμβεβηκότων, quemadmodũ illud prius ὄντων: à priore in quouis loco principium est faciendum. Sed verè consistunt illæ, quæ vocãtur ὄντα, vt est homo, laurus, aquila, acipenser, animal, arbor, auis, piscis: sæpè etiam alterum genus, quasi consistat, oratione vsurpatur, propterea quòd hoc quoq; suam habeat formã: quo fit, vt in locis ab eo etiam tanquam à consistente ordiamur. Multa enim in oratione habet, quæ accidere videntur. Verùm appositione exẽplorum hæc, quæ dixi, erunt clariora.

RES

Res
Causa
Causa tota
Controuersia
Contentio
Certatio
Ius
Ius & magistratus
Iura
Fas
Aequitas
Lex
Crimen
Lex & conditio
Iudicium
Summa iudicij
Iudicia
Consilium
Vadimonium
Iudicatum
Decretum
Edictum Prætoris.

RES

Accusatio
Vox accusatoris
Criminatio accusatorum
Defensor
Sponsio
Sponsum
Aduocatio

PERSONÆ

Accusator
Petitor
Reus
Persona accusatoris
Persona petitoris
Patronus
Procurator
Aduersarius
Magistratus
Prætor
Tribuni
Iudex
Aliqui, qui adsunt in consilio.

Οἰκονομία. Ordo. *Hic ordo igitur, nisi quis melior inueniatur, seruari poterit: vt res priore loco ponantur, deinde personæ: & quanquam vtrag; ad alium ordinem rerum pertinent: tamen tùm similitudinis causa, tùm docendi gratia, loco eorum, quæ sub oculos cadunt, sunt ponenda. Permittit enim hoc, si non rerum natura, tamen ipsa consuetudo: neq; Poëtæ solùm Famam ex illorum numero eximunt, quæ rebus accidunt, & quasi sentientem faciunt, sed etiam Philosophi Virtutis & Legis ita aliquando speciem describunt, vt virginem, vt deam, non minùs audientem, consulentem, quàm Poëtæ suam Iunonem, Venerem, Mineruam.*

Διαφοραὶ διακρίσεις τῶν λέξεων. *Illud etiam monendi sunt magistri, vt discipulis suis, quàm maximè possunt, aptè latinas voces suo sermone explicent, & conquisitis vnum in locum illis, quæ videntur esse similia, ac cognationem aliquam habere, vim singulorum & differentiam ostendant. Tanta coniunctio est inter contentionẽ & certationem, vt propè nihil interesse videatur: tamen est discrimen, quod apparet in certare et contendere. Præterea duo hæc non multùm à causa differunt, sed causam tùm præcurrunt tùm consequuntur. Inter rem quoq; & causam talis est similitudo, qualis ferè inter Magistratum & Prætorẽ, aduersarium & petitorẽ, iudicium & vadimonium: altera enim* γενικά *sunt, altera* εἰδοποιητά: Γενικὰ. Εἰδοποιητά. *iudicatum & decretum formæ videntur esse diuersæ sub eodem comprehensæ genere: sed tamen decretum ad res plures, quàm iudicatum, accommodari solet. Iam accusatio & criminatio, vnius rei sunt, verùm grauior in vituperando criminatio, accusatio plus habet defensionis, & sæpe fit cum laude. Eiusmodi explicatione velim exacui puerorum ingenia. Sæpe etiam doctorum virorum oratio*

ignо-

ignoratione horum flaccescit. Sed non explicare ista, verum digerere constituimus: quare transeundum est ad ea, quæ esse proxima videntur. Sequemur hic naturæ ordinem, & genus rei secundo loco collocabo: sed illud ex multis colligitur, vt in ciuilibus negocijs ex eo, quod causa est caput, & in quo summa iudicij versatur. στάσις.

CAPVT CAVSAE.

ΤΑ ΓΕΝΙΚΑ

Causam in aliqua re consistere.
Summam iudicij causamq; totam in aliqua re consistere.
Fieri iudicium de aliqua re.

ΤΑ ΕΙΔΟΠΟΙΗΤΑ.

Iudicium de probro.
Fieri iudicium de probro.
Iudicium pecuniarium fieri.
Aliquem causam capitis dicere.
Iudicium de re.
Fieri iudicium de re.

NATVRA CAVSAE.

Res tanta.
Res implicata controuersijs.
Res tanta totaq; controuersys implicata.
Aliquem habere causam eiusmodi, vt, &c.
Aliquod iudicium vno die posse transigi.
Multa iudicia fieri. Agendi potestas eadem. ποσότης.
Causa par. Causam cum causa contendere. Causa superior.
Alicui non esse ius par cum aliquo.
Alicui cum aliquo non esse parem certationem.
Alicui non par ius reperiri posse.

Alicui agendi potestatem non eandem reperiri posse.
Veritatem multis incommodis debilitatam esse.
Ποιότης. *Iudicium inuidiosum.* *Iudicium difficilimum.*
Iudicium singulare. *Iudicia difficilima.*
Aliquem vti iudicio inuidioso.
Iudicium de aliqua re fieri contra omnium consuetudinem.

Iudicij { *Ius* / *Iniuria* / *Iniquitas*

Aliqua iniuria inimicissima.
Honestius iudicium.
Vsitatum iudicium.
Iudicium grauissimum.

Genus igitur causæ cognoscitur, tùm ex rei, de quæ agitur, capite, tùm ex eiusdem natura: & hæc ipsa ita distinguuntur, vt à formis genera diuidantur, et communia separentur ab angustioribus. Colligamus deinceps, quicquid ad res ipsas pertinet, priusquam ad personas veniamus. Considerato ergo genere, redeundum ad ipsa est principia, & ea colligenda, quæ circa principia solent agitari. Constituatur igitur locus alius atque proximus.

Cõmunia Angusta.

CAPVT XIII.

INITIVM LITIS.

ANTECEDENTIA.

Ὑπόθεσις. *FOre controuersiam de aliqua re.*
Aliquem agere aliquid velle.
Controuersia recens.
Alicui controuersiam intercedere cum aliquo, de re aliqua.

Rem

Rem aliquam in controuersiam venire.

CONSEQVENTIA. Επόμενα.

Aliquem cupidè decurrere ad iura.
Aliquem iudicium postulare.
Vocare aliquem in ius.
Aliquem in ius sequi.
Aliquem non recusare iudicium.
Aliquem iudicium accipere.
Aliquem aliquid iudicio accipere.
Aliquē iudicium accipere in ea ipsa verba, quæ alter edit.
Aliquem iudicium more & instituto per magistratum accipere.
Aliquem accipere iudicium pro aliquo.
Aliquem non recusare, quin iudicium accipiat.
Nihil hic obscurum est: etenim & ordinis ratio constat, & singula quid significent, clarum est: nisi illud fortasse commonendum sit, qui accipit pro aliquo iudicium, procuratorē esse, qui verò non recusat, quin iudiciū accipiat, de aduocatis dictū esse, sed ad procuratorē etiā posse transferri.

EXITVS LITIS.

ΤΑ ΓΕΝΙΚΑ.

Aliquem de re aliqua decernere.
Aliquem de re aliqua contendere.
Aliquem pro re aliqua dicere.
Aliquem de re aliqua causam dicere.
Aliquem aliqua lege perire.
Aliquem conditione aliqua perire.
Aliquem in pari causa discedere inferiorem.

ΤΑ ΕΙΔΟΠΟΙΗΤΑ.

Rel. *Aliquem vno iudicio de omnibus fortunis decernere.*
De prædijs alicuius agi.
Aliquem de re pecuniaria contendere.
Hæc omnia alterius partis tantùm sunt, & ad reum spectant: Illa communia vtrisq;.

Cõmunia. *In singulare iudicium causam omnem concludi.*
Ius alicuius rei agi.
Ad accusatorem & petitorem ista pertinent.

Accusatoris & Petitoris. *Aliquem iugulare aliquem ciuem.*
Eripere vitam alicuius. Eripere sanguinem alicuius.
Eripere sanguinem & vitam alicuius
Aliquem non velle viuere aliquem. Graues hæ translationes sunt: & ad id iudicium adhibita, vbi de capite alicuius agitur.

Oratoris. *Ad exitum etiam ista spectant, & sunt Oratoris.*
Aliquem orasse causam.
Aliquem perorare causam.
Causam peroratam esse.
Perorare causam contra aliquos.

Iudicis. *Iudicis est, Rem iudicare.*
Condemnare aliquem capitis. Damnare aliquem capitis.
Dedere aliquem alicui cum bonis, fama, fortunisq; omnibus. Iudicare secus de aliquo.
Pronunciare, qua lege & conditione aliquis pereat.
Hinc illa sequuntur. Rem iudicare.
Condemnari aliquem capitis. Aliquem aliqua lege perire.
Aliquem turpi iudicio conuictum esse.
Aliquem in causa superiori inferiorem discedere.
Item ista. Aliquem sponsione vincere.

Ali-

Aliquem iudicatum soluere.
Subiungamus in hoc loco certam causæ speciem.

VADIMONIVM.

Rem incipere esse in vadimonium.
Aliquem vadari velle.
Aliquem vadari. *Aliquem vadimonium promittere.*
Aliquem alicui vadimonium promittere.
Aliquem promittere sisti aliquem, tempore aliquo: sed hoc procuratoris est.
Vadimonium in aliquo loco fieri.
Aliquem sistere vadimonium.
Aliquem sisti aliquo tempore.
Aliquem vadimonium obire.
Aliquem venire ad vadimonium. *Aliquem se stitisse.*
Aliquem quotidie experiri posse, de petitore dixit.

CONTRARIA.

Ἐναντία.

Aliquem vadimonium nõ obire: sic & reliqua κατ' ἀπόφασιν *commutari possunt, vt* *Aliquem se non stitisse.*
Aliquem ad vadimonium non venisse.
Aliquem non sistere vadimonium.
Aliquem deserere vadimonium.
Non esse potestatem experiundi. *Aliquẽ experiri non posse.*
Desertum esse vadimonium.
Desertum esse alicui vadimonium. *Deseri vadimonium.*
Non obitum esse alicui vadimonium.
Neminem defendere aliquem iudicio: hoc ad procuratorem refertur.

AD PETITOREM SPECTANT.

Aliquem annum & sex menses nihil petere.
Aliquem producere aliquem conditionibus, quoad potest.

Aliquem

Aliquem quiescere.
Aliquem differre cum aliquibus vadimonium.
Aliquem non amplius vadari.
Aliquem vadimonium missum facere.
Multa vadimonia differre.
Reos tacere in controuersijs aliquo calumniante.

COMMVNIA VTRIQVE.

Vadimonia differri.
Vadimonium omninò nullum esse.
Sine vadimonio discedi.
Addamus huic loco, quoniam in istud genus causæ sæpè incidunt, satisdationem & sponsionem.

SATISDATIO.

Aliquos inter se satisdare.
Aliquem debere satisdare.
Aliquem ex decreto prætoris satisdare.
Aliquem aliquibus verbis satisdare.
Aliquem satisdare iudicatum solui.
Aliquem satisdare alicui iudicatum solui.
Aliquem satis accipere ab aliquo.
Aliquem aliquibus verbis ab aliquo satis accipere.
Aliquem iudicatum solui, satis accipere ab aliquo.
Aliquem iudicium accipere in ea verba, quæ aliquis edit.
Aliquem ex decreto prætoris iudicium accipere: sed hoc generaliorem potestatem habet, & fit sæpe sine satisdatione, aut sponsione.

SPONSIO.

Postulare aliquid in aliqua verba.

Aliquem

Aliquem sponsionem facere.
Aliquem sponsionem facere cum aliquo.
Aliquem sponsionem de probro facere.
Aliquem in sponsionem aliquam testes dare.
Aliquem aliquid ex sponso agere.
Aliquem sponsione vincere.
Iam ad id, quod generalius est, & omnes formas complectitur, redeamus, & quod cum genere causæ multa habet communia.

CAPVT XIIII.
IVDICIVM.

Iudicia fieri in aliquo loco.
Ius in aliquo loco dici.
Dijudicari de re aliqua.
Iudicium esse de re aliqua.
Iudicium fieri de re aliqua.
Aliquos esse in consilio.
Aequitatem in aliquo loco consistere.
Aequitatem in aliquo loco confirmari.
Aequitatem in aliquo loco consistere atq; confirmari.
Aliquos venire ad iudicem.
Aliquos venire ad virum aliquem iudicem.
Aliquos biennium versari in aliquo iudicio.
Aliquem venire ad iudicium.
Aliquem pati.
Aliquem honestiori iudicio conflictari.
Aliquem pati iudicium.
Aliquẽ omnia iudicia accipere: pertinet hoc tùm ad reũ, tùm ad procuratorem: sed Cicero de procuratore dixit.
Accipere iudicium ex decreto Prætoris.

Aliquem paratum esse iudicio pati.
Aliquem disceptare de re aliqua.
Iudicem liberatum molestia discedere posse.

ACTIO.

Ad oratorem ista sunt transferenda.
Aliquem cum aliquo causam dicere.
Aliquem apud iudicem causam agere.
Aliquam causam informatam esse.
Aliquem causam demonstrare.
Probare causam suam alicui perfacilè.
Aliquem commodiùs posse causam demonstrare.
Aliquem in causa consistere.
Aliquem satis animo certo in causa consistere.
Aliquem satis animo confirmato in causa consistere.
Aliquem satis animo certo & confirmato in causa consistere.
Ordinis sunt. Aliquem priore loco causam dicere.
Aliquem posteriori loco causam dicere.
Accusatoris atq; petitoris.
Accusator. Accusatores. Partes accusatoris.
Criminatio accusatorum.
Inaudita criminatio.
Falsum crimen quasi venenatum aliquod telum.
Aliquem caput petere.
Aliquem cupidissimè contendere.
Aliquo iudicio partes accusatoris obtinere.
Audire vocem accusatoris.
Aliquod falsum crimen quasi venenatum aliquod telum iacere.
Aliquem incipere malè agere.

Aliquem

Aliquem pugnare, ne aliquis in ciuitate sit.
Aliquem iugulare aliquem ciuem.
Aliquem oppugnare caput alicuius.

ORATORIS ACCVSATORIS SVNT.

Aliquem accusare, qui defendere consueuit.
Aliquo iudicio partes accusatoris obtinere.
Aliquem contra caput dicere.

DEFENSORIS.

Aliquem inuenire aliquem patronum.
Aliquem paratum esse aliquem defendere.
Nihil precari.
Perducere aliquẽ aliquibus rationibus ad suas cõditiones.
Patronum causam defendere. Defendere aliquem.
Defendere aliquem iudicio.
Aliquem iudicio defendi.
Omni recta ratione aliquem defendere.
Defendere aliquem per Magistratum.
Aliquem defendere se contra aliquos.
Aliquem aliquo loco consistere contra aliquem.
Causam alicuius apud aliquem consistere.
Aliquid alicubi consistere.
Aliquid in aliquo loco consistere atq; confirmari.
Aliquem commodè posse rationem reddere.
Aliquem Rei famæ consulere.
Aliquem ius suum contra aliquem obtinere.

PROCVRATORIS *sunt illæ.*

Ali-

Aliquem procuratorem relinquere.
Relinquere procuratorem in aliquo loco.
Aliquem esse procuratorem.
Esse procuratorem Romæ.
Aliquem iudicium accipere pro aliquo.
Aliquem defendere absentem.
Defendere aliquem iudicio.
Defendere aliquem per ius & Magistratum.
Aliquem ab aliquo defensum esse.
Aliquem absentem defensum esse.
Hæc commutantur per ἀποφατικά, *& fiunt contrariarum sententiarum formæ.*

ADVOCATIONIS.

Aduocatio. Aduocati
Aduocare aliquem.
Aliquem copiosa aduocatione uti.
Aliquem aduocare potentes, disertos, nobiles omnes.
Aliquem adhibere vim veritati.
Interea recusantes nostros aduocatos acerrimè summoueri.
Non ineptè his adiungetur, τὸ δίκαιον καὶ τὸ νόμιμον καὶ τὸ ἐπιεικές, *priusquam ad Magistratuum personas veniamus.*

CAPVT XV.
IVS ET LEX.

Ratio recta. Ratio honesta.
Recta atque honesta ratio.
Vetusta consuetudo & ratio.
Mos & institutum. Ius & consuetudo.

Ius

Ius. Ius par. Ius alicuius. Iura æqua.
Iura inimiciſsima. Iura extrema. Summum ius.
Fas eſſe fieri aliquid. Aliquid ius eſſe.
Aliquid ius eſſe alicuius. Ius alicuius rei agi.
Aliquem ſummo iure experiri.
Aliquem aliquid facere more & inſtituto.
Aliquem omni recta ratione defendere aliquem.
Aliquem omni recta & honeſta ratione aliquem defẽdere.
Aliquem iure aliquid facere.
Rem ab vſitata conſuetudine atq; ratione recedere.
Aliquid non licere. Aliquid non eſſe ius.
Aliquid non expedire cuiquam. Sed hoc præcurrens eſt: illa verò conſequentia.
Aliquem iura deſcribere.
Aliquem ius in ciuitate conſtituere.
Aliquem iura alicuius rei noſſe.
Aliquem docere, quid ſuum ius ſit.
Aliquem ſibi aliquid arrogare.
Aliquem ius ſuum obtinere.
Aliquem ius impetrare ab aliquo.
Alicui non inueniri æquum Magiſtratum.
Alicui non eſſe ius par cum aliquo. Alicui ius auferri.
Eripi ius alicui potentia alicuius.
Nihil eſſe ſanctum in aliquo loco.
Nihil eſſe ſincerum in ciuitate.
Nihil eſſe ſanctum atq; ſincerum in ciuitate.
Aliquid multis iniurijs iactatum atq; agitatum eſſe.
Aliquid fieri contra ius & conſuetudinem.
Reliqui ſunt Magiſtratus: quos tres habemus in hac cauſa, Prætorem, Tribunos, & Iudicem.

τα γενικα.

Magistratus.
Comparare aliquem magistratum.
Constituere aliquem magistratum.
Aduocare aliquem magistratum contra aliquem.
Consistere causam alicuius apud magistratum aliquem.
Aliquẽ ab omni magistratu agitatum atq; perterritũ esse.

τα ειδοποιητα.

PRAETOR.

Prætorem ius dicere.
Aliquem ire ad prætorem.
Aliquem postulare aliquid à prætore.
Prætorem decernere aliquid.
Prætorem edicere aliquo modo.
Prætorem iubere aliquem satisdare.
Prætorem malle fieri iudicium de probro, quàm de re.
Prætorem iudicium constituere ita, &c.
Edictum prætoris.
Fieri aliquid ex edicto prætoris.
Fieri aliquid iussu prætoris.
Ex edicto prætoris bona alicuius esse possessa.
Ex edicto prætoris mittere in possessionem.

TRIBVNI PL.

Magistratus auxilij causa constitutus.
Alicuius procuratorem à Prætore ad Tribunos appellare.
Petere à Tribunis auxilia. Apellare Tribunos.

IVDEX.

Grauitas iudicis. Virtus iudicis.
Grauitas & virtus iudicis.

Aliquos venire ad iudicem.
Confugere in alicuius iudicis fidem.
Aliquem sumere iudicem. *Confugere in alicuius iudicis veritatem, fidem, misericordiam.*
Aliquem iudicem sibi aduocare aliquos.
Aliquos esse alicuius in consilio. Aliquos in consilio adesse.
Veritatem apud iudicem valere.
Fidem iudicis consolari aliquem.
Apud aliquod consilium ex veritate, non ex opibus causa pendi. Iudicem non libenter iudicare de capite alterius.

CAPVT XVI.

De πραγματικοῦ dicitur.

Aliqui, qui consuluntur. Esse aliquos, qui consuluntur. Concurrere ad aliquem eorum, qui consuluntur.

Hic vnus est locus causarum forensium, copiosior quidem, quàm legendo aliquis potuisset animaduertere, tamen non plenus, propterea quòd ex hac Oratione tantùm est constatus. Neq; enim in vestris Pandectis, Frosi, nihil desideratur eorum, quæ comprehendere debent communia illa capita, quæ Tituli à vestris autoribus sunt apellata. Tituli pandectarum. *Sed rerum tùm varietas, tùm vsus locos copiosos plenosq; facit: neq; vno in loco non solùm illi ampli atque diffusi in particulas multas impleri non possunt, sed ne illi quidem, qui natura sunt angusti, statim omnia possunt habere aceruata. Nam cùm ex societatis ratione hoc iudicium ortum sit, tamen non multæ sunt loquendi formulæ in has causa, quæ ad eam rem pertineant. Præter has enim nullæ sunt aliæ, quas quidem nos vidimus.*

Societas. Voluntaria societas. Hæreditaria societas.
Societatis iura. Res atque ratio societatis.
Aliquem nosse societatis iura.
Res gesta & contracta.
Rem gestam & contractam esse.
Aliquem societatem cum aliquo facere.
Aliquem sibi socium aliquem adiungere.
Aliquem facere societatem aliquarum rerum.
Alicui cum aliquo societatem intercedere.
Alicui cum aliquo societatem esse.
Aliquem socium edere in bonis alicuius.
Aliquem esse socium.
Aliquem cum aliquo societatem coire.
Aliquem cum aliquo coire societatem voluntariam.
Aliquem aliquid in commune conferre.
Aliquem aliquid impendere & in commune conferre.
Aliqua comparari in aliquo loco.
Saltus agerq; communis.
Aliquid de communi ad se in priuatam domum seuocare.
Aliquem magna fide societatem gerere.
Fide societatem coli.
Aliquem iura societatis non nosse.
Fraudare aliquem in hæreditaria societate.
Aliquos communicare inter se de tota re atq; ratione societatis.
Aliquos decidere de rebus rationibusq; societatis.
Societatem alicui debere aliquid.
Neq; ex societatis ratione, neq; priuatim, aliquem alicui debere aliquid.
De rationibus & controuersijs societatis dijudicari.
Ius societatis agi.

Angustus

Angustus est hic locus, neq; tamẽ ob id est negligendus: in rariis sæpius existit destitutio, & in illis, quæ abundant, turpius est, si erretur. Quare vtrunq; diligenter cauendum est: vt neq; in tenuibus destituamur, neq; in accumulatis peccemus: quorum alteri venia non datur, alterum neglectæ exercitationis est indicium. Possem totam orationem dissolutam, & ad suas sedes redactam, in hoc opere explicare, & enumerare non solùm rerum, sed etiam verborum, tùm singulorũ, tùm cõiunctorum, locos oẽs, sed q̃ nimis id longum est, satis esse credo, si ad harum rerum inuestigationem excitem. Nam in ratione loquendi scribendiq; latinè, ista explicantur: in hoc loco propositum nobis est, non absoluere ea, quæ necessaria sunt ad instaurandam eloquentiam, sed indicare solùm, qua via possimus ad eiusmodi facultatem venire, quam veteres illi tum Latini tum Græci sunt assecuti. Ad hãc rem vtilissimum est, & certè quidem necessarium, collectas habere sententiarum formas. Tametsi enim res eadem apud omne genus hominũ sunt: tamen eadem non sunt rerum apud omnes signa. Nam vt literarum non easdem omnes gentes figuras habent: sic etiam diuersa inuenerunt constituerunt q; rebus vocabula, & dissimiles fecerunt verborum coniunctiones, quas qui ignorat, non sibi puritatem eius sermonis, quem profitetur, potest arrogare. Hanc rationem Cicero in conuertendis Græcorum scriptis videtur secutus esse. Scribit enim in præfatione, quam præposuit Aeschinis atq; Demosthenis duabus illis laudatis orationibus ad hunc modum: Conuerti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias Aeschinis Demosthenisq;: nec conuerti, vt interpres, sed vt orator, sententijs ijsdem & earum

Locus Aristotelis, in principio lib. περὶ ἑρμηνείας: ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτά: οὕτως οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί.

Cic. de conuertendis Græcorum scriptis, de optimo genere oratorum.

earum formis tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis, in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere: sed genus omne verborum vimq; seruaui. Non enim me annumerare lectori putaui oportere, sed tanquam appendere. Qui hic intelligit, quas vocet sententias, quas sententiarum formas, & quomodo à figuris formæ distinctæ sint, & quid sit annumerare verba, quid appẽdere: facilè videt, quam rationem in vertendo secutus sit Cicero.

CAPVT XVII.

Sentẽtiæ. *EXplicemus igitur, quæ sint illæ sententiarum formæ, de quibus Cicero scribit. Nunquam ociosus est humanus animus, nouasq; perpetuò colligit sententias, quibus de rebus ipse aliquid statuat. Res naturæ apud omnes eadem sunt, & eadem apud oẽs, cùm veræ sunt, rerũ sunt sententiæ. Eadem enim hominis, leonis, elephantis apud omnes homines est forma, neq; illæ definitiones certæ, quibus singulorum formæ explicantur, cùm veræ sunt, variant. Illa verò, quæ ab opinione oriuntur, animorum sensa magnam varietatem habent. Constituamus igitur res, tametsi rebus accidentibus sint distinctæ, tamen in suo genere, eandem habere formam: Sententias verò de rebus conquisitas aut perpetuas stabilesq; esse, aut non habere necessariam consensionem. Vtrunq; verò genus intus in animo inclusum maneret: nisi naturæ autor Deus nobis & vocis instrumenta, cum spiritu, & ipsarum cogitationum quasi quasdam concessisset figuras. Alter enim alterius sensa nunquam vidit: imago verò eorum aut in scribendo per oculos, aut in pronunciando per aures ad animum potest deferri. Sententias*

Aristo-

Aristoteles παθήματα τῆς ψυχῆς: *harum formas* σύμβολα, *figuras verò* ὁμοιώματα *vocat. Quemadmodum enim sensus mouentur pro rerum obiectarum natura, sic animum comprehensiones sententiarum ita afficiunt, vt illa res solent, quarum ipsæ sunt simulachra. Sed si sub aliquem sensum cadant illa simulachra, figuræ: Si verò ad animũ pertinent, etiam formæ sunt nominatæ. Figuræ enim* ἀπεικονίσματα *sunt &* ἀπομάξεις *rerum, & à pictoribus atq; fictoribus ostenduntur: formæ verò* σύμβολα: *sed non oẽs formæ sunt figuræ: omnes verò figuræ formarum nomen assumere possunt. In oratione igitur formæ distinctiùs dicuntur, quàm figuræ. Hæ variæ sunt & diuersæ apud oẽs gentes, et quemadmodum apud omnes non ẏdem, neq; mores, neq; instituta, neq; vestes, sic verborum alia vis, alia compositio est singulis nationibus. Videamus igitur in Oratione illa Demosthenis contra Aeschinem, quæ sint formæ Latinæ, & quæ Atticæ. Sic enim meliùs id, de quo dicimus, cognoscetur. Sumamus primùm illam conuersionem, quæ est in principio, eamq; dissoluamus, videamusq;, quæ habeat communia cum latino, & quæ propria Græcus sermo:* πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇδε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν τοσαύτην ὑπάρξαί μοι παρ' ὑμῶν εἰς τὸν ἅπαντα τ' ἀγῶνα. *Primùm ego à Dijs, Deabusq; omnibus precor, Athenienses, vt quam beneuolentiam constanter erga Rempublicam omnesq; vos habeo, eandem mihi in hoc iudicio præstetis. Multa Græcus sermo hic cõmunia habet cum Latino, vt* πρῶτον, θεοί, εὔχομαι, ἔχω, πόλις, πᾶς, ὑπάρχειν. *Nam etiã Latinis est, primùm, Deus, precor, habeo, ciuitas, omnis, existere: & magna in singulis est similitudo. Veruntamen in singulis quoq;*

Figuræ, ὁμοιώματα.
Sensus, αἰσθήσεσ.
Simulachra rerum.
I. Figuræ, ἀπεικονίσματα, καὶ ἀπομάξεσ.
II. Formæ.
Formæ in Oratione.

Orationis Demosthenis initium περὶ στεφάνου.

Similitudo inter Græcum, & Latinum sermonem.

quoq; sæpe magna est dissimilitudo. Nam non eo modo Latini perseuerare dicunt, quo Græci διατελεῖν: & quanquam magna est affinitas inter causam & ἀγῶνα, tamen non ex eodem sunt deriuata fonte. Deinde tametsi etiam singula, atq; solitaria eiusdem sint sæpe generis, tamen in coniunctione plerunq; non eandem vim habere possunt. Quanquam enim, vt Græcum est εὔνοιαν ἔχειν, sic Latinum, beneuolentiam habere: tamen Latini, habere beneuolentiam erga aliquẽ, vsitatiùs dicunt, Græci εὔνοιαν ἔχειν τινὶ receperunt: & præstari beneuolentiam alicui, latinius esse puto, quàm, esse: sed tamen Græci, ὑπάρχειν τινὶ εὔνοιαν, habent. Deinde consuetudo multa immutat. Græcis familiare est dicere, ὦ ἄνδρες ἀθλιωταῖοι: Latini duo illa priora plerunq; abyciunt. Hinc est, quòd Cicero in quæstionibus Tusculanis exposuit: Magna me spes tenet, Iudices: at apud Platonem est: ἀλλὰ μή, ἄνδρες ἀθλιωταῖοι: Sed & latinè legimus, non apud poëtas solùm, ô Tite, ô Melibœe, verùm apud etiam oratores: ô Marce Druse: verùm in coniunctione rerum differentium videndum est, quid sit vsitatius. Adhæc nominum sæpe casus adferunt dissimilitudinem apud Græcos, vt est θεοὶ πάντες καὶ πᾶσαι, Latini per Omnes exprimere idem non possunt, per Vniuersos possunt, sed non eadem vi significandi, ideoq; retinendũ est latinum illud, Deos Deasq; omnes: &, â Dijs Deabusq; immortalibus precor: â Dijs Deabusq; omnibus opto. Hoc enim apud Græcos εὔχεσθαι significat. Itaq; vt latinè pureq; loquamur, non numeranda sunt aliarum linguarum verba, sed appendenda. Appenduntur autem significatione, sono, vtroq;, & numero, vt peraquè sint grauia, sonantia, plena, numerosa, atq; illa fuerũt, quæ sunt conuersa. Quamobrem si nõ omnia verba potuerunt è Græ-

Verba cõiuncta.

Nominum casus, qui afferunt dissimilitudinem.

Numerare aliarum linguarum verba.

Appendere.

runt è Græcis conuerti: tamẽ, vt generis eiusdem sint, elaborandum est, & conandum, vt vis eadem in significando maneat: & si erunt diuersi numeri: efficiendum est, vt neque dissimilis compositione, neque interuallis impar modus conficiatur. Id fiet verborum præpositione, postpositione, interpositione, appositione, commutatione. In his igitur velim pueritiæ disciplinam instituì, vt non solùm poëtas, atq; rerum gestarum scriptores legant, quorum alteri persæpe, alteri propè semper à quotidiano more verborum tùm genere tùm compositione abhorrent: sed etiam oratores legant, qui in communi vsu, & vulgi consuetudine & sermone manent, atq; ita legant, vt Oratores ante poëtas, & historicos cognoscantur. In omnibus verò locos, & rerum & verborum conquirant, eosq; & plenos faciant, & exercitatione notos habeant, sintq; ipsis, cùm erit opus, in promtu. Facilis ratio est colligendorum, atq; etiam distinguendorum locorum: at hæc enumeratio rerum, quæ ad eloquentiam comparandam necessariæ sunt, prolixam tractationem recusat: quare de reliquis post. hac etiam aliquid explicemus.

Epilogus. Pulcherrimum præceptum. Verborum variatio. Lectio scriptorum. Locorum cõquisitio, & impletio. Conclusio.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE

DE AMISSA DICENDI RATIONE, ET QVOMODO ea recuperanda sit, Liber Secundus.

DE SVBTILI RATIONE praceptorum Rhetoricorum.

CAPVT I.

Præcepta Rhetorica.

SVBTILIS igitur illa ratio tertio loco collocata est, qua præcepta Rhetorica traduntur, & ille futurus orator informatur. Per hanc enim primus aditus patefit ad dicendi rationem: illa duo huc adferri, non ex hac peti debent. Sed addendus est

Sermo quotidianus.

sermo quotidianus, vt, priusquam discant dicere adolescẽtes, sciant loqui. Verùm illum ex nostro loquendi more non consequemur. Vitiosè plerique omnes loquimur, & deformata verba latina sunt nostra consuetudine, ad quam emendandam necessaria est illa ratio congregandi disponendique sententiarum formas: quas tùm loquendi consuetudine, tùm stili exercitatione quasi in manibus, quoties erit opus, habere debemus. Sed diligentia, ratio, atque commoderatio in vtroque est adhibenda, ne illa consuetudine inceptã aliquam loquacitatem adiungamus. Est enim verum, quod à Crasso dicitur, peruersè dicere homines peruersè dicendo facilimè consequi. Verùm deducamus nunc eum, qui natura optima præditus est, qui Grammaticos magno cum fructu audiuit, qui scit loqui latinè, ad dicendi magistros.

De arte, & exercitatione. Ars.

Quid huic, Frosti, si eruditi, si viri boni sunt, proponent? artem nimirum, atque exercitationem. Ars ipsa breui præceptione potest tradi: etiam exercitatio, sed plus requirit, & laboris, & temporis. Sunt enim omnia præcepta ad ea referenda

referenda, quæ in oratoris sunt officio, ad conciliandum, docendum, mouendum. Traditæ sunt igitur partitiones quæstionum, statuum, causarum ciuilium, locorum, in quibus latent argumenta: explicatæ sunt omnes orationis partes: ostensæ sunt rationes, quibus animi eorum, qui audiũt, concilientur, incitentur, reprimantur: habemus doctrinam de ornamentis orationis, vt pura, vt plena, vt ornata, vt apta conficiatur. Hæc omnia breui tempore doceri poterũt, si multitudo, atq; varietas præceptorum vitetur. Nam nõ modò ad discendum, sed etiam ad docendum satis est cognouisse ea, quæ Herennio præcepta in manibus sunt, & quæ de Oratore ad Q. Fratrem scripsit Cicero, & tres libros Rhetoricos Aristotelis, & Hermogenem, quibus partitiones Oratoriæ adiungendæ, ad conseruandam memoriam. Tria enim in horum cognitione atq; comparatione sunt spectanda, explicatio facilior, adiunctio eorum, quæ desunt, delectus. Certa, n. & perpetuò proposita esse debent, quæ discuntur: deinde plena, atq; perfecta, quæ, cùm non benè intelliguntur, multa solent adferre incommoda. Sed nihil in his tam firmat & erigit ad agendum laudabiliter aliquid oratione animum, quàm Dialectica, quæ cum oratoris arte rectè coniungitur. Vtraq; enim alteri ἀντίστροφος est, vt ait Aristoteles, & quasi ad eundem ambæ chorum accinuntur. Ergo qui proposito oratoris officio, quod conciliando, docendo, mouendoq; continetur, genera nouit tùm finitarum tùm infinitarum quæstionum, & ad has, causarũ status (sic enim ex Græca lingua conuertunt) potest accommodare, ipsosq; status per sua capita dispensare, & qui locos cognitos habet, ex quibus tùm hæc muniat, amplificet, ornet, tùm singulas orationis partes in vnoquoque causarum genere impleat, ad præparandum, ad docendum, ad turbandum,

Qui dicẽdi magistri cognoscẽdi.

Necessitas Dialecticæ.

aut quoquo modo afficiendum eum, qui audit (necessaria enim est doctrina de affectibus) qui hæc, inquam, omnia tenet, neque imperitus est Dialecticæ, facilè poterit ita dicendi præcepta non multo tempore, si commodum nactus sit ingenium, si instructum sit idem verborum copia, tradere. Sed de exercitatione nunc est præcipiendum. Parum.n. prosunt præcepta, nisi accedat exercendi consuetudo: quæ procreatrix est omnis habitus. Eam diuidimus in domesticam, & publicam: sed nobis instituta ratio est de domestica, quæ vmbratilis est, & subitur magno quidem illa fastidio, sed tamen ἀναιμωτί, sine clamoribus, sine omni acie atq; agmine cruenti prælij.

De exercitatione.

Exercitatio duplex

DE EXERCITATIONE *domestica.*

CAPVT II.

Eius partitio.

ILla igitur siue domestica, siue ludicra in scholis Rhetorum exercitatio perficitur annotatione præceptorum, memoria, imitatione, commentatione, stilo, consuetudine declamandi. De his sex autem nobis scribendum est, antequam ad ea, quæ adhuc ex illis nouem restant, peruenamus. Post igitur cognita præcepta, aut etiam, quod fortasse melius est, post inchoatam hanc doctrinam, proponendi autores sunt, in quibus, quæ in illa disciplina tradita sunt, quæq; traduntur, aliquando etiam, quæ pòst sunt tradenda, indicentur. Sed Oratores principiò sumendi sũt. Poëtæ tùm, cùm, quid deceat, poterit cognoscere. Verùm illi etiam nõ multo pòst tempore adhibendi. Augetur.n. ex illis orationis grauitas, non tàm verbis, aut eorum compositione, quàm

I Annotatio præceptorum in scriptoribus.

Oratores. Poëtæ.

Ἀνάλυσις orationis Quintianæ.

quàm tractandi modo atq; dictionis genere. Ostendamus igitur, in Oratione Quintiana, quid sit obseruandum. Nimirum inuestigandum est, vbi ea sint, quæ sunt antè tradita. Antequam igitur ad partes orationis singulas veniatur, indicandum est primùm quæstionis genus: deinde id, in quo est controuersia, quem statum & constitutionem Rhetores atq; Sophistæ in scholis vocant: postremò etiam ea, quibus ipse status probatur, hoc est, τὰ κεφάλαια. Nam illa apud Hermogenem capita, nihil aliud sunt, quàm loci vniuscuiusq; controuersiæ propry. Cognoscuntur autem hæc in eo loco maximè, vbi ipsa constituitur controuersia: quod fit plerunq; post narrationem, vel propositione, vel partitione, vt in hac causa: Negamus te bona P. Quintij, Sexte Næui, possedisse ex edicto prætoris. In eo sponsio facta est. Ex hac enim sententia tùm quæstionis species, tum constitutio intelligitur. Finita enim est, quia est personarum cõplexio, Næuij scilicet & Quintij. Status verò qualitatis, quia negat ex edicto, hoc est, ex more & instituto & rectè esse possessa. Sequitur iam partitio, qua capita controuersiæ siue status indicat: Ostendam primùm, causam non fuisse, cur à prætore postulares, vt bona Publy Quintij possideres: deinde, ex edicto non potuisse possidere: postremò, non possedisse. Hæc omnia confirmantur ex locis coniecturæ. Quare confirmationis propositio, ad illud genus controuersiæ referenda est, in quo, qualis sit res, inuestigatur. Confirmatio verò propè tota σοχασικὴ est, cùm quæritur, an debuerit, an vadimonium deseruerit, hoc est, an aliqua sit causa, cur postularet, an latuerit, an exilij causa solum verterit, hoc est, an possederit ex edicto, an omnia possederit, fuerintne aliqua non possessa, hoc est, an omnino possederit. Assuescãt igitur

Considerãtio ante partes. 1. γένος λόγυ. 2 Η σάσις. 3. Τὰ κεφάλαια.

Capita statuum vnde animaduertantur.

1. Propositio.

2. Quæstionis species.

3. Cõstitutio

4. Partitio.

Capita controuersiæ.

Confirmatio σοχασικὴ.

Argumentū. περιοχή. Ὑπόθεσις. Στάσις, καὶ κρινόμενον.

igitur adolescentes, quemadmodū ex narratione argumentum, sic ex constitutione causæ atq; partitione, eruere tùm quæstionis genus, tùm id, de quo est iudicium: atq; distinguere confirmationis propositionem ab illis, per quæ id, quod propositum est, munitur. Vtile autem est primùm omnium laborem in horū trium cōquisitione suscipere. Quēadmodum enim Antonius non prius ab Oratore vult exordium fieri, quàm tota ipsa causa pertentata sit atq; perspecta: sic etiam antè oratio illa, quam volumus cognoscere, tota legenda est, & perspicienda ἡ προκατασκευή, quàm de singulis partibus aliquid constituatur. προκατασκευὴν voco, causæ primam expositionem et partitionem præcipuam. Nam & Crassus, Constituere causam, dicit, hoc est, προκατασκευάζειν. Sed & rei gestionem vtile est antè cognouisse. Itaq; etiam inspicienda est narratio, priusquam aditus causa examinetur. Post hanc considerationem ad partes est descendendum. Vis enim Exordij non extrinsecus, vt ait Antonius, sed quasi ex visceribus causæ trahi debet, quæ ex reliquis omnibus magis, quàm ex ipso principio, possunt videri. Proprium munus exordij est, conciliare nobis eum, qui audit: accedit eō, vt etiam doceatur breuiter, atq; excitetur ad audiendum. Ad conciliationem tria pertinent, σύγκρουσις, διαβολή, λύσις διαβολῆς. Nam si ante nos dixit aduersarius, periculum est, ne alienatus sit à nobis Iudex: igitur breuiter resistendū eius criminationibus, & ipse reprehēdendus est, et cōmēdandus est is reus, pro quo nos causam suscepimus. Sed hæc siue cōmēdatio siue cōciliatio aut ἦθος habet, aut incōmodorum ἀπαρίθμησιν, aut ex utroq; profectā ἀξίωσιν. Viro enim bono fauent homines, et eidem calamitoso atq; laborāti, libenter boni succurrunt: & adsumus libenter,

Cōsideratio partiū Exordij vis

Munus Exordij proprium.

Εὐνοίας conciliatio.

Σύγκρουσις. Cōmēdatio. 1. Ἦθος. 2 Ἀπαρίθμησις τῶν βλαβερῶν. 3. Ἀξίωσις.

lenter, tùm semper viro bono atq; laboranti, tùm præcipuè, si ita rogemus, vt ipsa postulatio cum laude Iudicis absq; adulationis suspicione coniungatur. Admittit quoq; vir bonus atq; seuerus laudem, eaq; vtilitatem adfert, sed odiosa est assentatio, ingrataeq; blanditiæ sunt. Denicq; quæcunq; significationem virtutis habent, illa conuenienter adhibita beneuolentiam pariunt. Hinc illæ etiam ὁμολογίαι in defensionibus peccatorum sæpe auditorem mouent. Notæ enim non rarò sunt animi aut simplicis aut summissi. Ac quid in hac causa aliud Cicero elaborat, quàm vt multitudinem incõmodorum ac periculi magnitudinem ostendat? In quo illud etiam annotandum est, euentorum denunciationes magnam vim habere ad excitandum, flectendum, omnemq; rationem turbandorum animorum. Ex hoc genere est: Certè aut apud te & eos, qui tibi assunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa vi locum, vbi consistat, reperire nõ poterit. Sed hìc nimia solicitudo suspecta est. Quare, ne videamur dubitare de fide Iudicis, vt in multis locis exordiorum, ita hìc quoq; occupationibus est vtendum: cuiusmodi illud est: Non eò dico, C. Aquili, quò mihi veniat in dubium tua fides & constantia. Nihil enim tam est vitandum, quàm Iudicis offensio: mouere atq; turbare eũ debemus: non possumus sine nostra partis periculo offẽdere. Quare quæ ratio sit mouendorum animorum, penitus est cognoscenda. Plus. n. ad victoriam adferunt auxiliorum, sententiæ, quæ mouent in tẽpore, quàm, quæ docent. Duo. n. sunt, vt orationis, sic sententiarum genera. Vnum est, quod docet tantùm, & nudè atq; simpliciter exponitur, vt, Hæredem testamento reliquit hunc P. Quintium: alterum, quod coniunctum est, & ad mouendum imprimis pertinet, vt illud. Vt ad quem summus mœror morte sua venichat,

4. Επαναφορὰ

Assẽtatio & blanditiæ. 5.

Ομολογίαι.

Euẽtorum denũciatio.

Λύσις τῆς ἐπιβολῆς.

Excursus de Motu. Duo sentẽtiarum genera. 1. Simplex & solitarium. 2. Cõiunctũ.

ad eundem summus honor quoq; perueniret. Sed duob. modis tùm docemus, tùm afficimus. Vnus fit expositione solitaria, vt: Cùm vadimonia sæpe dilata essent, & cùm aliquantum temporis in ea re esset consumtum, neq; quicquā perfectum esset, venit ad vadimonium Næuius. Item illa: Verùm ita se res habet, vt ego, qui neq; vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertißimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, cum aduersario gratiosißimo contendat: illa ad docendum valent, hæc ad conciliandum. Alter modus est, cùm etiam adiungimus approbationem, vt: Nec mirum, si eius vtebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat: hæc probationem tantùm habet, illa ad turbandum etiam spectat: Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicū, socium, affinem, fama, fortunisq; spoliare conatus est, vnū se & perfidiosum & impium esse fateatur. In constituendis causis in proponendo atq; distribuēdo, et sæpe in narrationibus, illo primo genere sententiarum vtimur, quod nudè rem exponit. Quæ tantùm mouent, exordijs sunt aptiores. Quæ simul cùm proponunt affirmant, sæpe in narrationes, semper in cōfirmationes cadunt: quæ verò ratione adiuncta mouent, perorationum sunt propriæ. Sed nihil ita proprium est, quod non aliò aliquando aut poßit aut debeat transferri: attamen scire oportet, quid in vnaquáq; re perpetuum sit: quid aliunde deceat assumi. Illud etiam admonendum esset, enumerationes illas incommodorum comparatione atq; conquestione fieri vehementiores, nisi hæc duo magis ad elocutionem pertinerent, quàm ad rationem inueniendi. Sed est vtile ad docendum atq; afficiendum, scire, contraria quoq; & dißimi

Expositio solitaria.

Adiuncta approbatio.

Vsus horū generum.

1.
2.
3.
4.

Ἐργασία ἐνδείξεως τῶν βλαβερῶν.

& dissimilia conquirenda esse. Atq; hinc est, quòd non solùm Quintij inopia atq; solitudo denunciatur, sed ex altera etiam parte, gratia opesq; Nævij oppositæ sunt: neq; tantùm Cicero ingenium suum exiguum esse significat, verùm Hortensium quoq; è regione statuit: quò res clarè demonstrata plus valeat ad id, quod cupit, consequendum. Quanquam sæpe & sine comparatione res explicantur, vt in hoc principio quæ de aduocatione Næuiana, quæ de prætore, et de agendi ordine conqueritur. Verùm, vt monui, obseruandum est, quid perpetuum teneatur, quid aliquando adferatur. Commendatione plerunq; opus est in omni vestibulo orationis: aliquando criminatione: sæpe criminum refutatione: propè semper expositione: sed rariùs illæ similitudines adhibentur: Ita fit, vt ego, qui tela depellere & vulneribus mederi debeam, tùm id facere cogar, cùm etiam telum aduersarius nullum iecerit. Sed illa similia tùm demum adhibentur, cùm aut ornatum decentiorem, aut vim maiorem adferunt. Itaq; hæc ad imitandum sunt obseruanda, illa tenenda. Hoc eò dico, vt intelligatur, esse aliqua, quæ in arte præcipiuntur, talia, vt semper sint adhibenda: quædam verò, quæ aliquando: necessitatis sunt, quæ sunt perpetua: doctrinæ atq; vsus magni, quæ non nisi cùm decet possunt interseri.

Comparatio, & conquestio.

Σύστασις. Διαβολή. Λύσις. Expositio. Similitudo

DE NARRATIONE CAPVT III.

SEd nunc ad narrationem veniamus: de qua non multiplex etiam est præceptio. Quid enim aliud traditur, quàm cùm vnius generis est, eam esse debere aut ἁπλήν *aut* ἐγκατάσκευον *aut* ἐνδιάσκευον. *Nam vel nudè rem exponimus, si est*

Narrationis præceptio.

1.

2. *si est humilis: vel si est dubia, ita narramus, vt singulis sen-*
3. *tentijs suas adiũgamus causas atq; rationes: vel si est ma-*
gna atq; indigna, non satis est nobis, intelligi totum negoci-
Ἁπλῆ· ἐγκα *um, nisi etiam quasi oculis cerni videatur. Primo igitur*
τάσκευος. *genere in rebus paruis & apertis: altero in obscuris & du-*
ἐνδιάσκευος *bijs: postremo in grauibus, magnis, periculosis vtimur. Duo*
πλάτος nar *illa posteriora copiosius tractantur, commemoratione πα-*
rationis. ραλειπομένων, πραττομένων, αἰτιῶν, λογισμῶν. *Sed illa tria ge-*
nera, rarò singula totam orationem occupant, plerunq; duo,
sæpe omnia adhibentur. Nam tametsi huius causæ expositio
Nuda ἁπλᾶ *multa habet, quæ* ἐγκατάσκευα *sint, tamen illa nuda sunt*
atq; solitaria: Libellos Sext. Alphenus procurator P. Quin-
tij, familiaris & propinquus Sext. Nauij deijcit, denunciat
sese procuratorem esse: istum æquum esse famæ fortunisq;
P. Quintij consulere, & aduentum eius expectare. Sed re-
Adiunctio *liqua illa duo genera tractantur fusiùs adiunctione eorum,*
reliquorum *quæ dixi. Fit autem illa adiunctio aut præpositione aut*
postpositione, aut interpositione causarum, & consiliorum,
χωρισμός *aut hæc ipsa extra conuersionem ponuntur separatim. Hic*
Postpositio. *enim seorsim causa facto postponitur: Hæreredem testa-*
mento reliquit hunc P. Quintium, vt ad quem summus
mœror morte sua veniebat, ad eundem summus honor
quoq; perueniret. Hic coniunctè: Nec mirùm, si eius vte-
batur cõsilio, cuius auxiliũ sibi paratum putabat. In ista
Interpositio *interponitur: Hic cùm rem Gallicanam cuperet inuisere,*
Præpositio. *hominem in præsentia non vadatur. Præponitur causa siue*
ratio separatim in illis: Ait se auctionatum esse in Gallia,
quod sibi videretur se vendidisse, curasse, ne quid sibi socie-
τὸ πραττό- *tas deberet. Hæc sunt præcurrẽtes rationes. Seqtur res ipsa:*
μενον. *Se iam neq; vadari ãplius, neq; vadimoniũ promittere. Hic*
verò

verò cõiunctè: Destitutione illa perculsus Quintius à Scapulis paucos dies aufert. Quandoq; iterãtur causæ, vt: Quia quod virum bonũ facere oportebat, id loquebatur Nauius, credidit Quintius, eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoq; imitaturum. Hoc genus apertius est, & plus habet ornamenti. Eadem ratio est consiliorum, sed differunt consilia à causis, quòd consilia ad eum spectant, qui fecit: causa verò ab oratore adduntur, etiamsi antè non sint à reo considerata. Itaq; hìc causa vocabitur: Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæsiuerat, magno sibi quæstui fore putabat. Illic consilium: Qui hunc in summas angustias adductum putaret, vt eũ suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, assẽ se negat daturum. Sed finguntur plerunq; consilia ab oratoribus: & diligens exercitatio requiritur, vt subitò & conuenienter, cùm opus erit, accommodentur. Quamobrẽ illud teneatur, nullum narrandi genus esse, quod non sit aut simplex, aut munitum rationibus, aut ita explicatum, vt gestio rei quasi cerni putetur: Quæ verò narrantur, aut rẽ esse, aut causam rei, aut de ipsa re consilium. Rerum duplex genus est. Aut enim facta sunt, quæ fieri vel decuit, vel contra, quæ sunt vetita: aut non facta, quæ facere oportuit. Vtrumq; suas habet annexas causas, applicataq; consilia. His quatuor corpus narrationis crescit atq; cõdensatur. Quidam addunt agendi modum, qui si admittitur, ad tertium genus, adhibetur. Fit enim res eo illustrior. Sed comprehendi potest sub consilio. Ad hanc bipartitam distributionem tertia diuisio addenda est, qua partimur narrationum formas, in probabilẽ, apertam, suauẽ. Nam breuitatis illa species aperta orationis ancilla est. Omnia hæc tũ in tota narratione, tùm in singulis membris considerantur.

Iteratio causarum.

Quomodo λογισμοὶ, & τὰ αἴτια differant.

Conclusio.

τὰ πραχθέντα, καὶ παραλελειμμένα.

ὀξύτης τῆς πράξεως.

Tertia Diuisio Narrationis τὰ ἰδέα. τὸ πιθανὸν.

Sed

σαφήνεια, ἡδύ γλυκύτης.

Sed τὸ πιθανὸν, ἡδὺ ἡ σαφήνεια aequabiliter in omnibus fusa esse debet. Suauitas sæpe breuiter interponitur, aliquando retinetur in omnibus. Quanquā enim semper fastidium fugiendum est, tamen fit non semper, vt delectatio conquisita esse videatur. Suauitatē habet ille locus: Nam neq; parum facetus scurra Sex. Nanius, neq; inhumanus præco est vnquam existimatus: & ille. Tum iste vir optimus, vereor ne se deridēri putet, quòd iterum iam dico optimus. In hoc probabilitas est captata: Quintius porrò istū facere posse videbat, debere intelligebat, mentiri, quia causa, cur mentiretur, non erat, non putabat: quasi domi nūmos haberet, ita Scapulis constituit se daturum. Dilucida oratio in vniuersis spectatur magis, quàm in singulis, acquiriturq; rerum ordine et verborum compositione. Sed quærat aliquis, quò illæ declinationes vehementiores referendæ sint: Qua ex re intelligi facilè potuit nullum officiū esse tam sanctū atq; solenne, quod non auaricia cōminuere atq; violare soleat. Affectus ipsi, Frosi, etiam illi vehementes suauitatem adferunt. Hoc ab Aristotele in Rhetoricis est indicatum. Notum enim tibi locum esse credo libro secundo Rhetoricorum, διὸ καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδύ, ὥσπερ ὁμήρῳ ἐποίησε περὶ θυμοῦ, ὥσε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο, addit etiam καὶ ᾧ ταῖς πλείσαις ἐπιθυμίαις ἀκολουθεῖ τις ἡδονή, illud quoq; adiungit καὶ ᾧ τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονή. Ea causa est, quamobrem illæ breues declinatiunculæ in narrando ad mouendos animos fiant. Dum enim irascuntur auditores, dum sperant, dum metuunt, libenter auscultant, de illis rebus narranti, quæ res eos motus adferunt. Nunc id, quod post expositionem huius causæ est, quidnam sit & cuiusmodi tractationem habeat, obseruemus.

Suauis expositio. Εἰρωνεία. Probabilis, πιθανή. Dilucida. σαφής. Ἀποσάσασ παθητικαί. τὰ πάθη.

CAPVT

CAPVT IIII.

Excursus, παρεκβάσις, ἐκβολαὶ τοῦ λόγου ἢ παρατροπαί.

EXcursus illos, qui à Gracis ἐκβάσεις sunt nominati, cùm in omnibus causarum locis sæpe vtiles esse in arte ostenditur, tùm, quemadmodum post rem probatam, sic post narratam etiam, magnas frequẽter cõmoditates habere, etiam illos, qui sunt prolixiores. Sed post narrationẽ sæpe eadem propè est digressionum methodus, cum exordiorum ratione. Nam & σύστασιν habent & διαβολὴν & λύσιν τῶν ἀντιθέσεων, et vt post exordium προκατάστασις est narrationis, sic ante confirmationem, post illam decursionem factam, quoddam debet esse veluti vestibulum, antequam ad partitionem causæ veniatur, quæ probationis est tanquam caput, ad quod omnia, quæ dicentur, sunt referenda, vt in hac excursione. Commendatio enim est, cum ait: Iudicium esse, C. Aquili, non de re pecuniaria, sed de fama fortunisq; P. Quintij vides. Illic criminatio: Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quamdiu diceremus, præstitueres. Refutatio duplex est, aut eorum, quæ constat esse obiecta, aut eorum, quæ ab ipso prouidentur oratore. Hoc certum est: Queritur priore patrono causam defẽdente nunquam perorari potuisse. Illud antè prospectum: Nec illud mihi arrogabo, me posse commodius causam demonstrare, quàm antea demonstrata sit. προκατάσασις verò cum illa fit declinatione ad aduersariũ: Faciam, quod te sæpe animaduerti facere, Hortẽsi: totã causæ meæ dictionẽ certas in partes diuidã. Qui locus etiã vrbanitate non caret. Illudit enim cõsuetudinẽ Hortẽsij in diuidẽdo. Sequtur igitur partitio tripartita. Cum verò omnis partitio ad certã aliquã propositionẽ accõmodetur, vtranq; hoc in loco cõiunxit: Negamus te bona P. Quintij,

Excursio, περσύσασιν διαβολήν.

Partitio.

Λύσις duplex.

προκατάσασις per declinationẽ, ἀποστροφήν.

Propositio κατάσασις ὑποθέσις,

ἡ διαίρεσις Partitio, πρόθεσις, ὑπόσχεσις, προδιόρθωσις.

Sexte Naui, possedisse ex edicto Prætoris. Propositio hæc est confirmationis. Verùm quoniam illa variè probatur, & quia vnius conclusionis argumenta plura esse possunt, vt traditur in Dialecticis, eò partitio additur, quæ confirmationem intra certos terminos teneat: Ostendam primùm, causã non fuisse, cur à Prætore postulares. Sed in hac causa repetita est partitio, quæ causa est, quòd ἀξίωσιν interposuit: non enim dissimulat Cicero diligentiam, quantamcunq; potuit adhibere.

Repetita partitio, κατ' ἀξίωσιν

CAPVT V.

Decõfirmatione. Quæstio. κεφάλαια. Πίστεις. κεφάλαια σοφιστικά. παραγραφὴ. ἔλέγχων ἀπαίτησις. βόλησις. δύναμις.

Considerandis autem in partitione atq; tota προκατασκευῇ illis, quæ in arte præcepta sunt, proximum est, vt ad cõfirmationem descendatur, quæ sæpe variis nititur probationibus. Nam cùm hîc summa quæstio proposita sit: Negamus, te bona P. Quintij ex edicto Prætoris possedisse: ad eam confirmandam tria adferuntur. Non enim fuit causa, cur postulares: non potuisti ex edicto possidere: non possedisti: & hæc ipsa variè comprobari solent. Nam ad confirmandum, non fuisse causam, cur postularet, duas adiungit rationes, quòd non debuerit aliquid P. Quintius, quòd vadimonium non deseruerit: quæ duo ad coniecturæ capita pertinent. Enumerat Hermogenes decem, quibus omnis cõiectura iudiciorũ stabilitur, παραγραφὴν, ἐλέγχων ἀπαίτησιν, βόλησιν, δύναμιν, ἀπὸ ἀρχῆς ἄχρι τέλους, ἀντίληψιν, μετάληψιν, μετάθεσιν αἰτίας, πιθανὴν ἀπολογίαν, κοινὴν ποιότητα. Sæpe, n. fit, vt actionis ratio à nobis recusetur, quale est: Iniquè fit, me, qui caput alterius defendã, priore loco causam dicere: & si testes sint quæstiones habitæ, magis constat de facto. Voluntatis etiam significatio, atq; agendi facultas multùm ad præ-

ad probandum valent: quæ duo ex loci, temporis, causarũ, personarumq; complexu stabiliuntur. Illa enim sunt τὰ ἀπ' ἀρχῆσ ἀχρὶ τέλουσ, quæ cum rebus sunt coniuncta. Multùm etiam ad debilitandam criminationem aduersarij adfert, posse recta ratione defendere ea, quæ tanquam propria rei notæ proferuntur ab accusatore: & in hac defensione illa μετάληψισ vehemens est: Non rectè postulasti, vt bona P. Quintij possideres: & si rectè id facere potuisses, tamen non decebat amici, socij, propinqui bona postulare: qui locus quoniam ad mouendum multùm est accommodatus, θέσει & κοινῇ ποιότητι est illustratus. Non rarò etiam causam aliã præteximus, quam eam, quæ ab aduersarijs adfertur, quod genus μετάθεσιν αἰτίασ Hermogenes vocat, vt: Tribunos appellauimus, non quòd pati iudicio recusauerimus, sed vt contra iniquitatem Prætoris fieret intercessio. Coniunguntur etiam capita, vt hîc: Eum Magistratũ appellamus: qui more & instituto auxilij causa est institutus. Quid verò sit πιθανὴ ἀπολογία facilè intelligitur. Est enim vehemens defensio, vt: Quòd in publicum prodij, non temeritatis argumentum, sed innocentiæ est: Quòd sepelij, non id celandi causa feci, sed pietate motus sepelij insepultum. Verùm hîc obseruãdum est, neq; in omnem causam omnia incidere capita, neq; omnia in confirmationem seuocari. Tota enim illa conquestio παραγραφικὴ est in exordio, quòd priore loco causam dicat. Sæpe etiam testibus destituimur: sæpe facultatem nobis fuisse certum est. Quare dissimulare artis est, & voluntatem tantùm proferre.

τὰ ἀπ' ἀρχῆσ ἀχρὶ τέλουσ,

Αντίληψισ.

Μετάληψισ.

θέσει ἢ κοινῇ ποιότητι.

Μετάθεσισ αἰτίασ ἢ ἔγκλημα ἐντοπικόν.

πιθανὴ ἀπολογία, ἢ ἀναντίῤῥεφον.

Præceptũ.

CAPVT VI.

Occupatio. Sed quærat fortassis aliquis, quomodo illa, quæ Græci κεφάλαια vocant, differant ab argumentorum locis?

Λύσις. Vt hoc intelligatur, videndum est discrimen, quod est inter ζητήματα, στάσεις, κεφάλαια, πίστεις. Sæpe fit, vt vnum idēq; factum variis modis probetur. Itaq; varia sæpe existunt

1. Ζήτημα. ζητήματα, hoc est, quæstiones. Sed quæstionem vocamus propriè eam, quæ prima est, atq; statum complectitur: vt hic quæstio est, an Nævius possederit bona P. Quintij ex

2. Στάσις. edicto Prætoris, id est, an rectè possederit: vnde status conficitur qualitatis. Ergo in eodem loco & quæstio est, & indicatur status, qui suos habet proprios locos, qui vocantur

3. κεφάλαια capita, ad quæ illæ πίστεις siue argumenta ex locis erutæ referantur. Vaga enim sunt sæpenumero argumenta, nisi ad

4. πίστεις. certum caput dirigantur, & id caput ineptum est, si non ad statum accommodetur eum, qui est præcipuus. Quemadmodum enim apud Dialecticos in conficiendis προσυλλογισμοῖς τὰ ἀσύναπτα vtilia sunt, ex quibus cōclusio neq; vnius neq; cōpositæ fieri potest: sic etiā Oratori cauēdum est, ne quid aduocetur à quæstione alienum: & vt in προσυλλογισμοῖς non omnia possunt intertexi media, sic etiam neq; in quoduis caput quæuis incidunt argumenta. Itaq; vt apud Dialecticos media cōclusionibus, & conclusiones propositis adaptantur: sic oratoriæ illæ probationes ad sua capita, & hæc ad status atq; quæstiones sunt annectenda. Debet enim horum omnium mutuus esse contextus. Verùm illud etiam notandum, vt apud Dialecticos ex eodem aliquando rerū ordine egredi ad proximos licet, vt rem vnam definiamus, sic etiam ad vnius status confirmationem aduocari quoq; ex reliquis auxilia. Non enim solùm ita definimus hominē, vt sit animal mentem habens, sed etiam, quod disputet,

quod

quod canat, quod rideat, quæ rerum sunt accidentium. Neq; tantùm inde probamus, iure cæsum esse, quòd fuerit ciuis malus, verùm etiam, quòd insidiator: ad cuius probationẽ coniecturæ loci adhibẽtur. Sæpe eiusdem loci sunt & quæstio & defensio, vt: an iure sit cæsus: hîc, quale sit factum, spectatur: accedit defensio, quia ciuis fuit malus, quia ciuem malum licet occidere: quæ eiusdem est generis. Sæpe sunt hæc duo dissimilia, vt: non possedit ex edicto. Hic videtur, an aliquo certo iure possederit. Additur ratio, qua coniectura munitur. Nam non fuit causa, cur postularet. Sed cùm horum ratio cõstet, videamus nunc, quomodo quæstionis propositionem Cicero in hac causa confirmet. Est enim vnica quæstio, sed tripartita defensio. Nam idcirco ex edicto Prætoris non possedit, quia non fuit causa, cur postularet, quia Quintius in verbis edicti non comprehenditur, quia non omnia possedit. Ac notandum est, in partiendo summa genera conquirenda esse, vt breuis sit distributio. Formæ enim fusiorem, quàm genera, diuisionem habẽt. Hoc est, quod Cicero dicit, generibus illustrare. Ante perorationem enim singulatim varia enumerat, quæ antea confirmauit, sed hæc ipsa tripartitò proposuit. Nam vt non singula commemorem, etiam illa vaga sunt: Quia nihil debuit, quia vadimonium non deseruit, quia non latitauit, quia non exilij causa solum vertit, quia ad domum, quam Romæ Quintius habuit, non aspirauit, quia seruos complures non possedit, quia in prædia priuata Quintij non venit: negamus ex edicto Prætoris possedisse. Septem illa coarctari ad tria membra debueruut. Postquam enim neq; debuit, neq; vadimonium deseruit: non fuit causa, cur postularet: quæ est prima pars partitionis: & quoniam nec latitauit, nec

Partitionis præcepta.

1. Pars.

2. Pars.

solum vertit exilij causa: non potuit possidere ex edicto: hoc alterũ membrum est: tertium inde conficitur: Cùm domum Romæ non attigerit, cùm seruos complures non possederit, cùm non venerit ad priuata prædia, constat non possedisse, propterea quòd bonorũ possessio spectatur in vniuersis. Ac cumprimis illud etiam repetendum est, omnem probandi rationem tribus rebus contineri, quam partitionẽ Aristoteles tradidit, tamen priùs à Platone, verùm obscuriùs & non vno in loco explicatè est tradita. Aristoteles autem clarè omnium argumentorum, quæ ab oratoris arte inueniuntur, tria statuit genera. Vnum est eorum, quæ sunt ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος: *alterum* ἐν τῷ τὴν ἀκροατὴν διατιθέναι: *tertium* ἐν τῷ λόγῳ, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. *Hinc illa Antonij apud Ciceronẽ diuisio mutuata est, quæ distribuit oratoris officium in rationem conciliandi, docendi, mouendi. Multùm enim ad mouendum valet significatio pudoris, liberalitatis, æquitatis in Oratore: & plus habent ipsæ probationes in docendo ponderis, si ita rem intelligat auditor, vt etiam eius cognitione turbetur, incitetur, flectatur. Ergo illæ quasi turbatrices sententiæ, & illæ conciliatrices doctricibus succurrunt, maximamq́ adferunt opẽ ad victoriam. Atq́ hæc causa est, quòd in confirmatione interpositum est illud caput, & locus communis, de immunitate proscribẽdi bona hominis propinqui: quæ non tam ad docendum ibi, quàm ad conturbandum Iudicem sunt commemorata. Omitto hoc in loco prudens notationem locorum, è quibus argumenta singula eruta sunt. Esset enim prolixa illa indicatio. Itaq́ magistrorum atq́ puerorum committenda industriæ est.*

3. Membrũ

Argumẽtorũ genera tria.

1. Ἠθικόν. 2. Παθητικόν. 3. Λογικόν.

Locus cõmunis.

Occupatio

DE PERORATIONE

περί

περὶ ἐπιλόγου.

CAPVT VII.

QVamobrem ad perorationem pergamus, cuius præceptio & breuis est & aperta, sed parui fructus, nisi accedat exercitatio. Quid.n. aliud habent Rhetorũ libri, quàm constare eam ex enumeratione, & amplificatione. In enumeratione verò illud præcipitur, tùm vt circũductiones atq; cõuersiones illæ, quas Graci περιόδους vocant, longæ atq; turbatæ vitẽtur, quod facilè apparet vel intuenti: tùm vt firmamentorum, hoc est, capitũ fiat frequentatio. Amplificatio plus virium habet, in qua tùm verborũ tùm sententiarũ vis est ponderãda. In vtriſq; enim delectus habendus est. Nam verba cõquirenda sunt grauia, plena, sonantia. Grauitas æstimatur significatione, vt horrere vehementius dicitur, quàm vereri aut metuere: Sonus syllabarum mora atq; longitudine. Sonãtius enim est pertimesco, quàm pertimeo: tametsi in deflectione fiunt paria. Itaq; cum significãdi vi paria sint, tamen sono discrepant. Plena sunt, quæ vtrũq; habent, vt horribile plenius est quàm miserũ. Verùm hæc tripartita verborũ vis variã cõmoderationem habet, quæ fit aut iunctura, vt: opes fortunasq;: macula turpissimaq; ignominia: vita horrida atq; arida: aut nouitate, vt: quæstus pro querela, vt horribile: aut commutatione siue cognominatione, vt petulantia pro petulante, cupiditas pro cupido, sic luxuria pro licentia, sic rusticana atq; inculta parsimonia, quod ponitur pro illo, rusticus incultus & parcus: aut delectu non vulgatorum, qui etiam in translatis adhibetur, vt acta decursaq; ætas: aut ipsa translatione, vt telum pro criminatione, iugulare pro accusare, rudicnam facere pro proprio, quod est, respondere.

Ἀνακεφαλαίωσις.

Αὔξησις.

Verba.
1.
2.
3.

Cõmoderatio verborum. 1.
2.
3.
4.
5.

Hæc omnia

Cõformatio, χήματα λέξεως. *Hæc omnia deinde aut referuntur, aut iterantur, aut duplicantur, aut ascendunt gradatim, sed hic ascensus aut coniunctè fit, aut fit seorsim. Verùm de ornamentis verborum atq; sententiarum non hoc in loco constituimus aliquid præcipere. Igitur ad rerum genus, de quo secundo loco tractatur, cùm instituitur doctrina amplificandi. Hîc enim tùm delectus tùm tractatio est applicanda: delectus debet*

Rerum delectus. *esse magnarum rerum, vt: Miserum est exturbari omnibus fortunis, miserius est iniuria: Acerbum est ab aliquo circumueniri, acerbius à propinquo: & illa sententia: Quò minus, quæ existimatio P. Quintium vsq; ad senectutem perduxit, eadem vsq; ad rogum prosequitur. Aestimatur rerũ*

II. Tractatio rerum, & sententiarum. *grauitas tùm naturâ, tùm vsu. Tractatio rerum atq; sententiarum continetur conglobatione definitionum, frequentatione ἐπομένων καὶ ἡγουμένων, comparatione contrariorum, pugnantium, dissimilium, demonstratione causarum, effectorum, euentuum, accommodatione breui exemplorum & antiquitatis, & similitudinum, & προσωποποιΐας, de quibus omnibus præcipitur in ornamẽtis orationis. Sed non omnis*

Comparatio rerum. *peroratio omnia hæc admittit. In hoc autem epilogo & cõparationes sunt rerum, vt: Ea res enim nunc in discrimen vocatur, vtrumne possit se contra luxuriem ac licentiam, rusticana illa atq; inculta parsimonia defendere: an deformata atq; ornamentis omnibus spoliata, nunc cupiditati petulantiæq; addicatur: & significationes euentuum, vt: Mi-*

Significatio euẽtuũ: Effectorũ. *serum est exturbari fortunis omnibus: item effectorum, vt: Multis vexatus cõtumelijs, plurimis iactatus iniurijs. Exẽplorum quoq; breuis comparatio ibi est: Qui relicta bo-*

Exẽplorũ cõparatio. *norum virorũ disciplina, & quæstum & sumtum Gallonij sequi maluerunt: atq; etiam, quod in illo non fuit, cum audacia*

dacia perfidiaq; vixerunt. Frequentationes firmamentorum & definitionum conglobationes, atq; illæ personarum fictiones, locum in hac causa non habuerunt. Tenendum enim omnibus in rebus decorum est: nec ponendum est, quod à causa est alienum: cuius obseruatione artificiosi oratores plurimùm inter se differunt. Atq; hæc quidem de ijs, quæ adinuentionem pertinent: in quibus etiamsi non omnia persecutus sim: tamen mihi satis est, in singulis viam aliquam demonstrasse, quod in artibus necessarium est, & multas adfert commoditates.

Conglobatio. Conformatio.

CAPVT VIII.

ITaque iam de orationis ornamentis aliquid scribamus, quæ à Cicerone & Hermogene perfectissimè tradita sunt. Placet.n.mihi primùm illa partitio Crassi apud Ciceronem, qua orationē esse vult & latinā, & planam, & ornatam, & aptā. Sunt etiā hæ formæ apud Græcos, quorū præceptiones habemus περὶ καθαρότητος, καὶ εὐκρινείας, καὶ κάλλους, καὶ δεινότητος, *sed non eadem distributione. Nam puram, id est, latinam orationem, & planum apertumq; dicendi genus, perspicuitati, quam* σαφήνειαν *vocant, subiecerunt: & reliquas formas,* μέγεθος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, *separatim cum cæteris numerarunt: Crassus sub ornatu, atq; aptitudine videtur comprehendisse, idq; rectè. Veruntamen vix plena potest esse cognitio ex illa Crassi cōmemoratione, eoq; rectè adiungitur Hermogenes, qui de dicendi figuris non malè, mea quidē sententia, iudicauit, sed requirit explicatorem. Sed quærat fortassis aliquis, Frosi, quomodo hæc diuisio ab illa differat, quæ est in Oratore, vbi tria dicendi genera constituit, graue scilicet illud, & subtile, & tertium,*

Orationis ornamēta, ἰδέαι, apud Cic. & Hermogenem.

χαρακτῆρες τρεῖς τοῦ λόγου.

tertium, quod est intermedium? Hoc nimirum discriminis est, quòd ad hæc tria, illa, quæ paulò antè posuimus, adhibentur. Est enim in vnoquoq; horum & claritas, & mundicies, & ornatus, & decorum, & amplitudo, & celeritas, & expressi mores, & varietatis notæ. Quocirca semper illa triplex ratio proposita sit, eiq; supponantur octo istæ dicendi formæ, &, quæ in singulas incidunt, annotentur. Sunt enim omnino octo, quibus perpoliūtur hæ formæ, quas Hermogenes ἰδέας nominat: sententiæ, via ratioq; tractandi sententias, verba, verborum conformationes, membra, compositio, clausula, numerus. Hæc autem oratio, si cum omnibus conferas, grauitatem habet, si cum cæteris orationibus, quæ sunt Ciceronis, grauitatem quidem ipsa suam retinebit, sed non ita, vt sit vehementior aut Rosciana, aut Milonana. Verùntamen etiam proprijs omnibus est illustrata ornamentis. Nihil enim immundum ineſt, nihil obscurum, nihil deformatum, nihil ineptum, neq; celeritas sententijs, neq; amplitudo, cum opus est, deest, nihil, quod aut à rerū aut morum genere sit alienum, est positum: Verba vsitata, lecta, significantia, propria: Conseruatio temporum, casuum, generum, numerorum: Continuationes aptæ ad recordandum et ad intelligēdum, non dilaceratæ sententiæ, non ambiguæ, non confusus ordo, non asper verborum neq; hiulcus cōcursus: summa lux in proponendo singula, in diuidendo multiplicia, in transeundo ad insequentia, quæ puritatis atq; claritatis sunt præcepta. Iam ornatæ orationis doctrina tam latè patet: vt & hæc & cæterorum omnium cōmunia præcepta multò maxima ex parte complectatur, quæ si omnia hîc explicanda forent, esset nimis angusta huius operis partitio. Præterea non obscura est de ornamentis doctrina, &

Octo in dicēdi formis spectanda.

Ἐννοίαι.

Λέξεις.

Σώνθεσις.

Κῶλα.

Συνθήκη.

Μέθοδος.

De ornatu.

in exerci-

in exercitatione atq; vsu posita, qui magnus est et difficilis, quo neglecto nostris moribus propè omnis dicendi scientia est amissa. Itaq; necessarium magis esset, ad eundem adhortari homines, quàm de elocutionis genere aliquid certius tradere. Propè enim vulgatum est, ornatum omnem esse aut in deligendo, aut in collocãdo, aut in conformando. Delectus sit aut in proprijs, aut translatis, aut factis. Collocatio ita adhibetur, & vt ipsa consecutio concursusq; praecedentium insequentiumq; tùm syllabarum, tùm dictionum sit coagmentatus, lenis, aquabiliter fluens, et modum quendam formamq; habeat, hoc est, verborum continuationem, conclusionemq; consequatur numerosam. Conformatio duplex est: orationis, & sentẽtiarum. Atq; his tribus continetur omnis dicẽdi scientia supellex. Sed illa electio primùm in proprijs applicatur, vbi & aurium iudicium & cõsuetudinem sermonis latini debemus consulere: quadã etiam propria quidẽ sunt, sed peruetusta, quæ à priore genere ita differunt, vt illa cõquirenda sint, & ponenda sæpius, hac verò modicè accersenda & cõuenienter & decorè. Cùm proprijs destituimur, proximus locus est trãslatis: deinde factis. In trãslatis .n. minus periculi est, si à rebus notis atq; perceptis aliquo sensu sint sumta. Nouatio vt etiam illa verborum vetustas, modi venustatem decentiamq; retineat. A proprijs incepit Cicero: Quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo: deinde transit ad translata: eloquentia Q. Hortensij, ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: pòst ad facta: gratia Sex. Næuij ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimesco. Vereri enim rectè in rebus magnis honestisq; accommodatur, vt apud Græcos est αἰδεῖσθαι, & αἰσχύνεσθαι: Metuere verò in periculis, vt apud illos etiam ἐν τοῖς βλαβεροῖς καὶ φθαρτικοῖς, τὸ φοβεῖσθαι.

Partitio.
1. Delectus
2. Collocatio, ac eius partes, συνθήκη.
3. Σχηματισμός.
Λήψις, Electio verborum.
1. Propria, κύρια, ἢ οἰκεία.
2. Trãslata, τεθαμμένα
Vereri.
Metuere.

Cõmoueri. *Iam, Commoueor, quis non videt natiuũ non esse, sed destitutione proprij vsurpatum? Est etiam illud sciendum, maiorem laborem esse in comportandis, deligendisq; translatis, quàm in faciendis atq; inuentendis. Vt enim propria, sic etiam translata venustatem habent, quemadmodũ & facta. Neq; enim Cicero primus dixit pertimesco, quod tamẽ à timeo aliqua ætate est deriuatum. Hìc etiam eius commonefaciendi sunt adolescentes: nam à paucis obseruatur: vt, cùm eadẽ res sæpius significanda est, non statim à grauissimis principiũ faciamus, sed humiliora præponantur, & progressio fiat ad grauiora, vt Vereor, quod causæ efficientis est vocabulum, nempe verecundia, & Commoueor, quod est effecti: effecta verò ortaq; de causis, animorum sensus magis mouent, quàm illa, vnde sunt profecta. Hinc enim omnes illæ poëtarum atq; oratorum amplificationes. Itaq; proprium est Vereor, sed significantius Cõmoueor, quemadmodum vtroq; grauius est Horrere, quo in peroratione vtitur. Eadem ratio seruata est in altera parte, primùm Moueor, deinde Pertimesco, neq; id simplex est, sed coniunctũ, Non mediocriter pertimesco: at paulò pòst dicit: Summo timore hominẽ afficit: et postremo loco in vestibulo causæ collocauit: Cùm tot tãtisq; difficultatibus affectus atq; afflictus.*

Præceptũ de ordine verborũ.

DE COLLOCATIONE verborum.

CAPVT IX.

IN collocatione, quam σωωθήκηλω *Hermogenes nominat, tria sunt spectanda,* σύνθεσις, ἀνάπαυσις, ἡ ῥυθμός. *In* σωωθέσει, *hoc est, consecutione videndum est, vt coitus literarum sit*

1. Σύνθεσις Cõsecutio,

rum sit iunctus, non hiulcus, concinnus atq; illuminatus orationis luminibus, non fœdus, neq; neglectus, æquabilis lenisq;, non horridus, & asper, & ad grauitatem, & ad suauitatem accommodatus. Hæc sunt enim consecutionum virtutes. Sed sunt quædam concinnè concurrentes atque hiulcæ voces: non solùm in oratione libera, verùm etiam in versu: cuiusmodi sunt: Et succus pecori, & lac subducitur agnis: Et longùm formose vale, vale, inquit, Iola: &: Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus: multaq; alia sunt apud poëtas talia. Deniq; illa sit regula proposita in consecutione, vt quæcunq; literæ in singulis verbis cõiunguntur, eædem rectè connecti in oratione possint. Numerus oratorius est modus formaq; temporum talis, vt à versu cantuq; discrepet, suauitas quædam numeri retineatur. Verùm hoc discriminis inter numerum & harmoniam, quòd numerus ex breui & longa fit syllaba: harmonia verò ex acuta & graui voce: fitq; sæpe, vt duo versus numero non differant, tamen dissimiles sint harmonia: fit etiam, vt harmoniam eandem habeant, diuersumq; numerum. Hi enim duo, Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi: &: Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos: pedes eosdem habent: at in primo diuersus est syllabarum pressus: at hic: Syluestrem tenui musam meditaris auena: pedes dispares habet, & concentionem à posteriore non discrepantem. Numerus etiam duobus modis æstimatur. Nam aut toto genere differt, vt pentameter in elegis ab illo, qui est in Sapphicis: aut vnius generis inter se dissona est forma, vt ipsi inter se heroici, et inter Sapphicos illa conclusio Adonij carminis, à præcurrentibus est distincta. Clausulæ verò illæ siue conclusiones, quas Græci ἀναπαύσεις vocant, membrorum extrema

eiusq; virtutes.

Σύγκρουσις σύμπλοκος φωνέντων.

Regula structuræ.

2. ῥυθμὸς. Numerus.

Numerus. Cantus.

Numerus duob. modis æstimatur.

3. Clausulæ ἀναπαύσεις

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL GRACOVIENSIS

De conuersionibus & intermissione verborũ

Periodus. Περίοδος μονόκωλος

Cõtinuatio plurium mẽbrorum. Πνεῦμα. Τάσεις. καταφοραί.

De pedibus principiorũ in periodis, & membrorum. Conclusionum.

Exemplũ.

extrema sunt, sed in cõuersionum fine potissimùm iudicantur. Verùm numerus grauitatem suauitatemq́, ex compositione, atq́ verborum interpunctis consequitur, & plenus est in periodo, quæ aut duorum membrorũ est, aut trium, aut quatuor, quem numerum cùm aut superat, aut non attingit, nomen amittit. Nam illa μονόκωλος compositio, cuius meminit Aristoteles, cùm conuersionem non habet, hoc est, vt Hermog. nominat, ἀπόδοσιν, non eo nomine digna est, & illa cõtinuatio complurium membrorum ex ipsa consecutionis forma nomẽ mutat, vt vel πνεῦμα vocetur, si absolutæ sententiæ perfectæq́ coniungantur sine conuersione, et si habeant conuersionẽ, tamen aliquando propter moram τάσεις, aliquando propter celeritatem καταφοραὶ nominantur. Pedum varietatem illam propè infinitam in numeris faciendis proponere illi, qui se exercere volet, non laudo. Crassus libro tertio de Oratore principijs conuersionum aut etiam membrorum dat heroos, hoc est, dactylũ & spondeum, item anapæstum, pæana priorem, creticum: conclusionibus, choreos & heroos, aut alternos, & pæana posteriorem, & creticum. In Oratore, quem ad Brutũ scripsit, addit dochimũ, nominat etiam dichoreum, præter iambum & spondeum: verùm continentur in superioribus. Crassus verò Iambum nominat, propterea fortasse, quòd eundem frequentem cum Trochæo repudiauit Aristoteles, qui tantùm heroum, & pæana vtrunq́ oratori reliquit. Grauis igitur & iucunda fit oratio consecutione, conclusione & numero, vt in hac cõuersione: Quæ res in ciuitate duæ plurimùm possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia. Coagmentatio enim verborum seruata est in consecutione,

consecutione, quod animaduertitur, si transponantur. Fieret enim hiulca: & cùm periodus sit τρίκωλος, primum membrum cretico & spondeo concluditur, alterum cretico & dactylo, tertium cretico & iambo, quem recipit Cicero in Oratore. His igitur duobus, compositione dico, & clausularum interpunctis, numerus extitit oratorius. Illud etiam compositionis est, quòd tertium illud membrum non in medio positum est, quod fieri poterat, sed seruatum ad extremum, vt eius verba & syllabarum multitudine, & numeri venustate, & grauitate significandi aures vehementiùs & animum ferirent. Est quoque illud concinnum & artificiosum, quòd ἰσοσκελὲς sit, et quòd illud impar membrum ad finem sit collocatum, ne ipsa concinnitas captata esse videatur, sit q; dimidiatum virius q;. Illa velocior est, sed tamen compositione valde suauis: Quæ quò plura sunt, C. Aquili, eò te & hos, qui tibi in consilio adsunt, meliori mente nostra verba audire oportebit, vt multis incommodis veritas debilitata, tandem aquitate talium virorum recreetur. Cita compositio est non syllabarum velocitate: sed connexione non tam verborum, quàm sententiarum: & concinna est propter eiusdem literæ syllaba q; crebram repetitionem, quæ est in his: te, ti, te, tis, tus, tata, tan, tate, ta, tur. Conclusio etiam ipsa Dichoreo præclarè consedit.

Numerus ex cõpositione & clausularũ interpunctis efficitur.

Velox & cita periodus.

DE CONFORMATIONE,

περὶ σχηματισμοῦ.

CAPVT X.

Verùm hæc

Verùm hæc de delectu & cõiunctione verborum. Non enim licet omnia persequi. Restat conformatio, quã σχηματισμὸν vocant Græci, eáq; bipartita. Nam aut verborum orationisq;, aut rerum siue sententiarum color quidam & quasi habitus adhibetur. Sic enim illud Græcum verbum Cicero explicauit. Verùm quoniam horum explanatio varia est, et in libris de ratione latinè loquendi perfectiùs tradenda est, eam in hoc libro præteribimus, & tantùm vniuscuiusq; dicendi formæ proprios colores enumerabimus.

1. τῆς σαφηνείας σχήματα. In illo igitur puro & aperto genere sunt, expositio sententiæ nostræ, ordo, partitio, propositio, transitus ad aliud, iteratio propositi, digestio, continuatio, omnia illa, quæ à Græcis κατασατικὰ ἢ διατυπῶντα, τὰ μέλλοντα ἐπιθήσεσθαι ἢ τὰ συμπλεκτικὰ nominantur, & circumscriptio, & reuocatio eiusdem verbi, et repetitio, & ad propositũ subiecta ratio, et in distributis supposita ratio.

2. τοῦ μεγέθους. Amplæ orationis sunt, commoratio vna in re, illustris explanatio, abre non longa digressio, reditus ad rem aptus & cõcinnus, iteratio propositi, veritatis superlatio, distributio, morum & vitæ imitatio, personarũ ficta inductio, descriptio, contentio, cõmendatio, vox libera & effrenatior, iracundia, obiurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, purgatio, conciliatio, læsio, optatio, execratio, verbi geminatio, immutatio, progressio, reuocatio, interruptio, similiter desinẽtia, similiter cadẽtia, paria paribus relata, inter se similia, gradatio, conuersio, verborũ concinna transgressio, contrarium, dissolutum, exclamatio, dinumeratio, imago.

3. τῆς γοργότητος ἢ βραχύτητος. Ad illud dicẽdi genus velox pertinet, præcisio, significatio ad plus, quàm dixeris, intelligendum, breuitas distinctè concisa, rogatio, percontatio, interpellatio, disputatio, dissolutum, partitiones breues & definitæ.

In proba-

In probabile incidunt extenuatio, rationis apta conclusio, dissimulatio, præmunitio, reiectio in alium, communicatio, morum & vitæ imitatio, similitudo, exemplum, anteoccupatio, promissio, declinatio breuiuscula à proposito, purgatio, conciliatio, imminutio, in distributis supposita ratio, permissio, sibi ipsi responsio. Aptum verò illud est, in quo hæc omnia modicè et cum decore adhibentur, et mores personarum aut imitando, aut oratione exprimuntur, cuius loci propria est illa morum imitatio, quam etiam superioribus attribuimus.

4. τοῦ ἀληθινοῦ, καὶ πιθανοῦ λόγου.

5. τῆς δεινότητος.

DE MEMORIA.

AT de obseruatione præceptorum, in qua memoriæ quoq; renouationem comprehendo, hactenus. Sed memoria non solùm est præceptorum. Nam et scriptarum est, & cogitatarum & lectarum rerum.

DE IMITATIONE

περὶ μιμήσεως.

CAPVT XI.

SEd priusquam de cogitandi scribendiq; ratione præcipiamus, aliquid etiam de imitatione est tradendum. Est autem imitatio optimarum rerum, ad quas se excellentes naturæ pleræq; omnes solent applicare. Omnia autem imitari possumus, naturā aliorum non possumus, sed eorum actiones, consilia, facta, scripta, dictaq; sunt annotāda, quæ ex illorum natura profecta, nostram possunt erudire. Sed nos nunc de imitatione eorum loquimur, quæ in aliorum oratione scriptoq; apparent. Sunt autem hæc: sententiæ solitariæ, sententiæ informatæ affectione aliqua, assumta, consilia, & quæ

τὰ μιμητά.

Quæ sunt imitatori proposita.

silia, et quæ ab oratore sũt ficta, figuræ, rationes tractãdi, numeri: quæ à Græcis nominata sunt τὰ ἁπλᾶ, τὰ συμπεπλεγμένα, τά προσληφθέντα, αἱ βολαὶ, τὰ πλάσματα, αἱ μέθοδοι, οἱ ῥυθμοί. Nam, vt antè dixi, aliquando simplex rerum tractatio est, vbi nuda sententia absq; vlla animorum permotione proferuntur, aliquando affectus applicantur: nuda sunt: Sponsionem facere maluit: fecit: te iudicem, C. Aquili, sumsit: ex sponso egit. At ista motus animorum coniunctos habent: Miserum est, exturbari fortunis omnibus, miserius iniuria: acerbum est, ab aliquo circũueniri, acerbius à propinquo: calamitosum est bonis euerti, calamitosius cũ dedecore: funestum est à forti atq; honesto viro iugulari, funestius ab eo, cuius vox in præconio quæstum præstitit. Ea coniunxit rebus, quæ ad misericordiam, & odium, & indignationem impellunt. Hæc facultas tanta est, Frosti, vt absq; ea eloquens nihil efficere possit, eaq; aut excellat cæteris, aut cum optimis Oratoribus comparetur. De hac ratione primus Aristoteles certa via & ratione scripsit, & post Aristotelem apud Latinos Cicero. Verùm ante vtrũq; apud Platonem Socrates multis in locis ostendit, indignum esse Sophistarum nomine, qui eam doctrinam non percepit, qua traditur, quibus reb. moueantur homines, & qui, et aduersus quos moueri soleant. Et vt cætera omittam, in Phædro ita Socrates inquit, Επειδὴ λόγος δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα, τὸν μέλλοντα ῥητορικὸν ἔσεσθαι ἀνάγκη εἰδέναι, ψυχὴ ὅσα εἴδη ἔχει. Εστὶν οὖν τόσα καὶ τόσα, καὶ τοῖα καὶ τοῖα, ὅθεν οἱ μὲν τοιοῦδε, οἱ δὲ τοιοῦ γίνονται. Τούτων δὴ οὕτω διῃρημένων, λόγων αὖ τόσα καὶ τόσα ἐστὶν εἴδη: τοιόνδε ἕκαστον. Οἱ μὲν δὴ τοιῶνδε τοιοῦδε ὑπὸ τοιῶνδε λόγων, διὰ τὴν δὲ τὴν αἰτίαν εἰσὶ τὰ τοιάδε ἀπεθείσθησαν, οἱ δὲ τοιοῦδε διὰ τάδε δυσπαθεῖσι. Hanc orationem secutus Aristoteles vtilissimam de his necessariamq; doctrinam edidit.

I. Τὰ ἁπλᾶ.

II. Τὰ συμπεπλεγμένα.

Cognoscẽdam mouẽdi rationẽ esse,

Sunt

Sunt autem hæ motiones animorum, ira, lenitas, amor, odium, metus, confidentia, pudor, impudentia, gratia, non gratia, misericordia, indignatio, inuidia, æmulatio. Sed videndum est, quam rationem sequantur Oratores, & poëtæ, & historici, in animis aut inflammandis aut sedandis. Vt affectuum diuersa genera sunt, sic etiam orationes ipsæ necesse est inter se dissimiles sint, quibus illi motus excitantur. Sed tamen omnium vna methodus est, eaq; tripartita, qui scilicet, & quibus, & ob quæ, homines irascantur, inuideant, faueant. Etiam illud fateor, esse communes quasdam rationes tractandorum affectuum, vt illa, quæ fit comparatione, in qua illud sæpe seruandum est, vt quæ pars amplificanda sit, ea ponatur primò, atq; reuocetur postremò: vt apud Verg. pastor ille Melibœus in amplificandis fortunis amici: Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi, Syluestrem tenui musam meditaris auena. Duobus versibus eius fœlicitatem proposuit: addit suam conditionem: Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua: Nos patriam fugimus: deinde redit ad priora: tu, Tityre, lentus in vmbra, Formosam resonare doces Amaryllida syluas. Aliquando etiam æquabiliter progreditur, vt: Ea res nunc in discrimine versatur, vtrumne possit se contra luxuriem ac licentiam rusticana illa atq; inculta parsimonia defendere, an deformata atque ornamentis omnibus spoliata nuda cupiditati petulantiæq; addicatur. Aliquando duplicatur comparatio, & conferuntur res quatuor, vt illa in exordio, in qua se cum Hortensio, & Quintium cum Nauio componit. Sæpe etiam sine comparatione fit commemoratio earum rerum, quæ mouere possunt, qualis est Coridonis rustici apud Vergil. & illa Didonis oratio:

τὰ πάθη.

Methodus ratioq; motuũ tripartita apud Aristotelẽ.

1. Εργασία συγκριτική, καὶ κυκλοειδής.

2. Ἡ κατ' ἰσότητα.

3. Ἡ κατὰ δίπλασιν τῆς συγκρίσεως

4. Ἁπλῆ, ἄνευ συγκρίσεως, θαυμαστική, καὶ εἰκαστική.

Quis nouus

Quis nouus hic nostris succesſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferens, quàm forti pectore & armis?
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum.
Degeneres animos timor arguit: heu, quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhauſta canebat?

Vterq; recenſet, quæ amorem ſui creare poſſunt. Sed ſi omnia pertractare propoſitum eſſet, Froſi, oporteret nouam operis diſtributionem inſtituere. Hæc autem eò poſui, vt vno atq; altero exemplo incitem eos, qui hæc fortaſsis aliquando ſunt lecturi. Itaq; συμπεπλεγμένα illa voco, quæ non ſolùm docẽt, ſententias, verùm etiã, quæ mouẽt, quæ turbant, quarũ tractationes atq; expolitiones arte non ſunt cõprehenſæ, obſeruari tamẽ et adimitandũ proponi poſſũt.

CAPVT XII.

III. Aſsumta, αἱ προσλήψεις.

PRoxima ſunt illa aſſumta: ſic enim Græcorum προσλήψεις interpretari poſſumus: quorum obſeruatio eam vim habet, vt cùm aliquam ſententiam nudè propoſitam cernimus, ſi eam poſtea ornamentis videamus illuſtratam, conſideremus, qua ratione id ſit factum, aut contrà. Sæpe enim fit, vt poſteriora contractiora atq; nudiora ſint, quàm illa, quæ præceſſerunt. In principio Cicero breuiter Iudices ſui officij commonefacit: Quæ quò plura ſunt, C. Aquili, eò te, & hos, qui tibi in conſilio adſunt, meliore mente noſtra verba audire oportebit, vt multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate taliũ virorũ recreetur. Quanquam neq; hæc ſimplex ſit. Nam ad propoſitum ratio eſt aſſumta, ſed tamen illa extrema poſtulatio copioſior eſt, in qua plura accerſũtur, quæ antea ſunt commemorata: Cum tot tantisq; difficultatibus affectus atq; afflictus in tuam,

Copioſa ἀξίωσις. Generalis cõplexio

C. Aquili

C. Aquili, fidem, veritatem, misericordiamq; confugerit: hæc generalis est cõplexio: adiungitur: Cùm adhuc ei propter vim aduersariorũ non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit: clauditur hæc enumeratio rursus generatim: Cùm ei summam per iniuriam, omnia inimica atq; infesta fuerint: hactenus causas applicauit. Sequitur obtestatio: te, C. Aquili, vosq;, qui in consilio adestis, orat atq; obsecrat, vt multis iniurijs iactatam atq; agitatam æquitatem in hoc tandem loco cõsistere et confirmari patiamini. Sed illa prior commonitio apposítione contrarij est amplificata: Quòd si tu Iudex nullo præsidio fuisse videbere contra vim & gratiam solitudini atq; inopiæ, &c. In oratione, quam pro Sex. Roscio Amerino Cicero habuit, illa sententia nuda est: Incredibile est mortem oblatam esse patri à filio: sed quo ornatu illam pòst illustrat? Magna est vis humanitatis, multùm valet communio sanguinis, reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura, portentum atq; monstrum certissimum est. Hæc omnia qd aliud significant, quàm illud, quod antè dixit, Incredibile est? deinde: (vt homo sit) esse aliquẽ humana specie et figura, qui tãtùm immanitate bestias vicerit, tùm: (patrem) vt propter quos hanc suauissimam lucem aspexerit, postremò: (occiderit) eos indignissimè luce priuarit, cùm etiam feras inter se partus atq; educatio & natura ipsa conciliet. Tota dicendi copia, & varietas, in hac ratione dilatandi est sita: ideoq; diligens, & diuturna in ea suscipienda exercitatio est. Hermogenes aliquot genera προσληπτικῶν χημάτων *enumerat,* ἀπαρίθμησιν, τὸ κατὰ προτίμησιν, τὸ καθ' ὑπόθεσιν, πλαγιασμόν, τὸ ἐπιτρέχον ἐκ τοῦ παρασιωπητικοῦ, τὰς ὑποσάσεις. *Inter res verò, quæ assumuntur, recenset genus cum formis,*

αἰτιῶν. Adiunctio, πρόσληψις. Conclusio. Αξίωσις, ἢ δέησις. Προσληψις cõtrarij ad priorẽ cõmonitionẽ Pro Roscio Επιφώνημα. Ornamẽta προσληπτικά. Res, quæ assumũtur.

cum formis, infinitum cum finito, totum cum parte, iudicatum, genus rei, locũ, personam, tempus, modum, causã. Sed non hæc sola sunt, verùm maiorem hæc res requirit institutionem. Ego verò hæc ideo tracto, vt videant, cadere in

Vergilij principium Aeneidos. Homeri Odysseæ.

imitationem. Vides apud Vergil. principium Aeneidos: Arma virũq; cano: totum ex Homerico illo esse deriuatũ, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον: quorũ alter Aeneam, alter Vlyssẽ non nominat, sed ita describit, vt quiuis intelligat, quem vterq; velit: atqui id totum est προσληπτικόν.

IIII. Αἱ βουλαὶ, cõsilia oratoris.

Verùm infælix imitatio omnis est, nisi cõsilia eius, cuius nos similes esse volumus, annotẽtur. Absq; eo n. quid doceat, animaduerti non potest. Sed neq; res ex consiliorum cõsideratione solùm proponendæ sunt, sed ipsa etiam intuenda consilia. Cicero in libris de Oratore Aristotelis præcepta sequitur, sed in ratione disceptandi, in ipsoq; personarum genere, tùm multa Platonis, tùm Phædrum maximè & Gorgiam videtur proposuisse. Primæ enim disputationi Scæuola interest: duabus insequentibus non introducitur. Huius rei cõsilium ipse Cicero in epistola quadam ad T. Pomponium

Consilij Ciceronis exẽplum.

Atticum his verbis explicat: Quòd in his oratorijs libris, quos laudas, personã desideras Scæuolæ, non eã temerè dimoui, sed feci idem, quod in politia Deus ille noster Plato. Cùm in Piræum Socrates venisset ad Cephalum locupletem et festiuum senem, quoad primus sermo ille haberetur, adest in disputando senex, deinde, cùm ipse quoque commodissimè locutus esset, ad rem diuinam dicit se velle discedere, neq; postea reuertitur. Credo, Platonem vix putasse satis consonum fore: si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius detinuisset. Multò ego satius hîc mihi cauendum putaui in Scæuola, qui et ætate & valetudine ea, qua esse meministi, & ijs honoribus, vt vix satis decorum vide-

retur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus à Scævolæ studijs: reliqui libri τεχνολογίων habent, vt scis: huic ioculatoriæ disputationi senem illũ, vt noras, interesse sanè nolui. Vides, Frosi, consilium, vides confessam rationem: nos cùm eiusmodi nostris adolescentulis indicamus, putant homines, non maximè peritis rerum, à nobis ista fingi, autorem verò nihil tale cogitasse, cùm tamen aut in alijs locis idem ipse confiteatur, aut idem propè in omnibus retineat. Nihil putandum est temerè factum esse, quod concinnitatẽ, & elegãtiam habet, quodq; ab optimis naturis est profectũ, præsertim si vsurpetur sæpius. Sed rerum non vna imitatio est. Altera enim latet, qualis est in libro primo illa Scævolæ ab initio: altera aperta est, vt eodem in libro sub platano ille cõsessus. At illa in primo libro quercus Mariana, etiam ex eodem Phædro est detracta, id quod apparet ex raptu Orithyiæ, verùm dissimulata est æmulatio. Sæpenumero etiã rerum cõtrariarum est imitatio, vt in Gorgia Socrates et in Phædro Oratoribus omnia detrahit, at Crassus in illa disputatione infinitam immensãq; materiam tribuit eloquẽtiæ. Gorgias in se esse profitetur, quæ Crassus à se remouet, et arrogat Oratori. Hæc dissimiliũ rerũ imitatio significari videtur initio sermonis. Considetur enim sub platano: sed Crassus puluinos poposcit, quos Socrates cum Phædro nõ habuit. Plato etiam Gorgiæ atq; cæteris Sophistis ornamenta dicendi cõcedit, at sapientiam aufert. In Crasso autẽ Cicero et humanitatẽ, et grauitatẽ, et orationis copiã ostẽdit. Hæc de consiliorũ notatione.

τεχνολογία.

Rerum imitatio. Latens. Aperta.

Contrariarum rerũ.

CAPVT XIII.

V. τὰ πλάσσω.

SEquitur fictio rerum, quæ fœliciùs adhibetur, cùm, quemadmodum ea vsi sint homines in dicendo perfecti,

Poëtarum fictiones.

fecti, intellexerimus. Sed alia poëtarum est, alia verò oratorum. Poëtica verò sunt:

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli testes & flumina nymphis:
Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atq; deos atq; astra vocat crudelia mater.

Totus ille locus fictione est politus, & apertè falsa, quæ dicuntur à Mopso: apud Menalcam dicit, qui ijsdem ornamentis delectatur, neq; minùs fœlix est in eodem artificio, sed in contraria re:

Candidus inuersum miratur limen Olympi,
Sub pedibusq; videt nubes & sydera Daphnis.

Eandem rationem hic in relata, quam alter in tristi est secutus, sed vtriusq; via commenticia est, & ad delectationem comparata. Oratorem ita fingere oportet, vt mendacij nulla appareat significatio, vt vel ad excusandum faciat, quod dicitur, vt: Quintius porrò istum posse facere videbat, debere intelligebat, mentiri, quia causa, cur mentiretur, non erat, non putabat: vel ad criminandum, vt: Qui hunc in summas angustias adductum putaret, vt eum suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, assem sese negat daturum. Tam verisimile vtrunq; videtur, vt quasi cognitum, exploratum confessumq; videatur. Non hæc oratores ex reis cognoscunt, sed de suo addunt, verùm ita, vt rei causa atq; veritas patitur. Sed aliæ præterea multæ causæ sunt, quamobrem fictis vtendum sit. Etiam illa commenticia sunt, in quibus tacitas cogitationes aduersariorum quasi ab eodem ore accipimus: quæ ratio multùm valet ad hominum mores exprimendos: eiusmodi illud est: Quid ad hæc Nævius? Ridet scilicet nostram amentiam, qui in

Oratorum fictiones.

1. Ἀπολογητικαί.

2. Διαβλητικαί.

3. Σχέσεως.

qui in vita sua rationem summi officij desideremus, & instituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? Viderint, inquit, ista officia viri boni: de me ista considerent: non quid habeam, sed, quibus rebus inuenerim, quærant: & quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim, memini: vetus est, de scurra multò facilius diuitem, quàm patrem familiâs fieri posse. Vide, quod neque stultissimus neque imprudentissimus de sese confiteretur, hoc tamen oratione quasi extorquetur. Sed tamen, quia incredibile videtur, solent occupatiunculæ addi, vt eodem in loco: Hæc ille si verbis non audet, re quidem palàm loquitur. Quanquam hæc etiam ad methodos: sed quia ficta sunt, ad hunc locum pro-priè spectant.

DE FIGVRIS. VI.

CAPVT XIIII.

NVnc de figuris agamus, quæ quoniam aliam præceptionem habent, aliam verò tractationem, etiam cùm obseruatæ sunt ab Oratore in re seria adhibitæ, imitationem adiuuant. In arte enim nudi illi atq; simplices colores proponuntur, in scribendo variam tractationem, & inter se multiplicem mixtionem habent. Nam vt de vna illa dicam, in qua paria paribus referuntur, & similia similibus, & contraria contrarijs: in arte vnum aliquod adiungitur exemplum: at Oratores non vnam rationem tenent. Hîc contraria contrarijs redduntur: Plus huius inopia possit ad misericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem. Hîc paria paribus: Non ab homine alieno, neq; ab aliquo calumniatore atq; improbo, sed ab Equite Romano, propinquo &

Contraria contrarijs reddita.

Paria paribus relata.

quo & necessario suo. Tribus enim propositis tria subiecta
μίξις τριῶν respondent. Hic omnia tria simul miscentur: Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, is, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur. Vna circumductione trium membrorum omnia complexus est, paria, similia, cõtraria. Principiũ enim periodi multa incisa vnico membro continet, præcurrentium & consequentium rerum, & propè par est rerum multitudine duobus insequentibus. Alterum membrum, vbi cõuersio incipit, similia habet, nempe illa, quæ vocantur aut σύζυγα, aut συνώνυμα, amicum, socium, affinem: quæ similia sunt amicitiæ, societati, propinquitati. Tertium contraria adfert consequentium vt: vanus, perfidus, impius: quæ opponuntur pietati, fidei, veritati. Hæc cùm annotata in aliquo præstanti scriptore sunt, facilius imitando exprimuntur, quàm à nobis inueniri possunt. Quare suadeo, vt in eiusmodi propositis exemplis adolescentes exerceantur. Nos ant ea tale aliquid secuti sumus, vbi de natura egimus: sed tamen aliquid commutauimus, quod tùm fieri debet, cùm res aut requirit aut permittit. Etenim si officium caritate, diligentia commendatione, approbatio existimatione, copia exemplis bonorũ gignitur, necesse est in ea Repub. neq; in officiosos, neq; negligẽtes, neq; repugnantes, neq; paucos esse, qui exacuantur ad res præclaras, si beneuolentia, si laudationes, si autoritates, si exempla nõ desint. Sed qua ratione vnũ χῶμα multiplici ratione informetur, & quomodo omnes figuræ inter se misceantur, pleniùs in libris de ratione scribendi loquendiq; latinè doctrinam instituimus. Varia enim hæc præceptio est, & integram aliquam separatamq; à cæteris suscepti operis partem requirit.

1. Res præcurrentes & consequentes.

2. 2. Σύζυγα, καὶ συνώνυμα.

3. Cõtraria cõsequentium.

Libri Sturmiani de ratione latinè loquẽdi, & scribẽdi.

DE ME-

DE METHODIS VII.

CAPVT XV.

NVnc de methodis, quas Hermogenes copiosiùs, quàm cæteri, quorum quidem scripta extant, tradidit, sed in alia doctrina, & aliter, quam nos. Crassus indicat tantùm: verùm non explanat exemplis: deinde methodos conformationibus miscet, quemadmodum etiam nos paulò antè: sed cùm de imitatione præcipitur, seorsim sunt collocãdæ. Neq; tam de tripartita illa ratione loqmur, qua artes et disciplinæ tradũtur. Sunt .n. illæ ἐπισημονικαὶ, ἢ τεχνικαὶ μέθοδοι ἀνάλυσις & σύνθεσις siue σύνασις & διαίρεσις, quæ aut ad genus, aut ad definitionem rei solet adhiberi, quanquam etiã hinc maxima vis ad amplificandum accersitur. Verùm de illis loquimur, quæ singulis tùm quæstionibus, tùm conuersionibus, tùm sententys applicãtur, vt narratio simplex absq; assumtione, vt digestio reprehensarum et confirmatarum rerum, aut etiam reprehendendarum atq; confirmandarum, significatio rerum aut obscura aut aperta, adiunctio, interpositio, cõmoratio, separatio, ordinis conseruatio eiusdem commutatio siue inuersio, declinatio, præteritio, affectuum significatio, quæ fit oratione, vt optare, iurare, admirari, irasci: Græci hæc vocant ἀφήγησιν ἄνευ προσλήψεως, τάξιν τ' ἀντιθέσεων καὶ λύσεων, ἐπισημαίνειν μυσικῶς, ἢ ἀπαρακαλύπτως, ἐπισύναψιν, ἐπεμβολὴν, ἐπιμονὴν, διάκοψιν, σύζευξιν τῆς τάξεως, ἀναστροφὴν τῆς τάξεως, ἀποστροφὴν, εὐχὴν, ὅρκον, θαυμασμὸν, ὀργὴν. Horum obseruatio tantam vim habet, vt præceptis tradi non exactè possint, neq; inueniri, nisi ab optima natura: notari tamẽ in alijs à mediocri ingenio possint ἐπισύναψιν apposition em voco, quæ dignitatem rebus addit, & vitia tollit in compositione. In Tusculanis quæstionibus Cicero

Μέθοδοι τεχνικαὶ, ἢ ὁδοποιΐαι.

Μέθοδοι, ἢ σχήματα διανοίας.

Ἐπισύναψις quid?

hac vtitur conuersione: Et cùm omnium artium, quæ ad rectam viam pertinerent, ratio & disciplina studio sapientiæ, quæ philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi latinis literis illustrandum putaui: hæc continuatio, quia μείωσις est, atq; subitò desinit, quod vitium est in oratione, emẽdatur id ἐπισυνάφεια, quæ contrariam circumductionem habet, breui scilicet principio, & conuersione longiore, vt: nõ, quia philosophia Græcis literis & dictionibus percipi non posit, sed meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientiùs, quàm Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent: hac ratione ex coniunctione vtriusq; æquabilis facta est compositio, & sublatum vitium, & comparata dignitas. Eius etiam generis illa est: Itaq; te hoc obsecrat, C. Aquili, vt quam existimationem, quam honestatem in iudicium tuum propè acta iam ætate decursaq; attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco auferre: vnico membro claditur: itaq; annectitur: ne is, de cuius officio nemo vnquam dubitauit, sexagesimo deniq; anno dedecore, macula, turpissimaq; ignominia notetur. Ἐπιμονή. Ἐπιμονλῶ *voco, cũ in vno loco multa verba sententiæq; multæ consumuntur ad amplificãdum, ad mouendum acriùs animorum sensus. Sed præter alia illud etiam in immorando obseruandum est, quòd, qui artificiosè scribunt, retineant membrorum æquabilitatem, vt in illa exaggeratione: Illicóne ad Prætorẽ ire conuenit? continuóne verum fuit postulare, vt ex edicto bona possidere liceret? ad hæc extrema & inimicissima iura tam cupidè decurrebas, vt tibi nihil in posterum, quod grauiùs atq; crudeliùs facere posses, reseruares? Tres sententiæ sunt vnius rei: sequuntur tres aliæ, id quod ex verborum distinctione in-*

ctione intelligitur: Nam quid homini potest turpius, quid verò miserius aut acerbius vsu venire? quod tantum euenire dedecus? quæ tanta calamitas inueniri potest? Insequitur etiã tripartita comparatio, cuius pars extrema tria habet: Cuius verò bona venierunt: cuius non modò illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusq; necessarius sub præcone cum dedecore subiectus est. Etiam illa conclusio est trium partium: Ergo, hercule, cuius bona ex edicto possidentur, &c. Vtilis est hæc ratio, vtne infinita ars sit, néue memoria incerta fluctuet. Est enim illud imprimis videndum, vt, cùm fieri potest, certus retineatur in omnibus numerus. Et vt in partiendo, sic etiam in eloquẽdo, terna sunt cæteris gratiora. Sed non rarò necessitas bina aut etiã quaterna, & amplius parit. In hac oratione terna plerunq; retinet: aliquando in binis consistit: rarò hos terminos excedit. Habet hæc res tantam vim, vt sine ea magna pars artificij violetur. Ac facilè ex istis intelligitur, quæ ratio sit vestigãdi atq; assignandi cæteras methodos, quas quia explanare hîc non potui, satis esse duxi quoquo modo enumerare. Restat numerus in imitando, de quo antè dictũ est: sed annotandum est in eo, quem imitamur, quam ille vicissitudinem habeat, & quomodo collocetur, & in quibus rebus applicari soleat. VIII.

DE COMMENTATIONE, DE STILO ET DECLAMANDI *consuetudine.*

CAPVT XVI.

IAm igitur ad ea accedamus, quæ in exercitatione restãt.

Commentatio.

Commentationem etiam diximus in exercendo adhibendam esse, & stilum, et declamationē. Cōmentationem voco, cùm proposito à magistro argumento, spacioq; cogitandi discipulis cōcesso, singuli deinde ad magistrū reuertuntur, & quod meditati sunt, pronunciāt. Cùm verò illud fit scribendo, et scriptæ rei ex ipsa charta fit recitatio, id stilū nominant: atq; hæc duo viam ad declamandum patefaciunt, quæ tùm meditatione, tùm scriptione perficitur. Materia horum est, aut latina græcè, aut græca latinè cōuersa. Poëtarum enim astrictos versus dissoluere, aut eadem lingua optimum aliquem scriptorem alijs verbis interpretari, non fructuosū est: nisi tandem comparata orationis copia et cōfirmato iudicio. Citiùs concedam, vt cum deterioribus contendant, & detracto illo fœdo habitu, ornatum illis afferāt. Sed in vertendo scripta linguæ alienæ, vitanda est seruitus nihil commutādi. Translationes enim permultæ tales sunt, vt in alio sermone sint quotidianæ, in alio non recipiantur: & formæ sententiarum eiusmodi sunt, vt, si maneant, barbara verba, & connexiones verborum impuræ sub stilum irrepant. Neq; eadem cōpositio, idem numerus, eadem membrorum consecutio potest sæpe conseruari. Quare non eadem reponenda, sed paria & similia & peraq; bona, atque illa fuerunt, quæ sunt mutata.

Stilus.

Consuetudo declamandi.

REDITVS AD ILLA NOVEM, quæ initio fuerant proposita.

CAPVT XVII.

PErcurrimus iam, Frosi, propè omnia, quæ sunt exercitationis: etiam de arte aliqua diximus. Reliquum igitur est, vt ad huius libri finem properemus,

& ad

& ad nouem illa redeamus. Et quoniã de natura diximus, & de educatione puerili, & subtili ratione artis, & de memoria breuiter, quam dixi arte maximè stabiliri, quædam etiam de sermone quotidiano: quatuor adhuc reliqua sunt, lectio scilicet, & philosophiæ cognitio, & memoria, & studiorum continuatio: de quibus pauca sunt hoc in loco præcipienda. Sed priusquam ad lectionem scriptorum vagam, & celerem veniatur, priùs præcepta dicendi cognoscenda sunt, & diligentissimè ille explicandus intelligendusq;, qui ad imitandum proponi debet. Sed hîc inuidiosa illa quæstio oritur, Quisnam potissimùm sit legendus: quam nos in hac breuitate omittemus: saltem sententiam nostram explicabimus. Sic enim statuo, in Cicerone, Cæsare, & in Vergilio apud Latinos: apud Græcos in Demosthene atque Platone, & Homero ac Hesiodo puerilem institutionem esse inchoandam, hosq; solos & ad intelligendum et ad imitandum proponendos esse: cæteros adiungendos prudenter, cùm tempus est, et res studiaq; requirunt. Qui aliter sentiunt, eos tolerandos existimarem: nisi magnam perniciem in literas importarent. Aut enim peruersè iudicando, aut suorum scriptorum amore, ab optimis dehortantur, & acumen animi hebetant. Nam illud concedendum est, amisisse nos eloquentiam: ideoq; conquirendam esse illam apud veteres, non quosuis: sed qui puritate, atq; ornatu cæteris antecellunt. Nos si quam laudem scribendo retinere volumus, eam vtilitate rerum comparare debemus, & ipsa dictione talem, vt pudorem conseruemus, vt quamdiu nostris meliora exstant, ea nostris non postponamus: priuatim tamen, quantum possumus, aut superiores aut pares esse contendamus. In lectione etiam illud obseruandum est, vt ad certos

Propositio

Lectio.

Præcepta dicendi.

Quisnam potissmùm sit legẽdus.

fines, quæ

Quid in lectione præterea obseruandũ sit.

fines, quæ leguntur, referantur, vt similia conferantur, vt noua & antè non lecta notentur, vt confirmetur memoria congerendo, vt à melioribus & ad rem pertinentibus ordo progressusq; fiat, vt ea in sermone vsurpentur, quibus ornetur, ita vt permaneat natiuus & doctus. Verùm aut non statim loquendum est, aut loquendum cum optimis, quorũ scripta legimus, audiuimus explicari, habemusq; dissoluta.

De philosophiæ cognitione.

Sed illud continuò simulac incipitur, proponendum est ei, qui præstare volet omnia, quæ ipsum sapientiæ studium profitetur esse cognoscenda. Quare neq; differenda vltra sextum annum puerilis educatio est, neq; in artibus tradendis plura pertractanda sunt, quàm ea, quæ ad eas intelligendas sunt necessaria: vitanda in his obscuritas, vitandæ quæstiones aduersariæ, quædam etiam differenda.

Liber Sturmij de literarũ ludis rectè aperiendis.

Sed quo debeant artes ordine, & qua ratione tradi, explicabimus in eo libro, qui est de literarum ludis rectè aperiendis. Nunc illud solum obtinendum est, inanem esse linguæ solutionem, & verborum volubilitatem, absq; rerum cognitione: quæ cùm rectè atq; ordine instituitur per ætatem hominis, ab vno commodè potest absolui. Vt hoc probaret verum esse Cicero, cùm videret esse ad summam laudem necessarium, tres illos præclaros de oratore libros edidit, & de eadem re cùm in alijs locis, tùm in oratore, quem misit ad Brutum, copiosè disputat. Verùm hoc est in hac re incommodi, quòd post maximos labores, cùm ad vsum peruentum est, negligantur plerumq; studia pristina, atq; omissa in negocijs non recolantur, non continuentur, neq; interuallo interiecto repetantur. Sũma enim dicendi vis, post perceptam artem atq; doctrinã vsu comparatur: sed hic ipse non solùm sustẽtatur, verùm etiã augetur confirmaturq; studiorũ continuatione.

PERORA-

PERORATIO OPERIS.

CAPVT XVIII.

EXposui breuiter, Froßi, quæ cauſæ ſint amiſſæ dicendi ſcientiæ, &, quomodo eadem aliquando recuperari poßit, explicaui. Sed omnis ratio atq; vis in illa puerili educatione ſita eſt, in qua ſumma magiſtrorum opus eſt diligentia, fide, prudentia, conſtantia: ad quæ cùm vſus accedit, cùm perpetuantur cum ætate ſtudia, non poteſt non confici in optimis naturis, quod ſpectamus, vt cum eloquentia ſapientiæ quoq; ſtudium percolatur. Quamobrem vehementer literis gratulor de Senatus noſtri beneuolentia & liberalitate, qui quoniam locum nobis ampliſsimum atq; aptiſsimum conceſsit, quoniam decreuit ex Rep. eſſe, vt coëant ſcholæ, vt diſtinguantur ordinibus, vt ad ſingulas tribus magiſtri & gubernatores adiungantur, & quoniam noſtrorum ciuium liberis non deſunt ingeniorum commoditates, ſi in illis voluntas & amor, ſi in nobis diligentia & fides & iudicium fuerit, ſpero breui fore, vt ex hac Repúb. eiuſmodi prodeant, qui magnam vim ad erigendam iam inclinatam religionem ſint allaturi. Nihil tam facilè vitiatur, quàm puerorum & adoleſcentum indoles, quæ ſæpenumero cùm vnam aliquam maculam ſuſcepit, tota ſolet labefactari: flexibiles eorum animi ſunt in omnem partem, & quocunq; inclinant, eò celeriter rapiuntur, ſiue voluptates ſpectent, ſiue virtutes. Itaq; præclarè mihi de rebus mortalium mereri videntur, qui ſe adoleſcentiæ informandæ dedunt: cui labori tametſi propria merces negatur noſtra ætate noſtris q; moribus, tamen maximæ atq; ſanctiſsimæ rei conſcientiã parit. Tibi verò, mi Froßi, eò hæc mitto, quòd credam, te vnum

esse cum paucis, qui hoc tempore sapiunt, qui literas amant, qui laboranti religioni libenter consulunt, &, quomodo consuli possit, vident: in quibus si non id consequi possumus, quod volumus, tamen acquiescamus nostro desiderio, dum, quod optamus, id eorum ambitione et sceleribus impeditur, qui, illud ipsum vt tuerentur & amplificarent, sunt constituti. Spero etiam aliquando fore, vt Deus piorum studiosorumq; virorum gemitus exaudiat, vt illæ ipsæ lachrymæ, quas literis, quas Ecclesiæ, quas paci præstamus, tandem in eorum caput effusæ appareant, qui, vt suas cupiditates expleant, quid Deus, quid hominum necessitates requirant, nolunt animaduertere.

*

FINIS.



Joannis

JOANNIS STURMII

LINGVAE LATINAE RESOLVENDAE RATIO.

TRADITA IN CELEBRI REIpublicæ Argentoratensis Academia: Anno septuagesimo tertio,

&

in lucem edita studio

IOANNIS LOBARTI BORVSSI, I.V.L.

ILLVSTRIBVS AC MAGNIFICIS DOMINIS D.D. IOANNI ET NIcolao, Fratribus Germanis: Comitib. ab Ostrorog: in Krilovv, Grodzisko, & Miedzichod heredibus: Dominis suis clementissimis

S. P. D.

NON immeritò, Comites Illustres & Magnifici, de naturæ suæ dignitate atq; præstantia gloriari mihi homines videntur: quòd omnium ea sit optima: &, vt veterum quidam Philosophorum dixerunt, vnico summoq; cum miraculo cõiuncta. Soli enim, ex omni animantium genere, reperiuntur

homines,qui rei omnium longè precioſiſſimæ, rationis videlicet & mentis diuinæ, ſint participes.

Ceruum velocitas: fortitudo leonem: canem ſagacitas, curſus, aliaq; commendant: reliquorum etiam animalium vnumquodq; ſuo quodam ſingulariq; bono conſtat: At nullum interim horum, vel mente præditũ eſſe, vel rationis vti beneficio poſſe, cernimus.

Singula præterea naturæ ſuæ conuenientibus armis inſtructa ſunt & parata: pennæ volucribus, quibus lana, feris pili, alijs alia obtigerunt: nec tamen homini idcirco præferenda erunt, quòd inermem eum nudumq; naſci Deus Opt. Max. voluerit.

Vt enim hoc ipſo ijs, quæ præuidere ſibi atq; proſpicere neſciunt, conſuluit: ſic ei, cui principatum tribuere placuit, animali alia quædam largitus eſt, quæ propria ſibi ratione inuenire & comparare queat.

Hinc gladij, haſtæ, ſcuta, omniſq; generis tela atq; arma extiterunt: quibus & corpora noſtra tueri, & aliorũ ab ijſdem propulſare iniurias commodè poſſimus.

Quæ vel ſola, humanæ naturæ indicare dignitatem & excellentiam: eandemq; à reliquis ſecernere & diſiungere animantibus poſſe videntur.

Sed non ſolùm à rationis expertibus animantibus homines ſeparantur: eaq; cùm his, tùm alijs multis nominibus, quæ breuitatis nunc cauſſa omitto, longo poſt ſe interuallo relinquunt: verùm ipſi quoq; homini hominem præſtare alium, illoſq; ipſos, qui ratione vigent, plurimùm inter ſe differre, luce, quod aiunt, meridiana clarius eſt.

Nihil ego iam de nominis fama & exiſtimatione: nihil de ingenio & induſtria: nihil de generis ſplendore &

amplitu-

amplitudine: nihil de rerum gestarũ magnitudine, ali-
isq; infinitis propè rebus dico: quibus à se inuicem se-
gregari homines, certoq; veluti constitui gradus con-
stat: de vnica re illa, qua maximè homines secernun-
tur, sermone & oratione agemus: qua nihil in homine
suauius, vtilius nihil, nihil ad religionem sapienter inter-
pretandam, ad benè gerendam Rempublicam, alia de-
niq; obeũda necessarium magis reperiri posse arbitror.

Cùm autem omnis sermo sua quædam habeat & sin-
gularia, & ἐθνικά, gentis & nationis propria vocabula: nõ
malè quidem facere ñ mihi videntur, qui vernaculam
linguam excolere, eaq; re patriæ prodesse cupiunt.

Sed patrium sermonem comparare: eundem ornare:
copia amplificare, & varietate distinguere, debitum esse
videtur. Decet enim vnumquenq; sua lingua vti, & ab
vnoquoq; id iure quodam suo patria requirere potest:
vt suis quisq; ciuibus patrio, natiuo & domestico ser-
mone commodare studeat.

Quapropter ne illud solùm, quod necessarium est, &
ab omnibus exigitur, fecisse, neglexisse alia videamur:
etiam honorariæ linguæ, græcæ dico & latinæ, excolen-
dum studium erit: si modò, id quod, erectis qui sunt ex-
celsisq; ingeniis prædíti, in optatis vel maximè habent:
& laudem atq; honores consequi: & reliquis præstare
hominibus cupimus.

Sed cùm sermo latinus latiùs mihi patêre videatur, &
reuera latiùs etiam sese, & ad plura, quàm græcus, diffũ-
dat: ad excolendum idem quin magis & vtilis sit & ne-
cessarius, nemo, vt opinor, inficias ire poterit.

Sint sanè alĩ in lingua græca exornanda & ab inter-
itu vindicanda occupati: eandem latinorum orationi

anteponant: mihi certè hæc, vt alia nunc mittam, plus & vtilitatis, & grauitatis habere videtur.

Inuidiosum etiam esse videtur id, quod dicturus iam sum: copia quoq; à latinis Græcos superari: at paulò accuratiùs atq; diligentiùs rem ipsam considerare si voluerimus: ne illud quidem affirmari malè atque ineptè posse deprehendimus.

Nam, vt alios linguæ huius præstantissimos præteream scriptores: quis est, qui Demosthenis confertam & condensatam copiam, cum explicata & dilatata Ciceronis conferri posse existimet?

Non equidem libenter mihi tanta de re, tantisq; viris iudicium sumo: & ne temeritatis fortè à doctis accuser, vehementer metuo. Hoc tamen haud grauatè mihi, opinor, dabunt: fore, vt re nulla latini destituantur: siue verba quis cùm singula, tùm coniuncta consideret: siue sententiarum tractationem & methodum propositam habeat: si id, quod Ciceronem præstitisse constat, præstare omnes valeant.

Sed cùm hoc vix possit: imò verò non omninò possit quisquam: danda sanè opera nobis erit, inq; illud incũbendum sedulò: vt eiusdem secuti præceptum, si non in primis, saltem secundis vel tertijs consistamus.

Id quod consequi, non aut ἀδύνατον, aut vsq; adeò difficile erit: modò & à discendi cupiditate, & rerum pulcherrimarum cognitione atq; scientia mediocriter instructi fuerimus.

Voluntas autem hæc sua quædam principia, suos progressus, terminos etiam suos habet. Necesse est enim, vt velimus suscipere laborem: vt cupiamus, id est, vt velimus vehementer: vt adsit studium rei perficiendæ.

Proxi-

Proximum à voluntate, & cupiditate, & animi quasi ardore scientia seu ipsa dicendi ars locum obtinet. Voluntas enim, nisi scientia regatur, parum efficere solet.

Videmus sæpè agricolas & vinitores diligentissimos: quorum tamen agri & vineæ sumtui & labori non respondent: econtrà alios cernere licet, qui in iugero proximo, imò in eadem vinea, in eodem fũdo, fructus percipiunt copiosissimos.

Quid ita? Agrum sanè colunt & vineam vtrique, & colunt sedulò: sed quia colendi rationem hi norunt: illi contrà planè eiusdem sunt rudes, ignari, & imperiti: fit, eosdem fructus vt non semper percipiant.

Quod vsu uenire his animaduertimus: idem etiam studiosis eloquentiæ accidere videmus.

Alĩ copiam sibi sermonis & ornatum comparant, absque vlla difficultate: alĩ econtrà legendo & commentando visum, memoriam, ingeniumq; obtundunt: impurum tamen stilum, orationem lutulentam retinent, & à barbarie sese vindicare non possunt.

Non sanè deest his voluntas: non studium desideratur & cupiditas: quid ergo? quidè scientia destituuntur & ratione, quæ laborem in illis minuit: iudicium acuit: errare non facilè quemuis patitur.

Hanc scientiam in rebus & verbis positam esse statuimus: quarum illa, quæ in rerum videlicet consistit tractatione, rhetorica est & oratoria: hæc, quæ circa verba versatur, & eorum formulas: grammaticorũ propria dicitur: ideoq; à Grãmaticis traditam eam esse oportebat.

Quod tamen an nostra sit factum ætate, affirmare non ausim: à veteribus Romanis non neglectam fuisse eam, vno, docti omnes, ore fatebuntur.

Vidit

Vidit nimirũ antiquitas illa, quod videre hodiè plurimi aut non volunt, aut non possunt: eloquentiæ originem, verborum esse & formularum delectum. Sensit ita Cato: approbauit hoc summus orator Crassus: subscribere hisipsis etiam Cicero videtur.

Sed delectus hic à nullo institui: aut maiori cum fructu & laude: aut minori cum labore atq; molestia poterit: nisi ab eo, qui resolutam atq; digestam linguam habeat eam, in qua excellere cupit.

Huius rationem, cùm scholis aliquot auditoribus suis indicarit Vir clarissimus D. Ioannes Sturmius, præceptor noster perpetua obseruantia colendus: non ingratum me studiosis eloquentiæ facturum existimaui: si, quæ excepi, qua possem & fide & diligentia atq; sedulitate, typis euulgari atq; in lucem edi curarem.

Extant quidem & aliorum hac ipsa de re libri satis eruditi lectuq; digni. Habemus Ciceronem ordine alphabetario à Nizolio resolutum: sunt studiosorum in manibus noctes Atticæ Gellĩ: aliorum etiam miscellanea et aduersaria reperiuntur, quæ in delectu verborum non parum elegantiæ atq; puritatis iuuare studiosos possunt.

Sed ratio ista Sturmiana longè maiora pluraq; policeri nobis videtur: ita, vt verè affirmare liceat: cum hac nec alphabetariam istam rationem: nec reliqua huius generis scripta alia componi & comparari posse: si modò perfecta illa & absoluta & ad finem perducta esset.

Ea enim sola est, quæ res & verba ad suam quæq; sedem redigit: varietatem singulorum ostendit: formulas & modos loquendi latinos, puros, elegantes commõstrat; quæ deniq;, quò sint reducenda, planum facit.

Habeant

Habeant itaq; locum suum Lexica; placeant Thesauri linguæ latinæ; non excludantur aut reñciantur aduersaria & miscellanea.

Sed hac digestione perfecta; & his locis completis; & modica adhibita exercitatione; nunquam vel res, vel verba deficere quenquam poterunt.

Gratis itaq; animis hunc Præceptoris nostri communis laborem studiosos eloquentiæ suscipere, proq; virili operam dare decet; vt & ad suum vsum eum transferre; &, quod reliquum esse videtur, studio, diligentia, industria absoluere possint.

Id quod paucis assequentur annis; si consilium auctoris secuti, communicatis inter se operis; singuli certos sibi auctores resoluendos in manus sumserint.

Vos autem ego Comites Illustres & magnificos, quorum nominibus libellus hic inscriptus est, ea, qua par est, obseruantia rogatos volo, vt studium hoc meum qualecũq; in optimam partem accipere dignemini; certoq; vobis persuadeatis; libelli vos huius subsidio, minori posthac labore, maiori interim cum fructu & voluptate, stili exercitationem instituturos.

Pluribus hunc ego librum verbis commendarem; nisi cùm propter auctorem, tùm rem, quam tractat, gratissimum per se eum vobis fore sperarem.

Ad stili quoq; exercitia, ad dicendi facultatem, ad scribendi consuetudinem, vos excitarem; nisi antè ita vos hæc in studia animatos præclarè esse compertum haberem, vt monitore minimè opus habere videamini.

Hoc vnicum mea me in vos rogare obseruantia cogit; vt, quod facitis, & magna cum laude, approbatione, atq; applausu doctorum, in scribendis recitandisq; orationi-

bus, publicè facitis: deinceps quoq; facere pergatis. Deinde his quoq; Philosophiæ & superiorum artium cognitionem atq; scientiam adiungatis.

Ita enim benè & sentiendi, & dicēdi scientia instructi, ad veram tandem doctrinæ laudem peruenire: & alijs inclytis Regni Poloniæ Magnatibus pares esse poteritis.

Incitabunt ad hanc vos in suscepto studiorum cursu præclaro constantiam non tam quotidiana Nobilis ac grauissimi viri Domini Iacobi Milievvij, Præfecti vestri, prudens assiduaq; cohortatio: aut etiam Præceptoris Ioannis Ionæ, viri doctissimi, fidelis institutio: quàm domestica familiæ vestræ nobilissimæ exempla.

Primùm patris, qui Castellanum agens Miedzirecensem, præclaram Regi Sigismundo Augusto per annos aliquot nauauit operam.

Deinde Iacobi Comitis de Ostrorog: generalis Poloniæ maioris Capitanei: patrui vestri charissimi, & aliorum, quos, ne quid auribus vestris tribuere, aut adulari videar, consultò hîc prætereo.

Quorum exempla, si, quod facitis, ad imitandum vobis proposueritis, non paternam modò & patruam & auitam gloriam retinebitis: sed sartam, quod aiunt, tectamq; etiam auctam atq; amplificatam, singulari vestra cum laude, ad posteros vsq; transmittetis. His valete feliciter. Argentorati 13 Februarij Anno 1581.

Ioannes Lobartus
Borussus I.V.L.

JOANNIS

IOANNIS STURMII
LINGVÆ LATINAE
RESOLVENDÆ RATIO.
CAPVT I.

Quodnam auctoris hoc in opere institutum: quæ eius vtilitas: qui idem tentarint: quid in ijs desideretur.

1 Cõsilium auctoris in scholis institutis.

2 Ἀφαίρεσις remotio eorũ, de quib. auctor non est acturus, eaq; rationibus munita.

3 Θέσις agendorum.

4 Χρῆσις vtilitas institutæ doctrinæ declarata enumeratione incommodorum, quæ ex neglecta hac oriũtur.

5 Vocabulorũ inopia, causſa neglectæ stili exercitationis, & cõsuetudinis declamandi

6 Probatio, cõparatione

Constitui 1 per dies aliquot vobis tradere rationem ἀναλύσεως, hoc est, resoluendi linguam quamcunq;, cuius quisq; iam cupidus sit & studiosus: & cuius sibi velit comparare copiam, varietatem, proprietatem: societatem etiam & communionem inter se verborum & formularum. 2 Et quoniam hæ linguæ, vtpote Germanica, Gallica, Italica, Hispanica, & cæteræ, natiuæ sunt, ideoq; simul cum ætate comparantur, vsuq; confirmãtur: Græcæ verò vel etiam Hebraicæ ἀνάλυσις, ad imitationem resolutionis linguæ latinæ facilimè instituí poterit: nos omnibus alijs prætermissis, 3 de latina tantùm agemus. 4 Nihil est, quod nostro tempore magis officiat studio eloquentiæ, in sermone latino & græco: quàm vocabulorum inopia, & eiusdem inopiæ vocabulorum intelligentia, noticia, discriminatio, proprietas. Et 5 hæc inopia, causſa est, quamobrẽ nihil tam sit fastidiosum, quàm stili exercitatio, quàm etiam consuetudo declamandi. Hæc enim duo: stili exercitatio, et declamandi consuetudo deterrent pleroſq; ab hoc eloquentiæ studio. Quod 6 mirũ est: cùm tamẽ nullo tẽpore fuerit tanta copia Lexicorũ, quàm hoc nostro tempore. Habemus thesauros linguæ Græcæ & latinæ: habemus

facta superiorũ & nostrorũ temporum,

Ciceronem propè digestum per ordinem alphabeticum: habemus elegantias Laurentij Vallæ: Linacrum et Hadrianum Cardinalem habemus: multos, inquam, habemus commentatores: & tamen destituimur non solùm copia vocabulorum, verùm etiam puritate: vnde fit, vt etiam inimica sit (si Dijs placet) eruditis eloquentia: imò illi ipsi, qui eruditi vel sunt: vel sibi esse videntur: vindicare sese aliquando ab immundicie linguæ latinæ non possunt.

Auctoris de Valla, Hadriano & Lexicis iudicium. In Lexicis vulgaribꝰ quid desideretur.

Hæc causſa est, quòd, quæ hactenus in lucem edita sunt, imperfecta sint, & careant iusto ordine. Benè meritus est de lingua latina Laurentius Valla, sed collegit tantùm flosculos: benè etiam meritus est Hadrianus Cardinalis, verùm & is bellaria tantùm promsit. Lexica hoc malꝰ habent, quòd magis sequuntur ordinem literarum seu alphabetꝰ, vt vocant, quàm ordinem rerum.

Iulij Camilli consilium in resoluenda lingua latina

Ego diu sum versatus in hac cogitatione, quomodo incõmodum hoc depelli posſit de scholis. Anni sunt triginta sex, cùm Argentinam veni: scripsi eodem anno de amissa dicendi ratione: in quo scripto mẽtionem feci huius rationis: tribus etiam antè annis cõmunicaui de hac ratione cum Iulio Camillo, qui diu & multùm versatus fuit in hoc instituto, & primus cœpit soluere linguam latinam, eâmq; diuidere partibus ipsius hominis. Putauit enim se in homine posse inuenire omnem ordinem vniuersitatis: & in diuidendo homine, dissoluere & diuidere posse omnem copiam & varietatem vocabulorum: in hominis ossibus siquidem natura inueniatur terra: in sanguine natura caloris & ignis: in spiritu aër: in vrina aqua. &c.

Auctoris de Camilli instituto iudiciũ.

Erat hoc aliquid: sed magis acutum erat, quàm fructuosum: & propterea ipsemet (volo enim verum fateri) improba-

probauit hanc rationem, & theatrum instituit: in quo vniuersitas naturæ posit videri, digeri, distingui, cumulari. Theatrum illud diuisit septem planetis. In planetis obseruauit vniuscuiusq; proprietates: & editus est liber illius de hac re lingua Italica.

Theatrum Camilli.

Fuit hic Camillus vir natura bona præditus: valdè liberalis: minimè fucatus: optimi iudicij in lingua latina. scripsit versus bonos: non solùm verbis: sed etiam sententijs: oratio eius ita soluta fuit, vt cum Longolij scriptis facilè potuerit comparari. Versatus erat annos quadraginta in hac ratione, & non poterat perficere. Credo caussam fuisse, quòd non adhibuerit adiutores. Celauit enim hanc rationē suam tanquam mysterium quoddam. Quapropter & ratio illa theatrica ab amicis est edita, non ab ipso: non fecit tamen illud inuidia aliqua, aut maleuolentia.

Camilli laus & commendatio.

Caussa quare opus inchoatū perficere Camillus non potuerit.

Sunt enim duo genera hominum, propter quæ res etiam bonæ non sunt edendæ in lucem, antequam perficiantur. Vnum est leuium hominum & inconstantium, qui temerè iudicant: qui expectare non possunt, dum aliquid absoluatur. Idcirco tabulas suas Apelles iudicio hominum non exposuit, antequam eas absoluisset: & architecti ædificare opus suum malunt, quàm delineare. Multos enim habent iudices (iuxta prouerbium) qui secus viam ædificant. Alterum genus, hominum est maleuolorum, cui nihil sapit: cui omnia displicent.

Cur res etiā bonæ & vtiles nō temerè in lucem edendæ.

Hæ fuerunt duæ caussæ, quamobrem bonus ille vir non adhibuerit sibi subsidia in hac re. Duobus commisit hanc rem: Iosepho, qui erat gener eius: & Michaëli Anglo Veneto, per quem Princeps Venetorum vocauerat Philippum Melanchthonem Venetias: tum, cùm vellet rursus instituere fœdus

inter Imperatorem Turcarum, & ciues suos. Sed ille in eadē legatione subitò mortuus est: et propterea Philippus in Italiam non venit. His duobus commisit: cæteris autem noluit.

In Camillo quæ probarit aut improbarit auctor.

Erat Iulius Camillus imperitus linguæ græcæ: idcirco rogauit me, vt interpretarer sibi Demosthenem: & interpretatus sum ei Demosthenis orationem pro Ctesiphonte. Ibi rogauit me, vt dissoluerem illam orationem formulis græcis: ipse verò præiuit mihi formulis latinis: & ego obseruaui, ad quæ loca ipse referret huiusmodi resoluta. Theatrica autem illius ratio mihi displicuit. Putaui enim satius esse sequi ordinem naturæ: & propterea alios mihi locos proposui, & eos secutus sum: habeo multa & ferè omnia huius generis digesta domi.

Auctoris consilium & institutū.

Verùm ne mihi eueniat, quod bono illi viro euenit: volo, quoad fieri poterit, scholis aliquot rationem meam breuiter indicare: vt qui studiosi sunt, coniungant operas mutuas, ac dispertiant hunc laborem, & si fieri possit, breui tempore aliquid conficiamus.

CAPVT II.

Ἀναλύσεως vocabulum explicatur: natura definiendo indicatur: similitudine illustratur: in partes seu loca certa diuiditur: quo pacto cum Dialectica conueniat, aut ab eadem separetur: quomodo instituenda in prædicamentis, exemplis ostenditur.

Ὀνομαθεσία nominis & vocabuli, itē ἐπιγραφὴ ratio.

VOco autem hanc rationem ANALYSIN *LINGVAE LATINAE: tametsi verior et generalior inscriptio est,* ANALYSIS LINGVARVM. *Analysin voco vocabulo Dialecticorum & Mathematicorum. Dialectici enim resoluunt Syllogismum in suos terminos, & in suas propositiones: in maiorem videlicet, in minorem, & in conclusionem: resoluunt omne genus argumentorum in Syllogismos*

smos, Enthymemata & Exempla: & compositas res reducunt ad suas figuras &c.

Hæc Analysis seu ratio Analytica in duas diuiditur partes, in θεωρίαν *& in* πρᾶξιν. *In* πρᾶξει *est vtilitas: in* θεωρίᾳ *dignitas, honor, perfectio. Continet enim* θεωρία *diuisionem totius Philosophiæ, & omnium aliarum artium, siue Physica illa sint, siue Ethica, siue Logica.*

Διαίρεσις ἀναλύσεως in θεωρίαν καὶ πρᾶξιν.

Omnis autem ars tractatur vel methodo diuisionis, methodo διαιρετικῇ *quæ incipit à summis generibus, & desinit in imis formis: vel tractatur* συνθέσει, *compositione, quæ incipit ab imis, & ascendit vsq; ad summa, quæ vocatur methodus* συνθετικὴ: *vel tractatur definitione, quæ deducitur ad suos fontes atq; principia: ad genera, & differentias, & proprietatem: quæ nominata est methodus* ὁριστικὴ, *siue* ἀναλυτικὴ, *ad imitationem Mathematicorum. Sed theoria ista, & hæc ratio & methodus est facilis & perspicua ijs, qui mediocriter versati sunt in partitione Philosophiæ. Praxis consistit in resolutione compositorum, & reductione eorundem ad suas & proprias cellas: & est vtilior Theoria.*

Μέθοδοι artiũ tripartita. Διαιρετικὴ. Συνθετικὴ. Ὁριστικὴ. Methodi analyticæ vtilitas & cõmoditas. Πρᾶξις qua in re posita.

Ponamus igitur huius rei hanc Definitionem: quòd ANALYSIS sit orationis compositæ dissolutio, id est, λύσις *in verba cùm singula, tùm etiam coniuncta: & eorundem reductio, id est,* ἀναγωγὴ *ad sua domicilia, ad suas sedes, ad sua receptacula: ita vt primum in* ἀνάλυσει *sit orationem compositam* λύειν, *id est, dissoluere: alterum* ἀνάγειν, *hoc est, reducere ad sua loca. Resolutio est veluti collectio frugum, vini, siliginis, tritici, auenæ, hordei: est collectio frugum & fructuum. Fructus sunt ipsa singula verba*

Ὅρος τῆς ἀναλύσεως. In ἀνάλυσει quæ obseruanda. Definitionis explicatio facta ὁμοιώσει.

similitudine. verba, vt: amicitia, beneuolentia, charitas: deinde composita, vt: amicitia & beneuolentia, charitas & beneuolentia: beneuolentia & amor mutuus. Incipit enim à substantijs ipsa analysis, & à singulis: ab his venit ad composita: à compositis progreditur ad antecedentia, vt sunt: noticia, familiaritas, propinquitas, communicatio consiliorum, constitutio noticiæ: ab antecedentibus venit ad consequentia, in quibus etiam desinit, vt sunt: Vsus amicitiæ, vtilitas amicorum, voluptas in fouendis amicis. A prædicamento substantiæ transitus fit ad quantitatem, qualitatem, actionem & passionem: ab his quatuor ad reliqua quinq; prædicamẽta. Prædicamentorum enim vsus latissimè patet: cognitio prædicamẽtorum necessaria est Dialectico, physico, metaphysico: absq; consideratione & distinctione prædicamentorum, doctrina de anima non potuit inueniri: & grammatici docti non possunt carere hac distinctione: & ab hac analysi nequaquam potest remoueri doctrina prædicamentorum.

In ἀναλύσει prædicamẽtorũ doctrina primò cõsiderãda.

Alterum, quod spectandum est in Analysi, est ἀναγωγή, reductio collectarum frugum ad suas cellas: quas varias & distinctas esse oportet, propter varia frugum atq; fructuum genera. Quemadmodum enim poma suam requirunt cellam pomariam: vina vinariam: frumenta frumentariam: Sic etiam hæ fruges & hi fructus huius analyseos opus habent suis cellis, quibus reponantur: opus habent, inquam, suis locis, cùm naturæ, tùm etiam artis.

2. ἀναγωγὴ reductio collectorũ uocabulorum.

Rerũ vniuersitas in quatuor capita distincta. Diuina. Naturalia. Artificialia.

Omnem autem rerum naturam, seu omnem vniuersitatẽ, quantum attinet ad lingua comparationem, diuidimus in res diuinas, εἰσὶ τὰ θεῖα, quæ semper principem locum tenent. Deinde in naturam, hoc est, φύσιν, εἰσὶ τὰ φυσικὰ, in res naturales seu naturæ. Tertio loco in res artificiales, εἰσὶ τὰ τεχνικὰ, hoc

κὰ, *hoc est, in artes & disciplinas. Quarto loco in rem, cui omnia sunt applicata, id est, in hominem, seu res humanas. Nihil enim potest inueniri in omnibus scriptoribus, quod non reduci possit ad horum aliquem locorum: aut ad locum diuinitatis, aut naturae, aut scientiae & doctrinae, aut humanitatis.* Humana.

Hi quatuor loci sunt veluti quatuor horrea seu domicilia, quae omnia suis sunt distinguenda cellis, & diuidenda secundum praedicamenta Aristotelica: quae ratio vsum vobis ostendet locorum Rhetoricorum & Dialecticorum.

Dialectici diuidunt totam rationem disserendi in duas partes, in Inuentionem & Iudicationem: dicunt, sua praecepta esse vel εὑρετικὰ, *Inuentionis, cui inseruiunt praedicamẽta & Topica Aristotelis: vel* κριτικὰ, *Iudicationis, cui inseruiunt Analytica priora & posteriora. Sed Dialectici solùm tradunt notas locorum: tradunt solùm applicabilia, & locos vacuos: habent tantùm illa vocabula in ostio locorum posita: argumentum sumtum à toto, à partibus, à definitione &c. Nos verò trademus applicata, & locos habebimus impletos.* Dialecticorũ & Rhetorum in ἀναλύσει affinitas. Διάκρισις distinctio.

Quantum itaq; discriminis est inter cauponem diuitem & pauperem, tantum est discriminis inter nos, & Dialecticos. Caupo diues, hospitem deducens in cubiculum, non solùm ei ostendit insigne cubiculi: solis, bouis, piscis, cerui &c. quemadmodum in diuersorys cubicula nominari solent: sed simul ostendit ei cubiculum instructum lectis, instructum linteis ex cannabo & lino: focum ei ostendit luculentum: & res omnes suppeditat necessarias: omnia habet applicata: dat hospiti, quatunq; cupit, liberaliter. Pauper contrà nihil praeter insigne cubiculi ostendit: caupona est frigida: nullus Distinctionis & differẽtiae explicatio, facta similitudine.

in cubiculo lectus: nulla lintea: focus nullus: nihil horum in caupona & cubiculo, quæ iam commemoraui. Huiusmodi sunt domicilia Dialecticorum. In Indiuiduo nihil habetis præter Socratem & Platonem: In Genere solum animal. In Analyticis Aristotelis nihil aliud ferè, quàm animal, hominem, substantiam, lapidem, animam. In Topicis quæ continentur, ea ipsa possent vna pagella comprehendi.

Loci oēs analytici decem prædicamentis diuisi.

Vt igitur inuenimus inopiam Dialecticorum, omnes locos analyticos diuidemus decem prædicamentis. In his primum locum occupat Substantia. 1 Substantias voco non solùm corpora rerum naturalium: sed substantijs tribuo etiam quamuis ideam: & propterea in hac ratione analytica, non solùm lignum est substantia, & elephas, & crocodilus: sed etiam virtus est substantia. Substantiam voco ea: quæ vocantur à Grammaticis ὑποστατικά, *substantiua nomina, quæ habent quandam quasi* ὑπόστασιν, *substantiam suam, Sic non solùm in hac ratione Deus est substantia, sed diuinitas etiã. Itaq; substantiam in libris vestris analyticis diuidetis in duas columnas: in dextra Res ponetis, vt Deitas: numen cæleste: & poëticum illud, nutus Dei: in sinistra Personas, vt Deus: conditor rerum omnium: fabricator hominum: personæ fabricator, & eorum omnium, quæ supra, infra, & nobiscum sunt. A Substantia transitur ad Qualitates, vt: Deus misericors: Dei misericordia: Deus bonus: Dei bonitas. Romani dicebant, Iupiter Opt. Max: est loquendi modus latinus: sed christianus modus est, Deus Opt. Max: Christus Opt. Max. Dei liberalitas: fons omnium rerum bonarum: liberalitas ipsa Deus. A Qualitate, ad Quantitatem, vt: Deus totus in toto: Deus immensus, infinitus, sempiternus &c. A Quantitate fit transitus ad Actionem,*

1 Οὐσίαι substantiarum: quid p substantias hoc in loco intelligatur.

Διαίρεσις, diuisio substantiarum.

Qualitas.

Quantitas.

ad

ad Paſsionem, & reliqua prædicamenta. Et hæc de quatuor iſtis locis: diuinitate vtdelicet, natura, ſcientia, & humanitate.

Sed quoniam Reſolutio, eſt linguarum reſolutio: & linguæ habent ſuas copulationes, ſuas quaſi ligaturas & colligationes: oportet etiã addere particulas, ſeu librum particularum: quæ particulæ orationem faciunt periodicam: continuant orationem, eandemq; diſtinguunt membris atq; ſententijs: coniungunt et copulant ſententias, eaſdem etiam ſæpè exornant: imò coniungunt totum oratoris & eloquentiæ ædificium. Has particulas inuenit neceſsitas, & expoliuit poſtea elegantia: neceſsitas ſcilicet omnium hominum: elegantia verò eruditorum virorum, poëtarum ſcilicet & oratorum: ſed ſuam quæq; lingua habet conſuetudinem, ſuum quendam vſum peculiarem & proprium. Ἀνάλυσις particularum cur neceſsaria.

Particulas voco primùm illa, quæ ſunt ἄκλιτα, quæ non flectuntur, vt ſunt coniunctiones, aduerbia, præpoſitiones, interiectiones, quæ ſuam habent quandam peculiarem obſeruationem: & propterea etiam elegantiam, & ſuos quoſdam inſignes efficiunt loquendi modos. His adiungo etiam pronomina. Habent enim & hæc elegantem compoſitionem inter ſe, à Romanis obſeruatam: & propterea particulis addo hanc partem κλιτικὴν, *quæ eſt pronominis: cætera nomina & verba currunt per omnes locos: per naturam omnium rerum. Et hæc eſt* θεωρία, *methodus ſcilicet* ἀναλυτικὴ καὶ διαιρετικὴ, *quæ eſt paucorum dierum, & perfacilis: qui quinq; ſenſibus præditus eſt, vna hora poteſt hanc diuiſionem intelligere.* Ad particulas quæ referenda.

CAPVT III.

Diuisionis institutæ primùm redditur ratio. Secundò, quænam in ea obseruanda, tùm à præceptoribus, tùm discipulis, ostenditur.

Diuisionis institutæ ratio.

IN hac autem diuisione, vt videtis, sequimur naturam ipsam, & naturæ ordinem, hoc est, Dei opera. Deus enim omnis naturæ auctor est. Naturam autem nemo potest sequi, nisi teneat simul etiam partitionem artium & disciplinarum. Nam naturæ & artium eadem est partitio: eadem sunt principia & media: idem exitus: eadem actiones & acta: eadem effectiones & effecta.

Quomodo instituenda ἀνάλυσις.

Sed oportet nos hanc rationem ita instituere, vt sit 1. *ad cognoscendum facilis, vt sit* εὐμαθὴς, *vt facilè disci possit, etiam à mediocri ingenio. Socrates apud Platonem in Timæo potest puerum docere res mathematicas, et pusio de rebus mathematicis Socrati respondet, & respondet* τεχνικῶς, *artificiosè. Hæc docendi ratio optima est, vt id, quod docetur, sit apertum cuiuis mediocri ingenio prædito. Id igitur nobis conandum erit* 1. *vt hæc ratio sit* εὐμαθὴς, *vt facilè disci & intelligi possit:* 2, *vt sit* εὐμνημόνευτος, *vt facilis sit memoria eius rationis in apprehendendo: memoria scilicet, quæ facilè potest intelligi & institui, & memoria etiam* φυλακτικὴ, *quæ benè custodiat: quæ non sit difficilis in custodiendo: ita, vt illa, quæ resoluuntur, & reducuntur ad sua principia, ad suos locos & fontes, perpetuò memoriæ inhæreant: vt hic labor inseruiat non tam oculis, id est, legentibus, quàm menti, hoc est, cogitantibus et meditantibus: non tam, vt conficiatur volumen & liber, aut libri atq; volumina: sed vt comparetur doctrina, cuius non sit finis solùm* ἐπιστήμη, γνῶσις, *scientia, sed etiam* δύναμις *efficiendi: facultas agendi, finem habeat* ἔργον, *opus:* πρᾶξιν, *actionem:* ἐργασίαν καὶ ποίησιν, *effectionem: vt re aliqua proposita, quæ sit explicanda, proposimus*

1. Obseruanda εὐμάθεια.

2. μνήμη, memoria.

Finis ἀναλύσεως non γνῶσις, sed ἐργασία καὶ πρᾶξις.

posſimus per vniuerſum naturæ ordinem decurrere. Quæ doctrina facilius poteſt comparari & portari, quàm bibliotheca: vt quocunq; proficiſcamur, & vbicunq; ſimus, habeamus præſentem bibliothecam: non in conſpectu & ante oculos: ſed in mente, in animo, in cogitatione atq; memoria.

Rationis huius facilitas.

Hoc principium videtur aliquid promittere, & certè id, quod promittit, non ſolùm eſt optabile, verùm etiam comparari poteſt: et comparari poterit facilè, ſi hæc duo adſint: ſcientia, id eſt, γνῶσις, ſeu cognitio, & voluntas, id eſt, cupiditas, ſtudium, induſtria, labor, φιλοπονία, laboris ſtudium: quorum alterum ad vos pertinet, vt ſitis φιλόπονοι, vt hunc laborem ſuſcipiatis, qui ætatis eſt non virilis, ſed iuuenilis & puerilis, & idcirco etiam Claſſium: in quibus præceptores pueris hac ratione præire debent, & pueri huic rationi ſeſe aſſuefacere. Alterum autem ad me ſpectat, vt ſcilicet rationem et viam vobis oſtendam: quod quidem vobis promitto: ſed cum hac moderatione & modeſtia, Quoad potero. Oportet enim (vt Homeri verbis vtar) τὰ κατὰ δύναμιν ἱερεύειν, agere & ſacrificare pro viribus & facultatibus. 1 Metuo tamen in hoc principio, ne ratio hæc mea contemnatur propter facilitatem: metuo id, quod neceſſarium eſt: metuo, inquam, ne nimis facilis hæc ratio videatur: cùm tamen facilitas requiratur, & ſit neceſſaria.

Duo in ἀναλύσει requiruntur, γνῶσις καὶ φιλοπονία.

φιλοπονία diſcipulorum eſt.

Ἐπισκήμη καὶ γνῶσις præceptorum, quã auctor valdè modeſtè promittit.

1 Occupatio, qua refutãtur ea, quæ obijci contra inſtitutum opus poſſunt.

CAPVT IIII.

De primo genere locorum in ἀναλύσει obſeruando, quod eſt περὶ θείων, rerum diuinarum: de Deo, & Religione: ex quibus auctoribus, & quomodo compleri: cum iudicio etiam adhiberi & vſurpari poſſit.

INcipiemus igitur à prima cauſſa, ab auctore omnium rerum, ab eo, qui res omnes creauit, & eaſdem etiam diſtinxit generibus, locis, temporibus, formis, ſuiſq; cùm propriis, tùm

κατάστασις. *prijs, tùm communibus, vt Dialectici vocant, accidentibus: à principio, inquam, incipiemus omniũ rerum, eodemq; rerum omnium extremo,* ἀπὸ τοῦ α καὶ ω, *hoc est, ab ipso Deo, & rebus diuinis.*

Διαίρεσις seu partitio rerum diuinarum. Primus locus de Deo ipso. Deus Verus. Falsi Dij. Deorum falsorum etiam instituenda confideratio & resolutio duabus de causſis.

Diuina partiri possumus in ipsum Deum, & in id, quod Deus ab hominibus requirit, hoc est, in ipsam Religionem. Deus diuidi non potest. Est enim vnus, solus & singularis: sed Ethnici et religionis Christianæ ignari plures Deos finxerunt. Ad augendam itaq; linguam latinam, diuidemus Deum in Deum verum, et Deum falsum. Verus te solus Deus est, qui nostræ est religionis, qui omnia creauit. Falsi Dij sunt, Dij gentium, ciuitatum, & populorum, qui traduntur à poëtis, cùm latinis, tùm etiam Græcis.

Hæc altera pars non est negligenda, sed vsurpãda, duabus de causſis, 1. ad reprehendendum, et refutandum, & irridendum priscorum Deos: ad nostram doctrinam atq; religionẽ confirmandam: & ad ostendendum fabularum vanitatem: Saturni scilicet exsecti: Iouis exsectoris: Vulcani claudicantis: Martis adulteri: Mineruæ et Palladis bellatricis: Mercurij nati ex cerebro ipsius Iouis, et similium, quos oẽs enumerat Augustinus: et M. Varro habuit multa eiusmodi in suis

1. Ἔλεγξις. 2. ἀνάγκη *libris de lingua latina, et Hesiodus in sua Theogonia. 2 propter necessitatẽ atq; vtilitatẽ, id est, vtilitatem necessariã. Singulæ enim res apud Romanos suos habebant Deos: res non solùm bonæ, sed etiam malæ. Inde Rubigus Deus, qui Rubigini præfuit, rei scilicet malæ: Flora Dea, quæ præfuit stirpibus & segetibus florentibus.*

Secundus locus re-

Sit igitur locus vnus, Deus ipse, primus scilicet, sũmus et princeps. Sed Deus colitur religione certa, pura, sincera. Proximus ergo locus sit Religio, Religio autẽ omnis, seu cultus Dei,

tus Dei, aut verus est & sanctus, imò sacrosanctus est: aut est falsus & Idolatricus.

1 Primum locum complere posſumus ex Cicerone. 2 Nam tametsi plures Deos faciat: et falsus cultus sit Dei apud Ciceronem: verba tamen, quæ habet, et formulas loquendi, trãsferre possumus ad nostram religionem. Suos habebant Deos Ethnici: Dij sua habebant officia, munera, et suas, vt ita dicam, potestates: singuli etiã Dij suas habebant ceremonias, id est, cultiones, cultus. Horum omnium actiones subiectæ sunt nostro Deo, & nostræ religioni.

rum diuinarum est de Religione. 1 Locus de Deo unde compleri possit. 2 Occupatio, Quomodo ex Cicerone ad religionem verã uerba & formulæ loquendi trãsferẽdæ.

Quæ igitur res bonæ seu bonæ actiones tribuũtur à Græcis et Romanis scriptoribus suis Dijs, et ceremonijs: eas res nobis debemus vindicare, et Deo Opt. Max. nostræq; religioni attribuere. Iupiter administrabat terrarũ orbem, erat pater Deorum, erat fulminator: Sic etiã singuli Dij suas habebant potestates atq; actiones. Harum rerum verba, cùm singula, tùm copulata, tùm etiam formulæ sententiarum transferẽdæ sunt ad Deum Opt. Max. et ad nostram religionem, quæ suos etiã habet præfectos et suas habet ceremonias, quæ res posſunt ex ceremonijs Romanorum, & Romanorum verbis augeri, locupletari, ornari.

Deos plures facere, est impium: sed nihil est tam flexibile, quàm lingua. Ex impietate itaq; pietas potest fieri: ex impuritate, puritas. Impiũ est, precari aliquid à Dijs immortalibus: precari Deos Deasq; oẽs. Flexione autem orationis fit pietas: precari Deũ, precari aliquid à Deo, precatũ esse aliquid à Deo. Sic pia sunt: Colere et Venerari Deum: Expiare peccata, delicta & scelera. Ea igitur, quæ piè posſunt et religiosè transferri ex Cicerone: ad hunc modum debent commutari, & ad hunc modum posſunt μεταχηματίζεσθαι.

Alteri

Alteri parti primi loci, quæ est de Dijs falsis, de Dijs Græcorum, de Dijs Romanorum, de Dijs gentium, de Dijs singularum ciuitatum, de aris illorum Deorum: huic, inquã, parti suppeditat variam copiam idem Cicero in libris de natura Deorum, de Diuinatione, de Fato.

Præter Ciceronẽ etiã alij legẽdi, & in ἀναλύσει adhibendi.

Quæ verò nobis deerunt in vero cultu, & religione pura: illa sunt quærenda, colligenda, comparanda & corroganda ex 1 Lactãtio Firmiano, qui tam proximè accedit ad puritatem Ciceronis, Catonis & Varronis in Theologia & religione: quàm Cornelius Celsus in medicina, & rebus medicis. Fuerunt quidem alij Patres lõgè argumẽtosiores, quàm Firmianus: sed nemo inter omnes Theologos eo purior, & propterea eius lingua mirificè delectatus scribitur D. Hieronymus: de lingua loquor, de genere doctrinæ non disputo.

1 Lactantij stilus proximè ad Ciceronis puritatẽ accedit.

Augustini libri de Ciuitate Dei vtiles ad augendã latinæ linguæ copiam.

Augustinus etiam in libris de ciuitate Dei multa habet, quæ hanc copiam augere possunt. Habet enim in illis libris prisca verba, & formulas sentẽtiarum priscas in locis multis, quoties de cultu Romanorum & Græcorum disserit.

2 D. Hieronymi scripta adolescentiæ legenda.

2 Subsidio etiam nobis esse possunt meliora scripta D. Hieronymi, ea scilicet, quæ D. Hieronymus adolescens, aut iuuenis, aut virili ætate scripsit. Illa enim sunt magis oratoria, et plus habent puritatis. Nam senectà plerumq; habet stilum neglectum. Quemadmodum enim vires corporis deficiunt senem: sic etiam vis dicendi solet senem deficere & destituere: quanquam alij alijs fuerunt & sunt imbecilliores.

In Cypriano quid laudabile, quid etiam uitandum. Tertulliani stilus.

Theologorum est, etiam Patres reliquos legere. Cyprianus scribit accuratè: est ferè nimius in flosculis rhetoricis. Tertullianus non solùm patriam suam sapit, sed etiam antiquitatem & vetustatem: verba quædam habet, & sententiarum habet quasdam formulas, quæ reijciendæ non

sunt

sunt propter veritatem, vetustatem, grauitatem et acumen.

Cũ iudicio instituenda ἀνάλυσις, & habẽdus delectus uerborum.

In libros itaq; hosce Analyticos nihil congerendum est, nisi quod sit latinum. Latina autem variant. Quædam enim sunt rara: quædam quotidiani sermonis & omnibus nota.

1 Vocabula rara multiplicia.

1 Rara voco illa primùm, quæ sunt 2 antiquata, vt illud est apud Plautum, Tolutim, pro, celeriter: vt multa sunt annotata apud Festum Pompeium, & Nonium Marcellum, quæ ideo rara dicuntur, quoniam hodiè à paucis sciuntur: & quoniam etiam rarò his vtẽdum est, imò rarissimè. 3 In risu tamen & iocis, in lepore & salibus, & in conuiuijs lætioribus, non ineptum est aliquando Plautino more loqui: in epistolis etiam ad amicum vti possumus antiquis huiusmodi verbis.

2 Antiquata.

3 Quãdo & quomodo antiquatis vtendum.

Rara poẽtica.

Secundò rara sunt ea, quibus oratores rarò vtũtur, vt illud est apud Vir. Formosum pastor Corydon ardebat Alexin: ardere, pro, amare, est frequens apud poẽtas, sed rarum est apud oratores. Imò istud genus æquè rarum est, atq; est primum, quod vocatur Antiquatum. Quid domini faciẽt, audent cũ talia fures? fures, pro seruo, pro mancipio, rarum est apud oratores: In ioco tamen possumus vti, et seruum, furem nominare. Est enim ambiguum: nemo intelligit, bonumne ipsum putes, an malum. Hoc propterea dico, quòd poẽtica non sint negligẽda in his locis, sed ponenda: verùm notanda. Sic poẽtæ habent raras quasdam metaphoras, differentes ab oratorum metaphoris: cuius discriminis ignoratio facit scriptores nostri temporis impuros. Qui putat, quamuis metaphoram apud quemuis scriptorem esse bonã, is errat, et nunquã purè scribet: oportet oratorias separare à poẽticis: oratores habent metaphoras quasi natiuas quasdã: poẽtæ suas etiã quasdam natiuas habent, sed sunt contra naturam Oratorum.

Poẽtica nõ negligẽda, sed notanda.

Confusio poẽticorũ verborum impurum reddit orationis genus.

Rara historica.

Inter rara numero etiam historica. Historici enim habent quædam genera verborum rara, vt, patrare bellum, est historicum. Si ego quouis in loco vellem dicere, patrare bellum, ineptus essem, & impurus scriptor. Sic: Omnes mihi inuidere & mordere clanculum, est modus loquendi comicus & historicus: historici vtuntur eiusmodi infinitis sæpenumero: poëtæ comici aliquando: oratores rarò.

Rara sermone quotidiano.

Quartò, rara etiam dicuntur, quæ inuenta ab vno aliquo, à paucis sunt vsurpata, ideoq; rara sermone quotidiano. In Ecclesia, in foro, hæc vsurpare, ineptum & odiosum est: apud doctos tamen & peritos ijs vti possumus.

Inuenta à nobis & nouata, rara. 1 Vocabula quomodo inuenienda & excogitanda.

Rara etiam sunt, quæ à nobis inueniuntur: & hanc rationem non debemus negligere. 1 Licet enim nobis conficere vocabula, sed verecundè tamen, sed pudicè, sed parcè. Est indignum homine Christiano dicere, Mehercule: proh Iupiter: modus quidem est loquendi purus, sed impius. Quid Hercules iam ad nos? quid Iupiter? Illa sunt formidanda, & nunquam vsurpanda, nisi in imitatione, cum impios introducimus in Comœdijs aut Tragœdijs. Hominem Christianum per Iouem iurare, Herculem inuocare, etiamsi barbarum non sit, impium tamen est: & nemo nisi impius & inconsideratus vtitur hoc loquendi modo. Si quid simile vellem facere, dicerem, Me Christe, id est, ita me Christus amet. Si enim licuit Romanis exclamare, Hercules, cur non liceret mihi eodem modo exclamare, Christe. Hæc quidem rara, sed non sunt negligenda: quod alijs licuit, nobis licet, semperq; licebit. Igitur à nobis facta: sed confecta ratione, imitatione & exemplo, non sunt negligenda: & propterea multa ponemus in his locis, quæ non inueniuntur apud Ciceronem, aut alios scriptores latinos: sed addendum erit Z.

Imitatione & exẽplo fingẽda & faciẽda verba noua.

ΖΗΛΩ.

ἦλος, id est, æmulatio: aut N. id est, nostra, à nobis inuenta. Nos habemus multas iam res ignotas græcis atq; latinis. Romani non sciuerũt, quid esset ein Schlang/ein Hacken &c. Si mihi scribendum esset de his rebus, & nomina conuenientia ipsis nollem imponere, seruus essem. Si Romani arietem ærarium, vocarunt arietem: cur ego ærariam bombardam non nominarem crocodilum? Siquidem notæ rerum, rerum etiam sunt vocabula. Non debeo itaq; contentus esse aliorum inuentis, sed mea etiam ponere, verùm addere N. nostra.

Res nouæ noua requirunt necessariò vocabula.

Rarum postremò id quoq; est, quod ab alijs inuentum, & sæpè vsurpatum: à nobis parcè adhibetur, vt: diuinitas est vsitatißimum, est vulgatißimum: Deitas est vsurpatum à Patribus, à Scholasticis scriptoribus, à Pontificijs in suis cerimonijs & cantionibus. Si ego sæpius vsurpem in vno loco, in vna periodo, Diuinitas: cur non possem in tertia periodo dicere, Deitatem. Sic rara sunt, quæ ab indoctis crebrò, à doctis autem parcè vsurpantur.

Rara, quæ à doctis parcè: indoctis sæpè vsurpata.

1 Hæc & similia in his congestionibus analyticis sunt retinenda, & nihil est omittendum. Non enim oportet vos solùm colligere gemmas, sed etiam marmor & alabastrum est conuehendum & comportandum: nec ista solùm genera lapidum, sed omnes etiam lapides illi, quibus aliquid vtiliter potest ædificari. 2 Fabri non solùm curant, vt habeant cedros, raras quasdam & singulares arbores: sed in frequentiori vsu apud Architectos sunt etiam quercus, & abietes, atq; pini. Sic etiam non debetis locos vestros complere solùm floribus odoriferis, hyacintho, violis, rosis, & quicquid huius generis est: sed olera sæpenumero, vt, lactuca, betæ, braßica, caules &c.

1 In ἀναλύσει & cõgestione verborum nõ tantum singularia: verùm etiã vsitata, vulgata, cõmunia, colligẽda.

2 Similitudinibus egregijs, qd collectori faciẽdũ, ostenditur.

magis sunt necessaria. Sic bellaria, aromata, & quicquid similium rerum est, præclara ista quidem sunt insignia, eximia, & singularia: sed panis meliorem succum parit, & est vtilior corporibus humanis.

Quemadmodum igitur non solùm res accersenda sunt ex India & AEthiopia: non solùm peregrina & exotica conuehenda: sed horrea nostra sunt implenda nostro quoq; frumento, vtpote tritico, siligine, hordeo, auena &c. Ita etiam Analytici libri debent impleri ex consuetudine: debent impleri ex ore ipsius populi: de consuetudine, inquam, verba sunt conquirenda. Horum enim copia, horum varietas, horũ distinctio, facit orationem laudabilem, sanam atq; salubrẽ: Et nullum verbum est tam vulgatum, tam commune, tam crebrò vsurpatum, quod aliquando non habeat acutam & eruditam tractationem. In communibus itaq; diligenter obseruãda sunt, quæ sunt singularia. Sed de his aliàs copiosiùs. Et hæc de primo loco, de diuinitate scilicet et rebus diuinis.

Cur de cõsuetudine uerba conquirenda.

Cõmunia laudantur, si acutã & eruditam habeãt tractationem.

CAPVT V.

De secundo genere locorum, φυσικῷ scilicet, rerum naturalium, quarum diuisio primò ponitur. Deinde, completio quibus ex auctoribus petenda, ostenditur.

Διαίρεσις.

POst diuina descendimus ad φύσιν, id est, naturam, & res creatas: & Physicam diuidimus prima partitione Astronomorum, in globos seu sphæras cœlestes: in primum mobile: in sphæram stellarum fixarum, quæ firmamentum nuncupatur: & in sphæras septem Planetarum, Lunæ, Mercury, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni. A sphæris cœlestibus transimus ad supremum elementum, ad ignem scilicet: ab igne ad aërem: ab aëre ad aquam, id est, ad mare & freta: ab

Sphæræ cœlestes.

Elementa.

ta: ab aqua ad terram. In terra complector montes, valles, campos, prata, hortos, maria, flumina, fõtes, syluas, et quicquid harum est rerum. In terra etiam comprehendo omnia animantia: vel quæ in terra degunt: vel quæ in aquis victitant: vel quæ in vtrisq; versantur et nascuntur locis. Cõplector omnia genera animalium, domestica videlicet, quæ domi nascuntur: fera, quæ cicurari possunt, & ea, quæ semper sunt indomita.

Animalium historiam describit Aristoteles: & propterea lingua græca copiosior est hoc in loco, quàm lingua latina. Verùm quoniam communes partes habent animantia propè omnes cum hominibus: Celsus quoq;, & qui scripserunt de de medicina, possunt nos iuuare in hoc loco complendo. qui locus finiendus est in homine: cui post creationem, tanquam domino, omnia animantia sunt præsentata.

Ad hunc locum complendum: auctores vtiles, Aristoteles. Celsus.

CAPVT VI.

De tertio genere locorum, τεχνικῷ, rerum artificialium: quibus illæ locis comprehensæ: quibus etiam ex auctoribus complendæ.

Post res diuinas, & naturæ, sequuntur τὰ τεχνικὰ ἢ ἐπιστήμαι, scientiæ Mathematicorum & artes: nec id absq; ratione. Ars enim naturam imitatur, id quod apparet in agricultura. Deus non solùm creauit bouem & terram: sed dedit etiam beneficium colendi terram, & pascendi boues: Dedit non solùm rationem & mentem homini, sed simul etiam tradidit beneficium exercendæ mentis & erudiendæ: doctrinas scilicet atq; disciplinas, quæ singulæ sua quædam propria habent vocabula. Alia enim vocabula habet Dialecticus: alia Rhetor: alius est manipulus rusticorum: alius militum & Imperatorum.

Ratio ordinis.

Διαίρεσις loci τρίμερής.

In hac autem parte sequimur diuisionem Ciceronis & Senecæ, & partimur Philosophiam in partes has: in Naturam, in Mores, & in Orationem.

Ethicæ diuisio.

Mores vel sunt omnium hominum mores, de quibus traditi sunt libri Ethici, & vocantur libri Ethicorum, de moribus: vel sunt mores singularum familiarum, de quibus traditi sunt libri Oeconomici: vel sunt mores populorum & ciuitatum, de quibus traditi sunt libri Politici.

Ad Oeconomicam quæ referantur.

Ad Oeconomicam pertinet administratio familiæ seu domus: item agricultura: item ars venatoria seu ratio venandi: item ars piscandi, & ars nautica seu nauigandi.

Politicæ diuisio.

πολιτικὴ *res administrat vel domi, vel foris. Domi habet res vrbanas, Senatum, forum, iudicia, rostra, concliones: hinc verba quædam propria sunt Senatus, & curiæ: quædam formulæ loquendi propriæ fori & rerum forensium: quædam verba propria comitiorum. Foris administrātur res à Rebuspublicis, ab Imperatoribus: & administrantur vel amicitia, societate & fœderibus: vel bello. Si amicitia constitui non potest, existunt inimicitiæ & bella nascuntur. Inde ipsa ars militaris est comprehensa sub ipsa politica. Magistratuum enim est bellum gerere: & hic locus de bello gerendo est copiosior, quàm locus de fœderibus & societate.*

Ars militaris cõprehensa sub politica.

Logicæ diuisio.

Oratio vel est Grammaticorum, vel Dialecticorum, vel Rhetorum.

Locus Dialecticus sub se quæ complectatur.

Locus Dialecticus comprehendit προτάσεις, *propositiones:* συμπέρασμα *conclusionem:* ἀποφάνσεις, καταφάσεις, ἀποφάσεις, τὸ πρῶτον ἄξιωμα, τὸ δεύτερον ἄξιωμα: *comprehendit etiam decem prædicamenta, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, quando, vbi, situm, habitum. Quæ tametsi à Physicis inuenta sunt,*

& Me-

& Metaphysica superiorem considerationem habeat, & postea Physica: tamen libenter ea referimus ad Dialecticam.

Locus Rhetoricus habet Exordium, narrationem, confirmationem, refutationem, perorationem: habet figuras verborum & sententiarum: habet Statum coniecturalem, statum definitionis, statum qualitatis: continet etiam tria dicendi genera: quatuor dicendi Ciceronis modos: septem Ideas ipsius Hermogenis, habet ἀντέγκλημα, μετάσασιν, ἀντίσασιν, *& quicquid horum vocabulorum est, huius est loci. Licet autem Cicero magnam horum copiam suppeditet: ex græcis tamen omnia ista possunt cumulari copiosius.* Ad locum Rhetoricũ quænam referenda. Loci exquisitus cõplẽdi auctoribus.

Cæteras artes non opus est percurrere. Nam ex his, quæ dicta sunt, reliqua potestis intelligere. Fabri habent sua instrumenta: tonsores sua: metallici in aurifodinis & argentifodinis sua: sua etiam singuli habent propria genera verborum. Reiectio aliarum artiũ mechanicarum.

CAPVT VII.

De quarto genere locorum, τῶν ἀνθρώπων, *hominum: vbi diuisio multiplex & varia indicatur: quibus complenda ex auctoribus, ostenditur.*

HActenus igitur τὰ θεῖα, τὰ φυσικὰ, τὰ ἔντεχνα καὶ τεχνικὰ: *sequitur locus Humanitatis seu de Homine: cuius caussa omnia creata sunt, quiq; omnium rerum cognitionem vel profitetur, vel optat, vel adipisci conatur.*

Eum autem diuidimus ex sententia Salustij & omnium Physicorum, in animam, cuius imperio vtimur: & in corpus, cuius vtimur seruitio. Διαίρεσις instituta ex sententia physicorũ.

Animam diuidimus in animam ipsam, qua viuimus, & in ὑποδιαίρεσις *mentem,* Animæ

diuisio.

mentem, qua sapimus. Mētis est cogitare, cōsilium dare, ratiocinari, docere, argumētis persuadere: Animi est irasci, cōcupiscere, inuidere. In animo spectantur etiam affectiones, quae vocantur πάθη, et habitus, qui vocantur ἕξεις, virtutum scilicet et vitiorum: habitus etiam rationis, in ratiocinando, in iudicando, in discendo, docendóue scientias atq; doctrinas.

πάθη καὶ ἕξεις huius sunt loci.

Corporis diuisio.

Corpus suis constat membris & partibus, quarum quaedā sunt φαινόμενα, id est, foris apparētia, vt: caput, manus, pectus, humeri, brachia, venter, dorsum, thorax, femur, tibiae, crura, pedes: et in his partibus, oculi, nares, os, guttur, carpus, digiti. Quaedā non apparent, sed intus recōditae sunt & latent: editae tamen, videntur & conspiciuntur, vt: cor, iecur, lien, intestina, diaphragma, mesenterium. Quaedā sunt occultiora, tametsi sub sēsum etiam cadant, vt nerui optici, colores oculorum, deductiones venarum, musculi &c.

φαινόμενα μέρη, apparētia quae.

Μὴ φαινόμενα μέρη, occulta & recondita membra.

Accidētia corporis.

Corpus praeterea sanitatem habet & morbos: est corpus sanum: est corpus aegrum, cuius varia sunt genera, variae curationes, variae medicinae.

Officia singularū partiū corporis humani enumeratio partium corporis praecipuarum.

Απαρίθμησις

Sunt etiam officia partium corporis humani, per quae intelligo ipsas πράξεις, id est, actiones, quarum caussa sunt creatae, vel potius earum χρῆσιν, vt vocat ipse Galenus, id est, vsum, vt: oculorum est videre, cernere, intueri, contemplari, collimare: narium odorari, aērem excipere, spiritum emittere, spiritui viam aperire: aurium audire: oris loqui: dentium mandere & masticare: linguae & palati gustare: Stomachi ventriculum claudere, cibum digerere, in chylum conuertere: venarum succum bonum excipere: manuum tangere, verberare, tela mittere, apprehendere, & quicquid similium est rerum: cutis & neruorum sentire, quae calida sunt, frigida, humida, sicca, dura, mollia. In summa:

nulla

nulla particula est in corpore humano, quæ non habeat suum vsum. Sed ego non omnia percurro. Ex paucis enim, reliqua cuiusmodi sint, potestis animaduertere: aut si non statim animaduertere, tamen inquirere, & per vos comparare.

Ἀποδείωξις longioris enumerationis.

Cicero in lib. de natura Deorum persequitur omnes hominum partes, & singularum partium χρείαν. Idem facit Cornelius Celsus: idem etiam Galenus in Anatomicis, & in lib. de vsu partium. Hi tres auctores possunt nos instruere in hoc loco ab omni copia verborum. Plinius tamen multa quoq; suppeditabit, vt & Lactantij Firmiani liber de opificio Dei.

Auctores, qui locum hunc complere possunt.

Sed liberum vobis est ea, quæ de partibus hominum dicuntur, et de generibus, causis ac curationibus morborum: vel referre ad illa, quo sunt ἐυπρεπῆ, id est, ad illa, quæ sunt medicinæ: vel in hac parte humanitatis retinere. Omnia tamen ista sunt æstimanda magnitudine voluminis: & satius est separare aliquid, quàm enorme aliquid facere. Ego tamen illa de morbis, de partibus corporis, diuisionem item morborum, ad locum medicinæ reijcerem: sed sensus, id est, actiones hominis, retinerem in hoc loco humanitatis: & sensibus adiungerem sua obiecta: colores scilicet oculis: odores naribus: gustatus linguæ: ista, inquam, coniungerem cum sensibus, non in Dialecticis ponerem: Ita manum, caput, os, remitterem ad medicinam: sed tangere, apprehendere, manum extendere, ambulare, progredi, saltare, proficisci, iter facere, & similes partium corporis humani actiones, retinerem in hoc loco. In quibus præter ea, quæ diximus, spectanda etiam sunt initia, media, extrema: spectandæ etiam præcipuè sunt causæ efficientes & finales. Certum enim finem quilibet hominum sibi propositum habet, & propterea quot

Notatio vocabulorũ de morbis, & partibus corporis, ad tertium locorum genus referri potest.

Causæ efficiẽtes & finales huius sunt loci.

hominum sunt genera, tot etiam sunt hominum fines.

Varij homi num fines.

Alius voluptatem sequitur, ex quo locus analyticus nascitur, Voluptas scilicet, qui locus latissimè patet. Alius diuitias sequitur: diuitem esse & locupletem, summum bonum esse putat: hinc locus analyticus, diuitiæ & facultates, bona & possessiones. AEgrotus putat summum bonum esse sanitatẽ: hinc alius locus, sanitas videlicet: cuius caussa etiam homines ludunt, venantur, natant & saltant. Alius virtutem sequitur, ex qua nascitur gloria, decus, honestas: inde alius locus analyticus, qui est rerum honestarum. Sunt homines etiam quidam φιλότιμοι, *ambitiosi, cupidi honorum: inde alius locus est magistratus. Sed multa hominibus eueniunt præter spem: multi homines multa non consequuntur, quæ sequuntur: non comparant, quæ parant: non adipiscuntur, quæ paciscuntur: sunt rerum euenta mala, vt: paupertas, morbus, dedecus, ignominia: ex quibus locus nascitur, Res bonæ, Res malæ, Res expetendæ, & Res fugiendæ: Bona & Mala locus generalior: qui locus etiam est copiosus, & oratoribus magnam materiam suppeditat in dicendo.*

Euenta' actionum & consiliorũ varia.

Et hæc sunt in homine consideranda. Sed quia homo, vt animal κοινωνικὸν, *natum ad societatem, Rempublicam inuenit, vrbes condidit, ciuitates constituit: Respublicæ quoq; ad locum hunc Humanitatis erunt referendæ: & præcipuè duæ illæ, circa quas literæ nostræ versantur, Græca videlicet et Romana: differentes inter se aliquibus legibus, magistratibus, genere vestium, ludis &c.*

Respublicæ huius loci quare sint.

Et quoniam Respublicæ opus habent legibus: leges autem sunt inuentæ rationis, sunt inuentæ prudentum & sapientum: in humana etiam societate leges considerabimus, quæ

Leges.

præmia

præmia constituunt virtutibus, beneficijs, meritis, rebus præclarè gestis: multas verò pœnas & supplicia vitijs & sceleribus, id est, vitiosis atq; sceleratis. Vnde nata sunt Iudicia, quæ moderabantur à Senatu. Iudicia.

Homo ergo Senatum constituit, leges tulit, iudicia præscripsit, magistratus distinxit, in Senatu Principem creauit, optimatibus Senatum compleuit, quæsitores Iudicijs præfecit. Magistratus.

Hinc loci multi & plures intermedij in hoc loco comprehensi: qui locus communis est cum loco artificiali, Politices scilicet, qui complectitur definitionem Reipublicæ: genera item Rerumpublicarum, Monarchiam, regnum, tyrannidem, Aristocratiam, Oligarchiam, rempublicam Romanam, Athenienſium, Locrorum & similium: comprehendit etiam caussas rempublicam efficientes, amplificantes, conseruantes, labefactantes, perdentes: leges item consulares, rogationes & leges Prætorum, leges plebis & plebiscita, responsa prudentum, genera Iudiciorum: Prætores vrbanos: prætores & proconsules prouinciarum: complectitur denique quicquid pertinet ad doctrinam politicam, vt sunt ea, quæ fuerunt comprehensa à Cicerone in libris sex de republica, vt sunt libri Platonis de legibus & politia, vt sunt fragmẽta iuris ciuilis nostri temporis. Omnia ista, inquam, referenda sunt ad locum Politices. Politica.

Locus verò iste, qui diuiditur in caussas senatorias, forẽses et comitiorũ, complectitur actiones oratorias: vt est iudiciũ, caussa, accusatio, defẽsio, petitio, recusatio: cõtinet caussæ dictionẽ: oratorũ complectitur argumentationẽ, cõfirmationẽ, refutationem, et reliqua. Senatorias etiã comprehendit actiones, quæ sunt, Senatum cõuocare, viatorem mittere, pignus accipere, sentẽtiã in Senatu dicere, pedibus in sentẽtiã ire, et Actiones oratoriæ. Senatoriæ actiones.

quicquid rerum eiusmodi est, quæ posita sunt in quotidiano oratoris officio: illa omnia ad hunc referuntur locum, id est, ad locum orationis. Oratio autem omnis vel scribitur, vel pronunciatur. Scribuntur libri, scribuntur epistolæ: pronunciantur orationes, conciones, laudes, vituperationes, & quicquid harum rerum est.

Orationis diuisio.

Hic locus complectitur etiam hominis iudicium & æstimationem. Iudicant homines simpliciter aliquando de actionibus honestis, inhonestis, vtilibus, inutilibus, iucundis, iniucundis, salutaribus & perniciosis: aliquando per comparationem, per æstimationem, per προτίμησιν. Inde locus nascitur æstimationis & precij: pluris fit pecunia, quàm doctrina. Instar multarum pecuniarum alicui aliquid esse, est huius loci, id est, æstimationis.

CAPVT VIII.

Vsus instituta partitionis locorum ostenditur, & contra ea, quæ obijci posse videntur, defenditur.

PVto me omnia iam ferè complexum esse generatim, ex quibus facilè potestis intelligere partitionem & digestionem locorum, diuinitatis scilicet, naturæ, doctrinarum & humanitatis: potestis etiam animaduertere, quàm ista loca sint capacia, & quàm facilia inuentu.

Vocabula apud Ciceronẽ, quomodo ad quatuor locorũ genera referẽda exemplis indicatur.

Quapropter si occurrat vobis in Cicerone vocabulum Deus: si legatis apud eundem, vel alios scriptores, surculus, malleolus, viuiradix, & quicquid huiusmodi est, statim apparet, ad quem ordinem rerum ista debeant reduci. Si legatis, copias conscribere, exercitum instruere, exercitum ducere, cum copijs dimicare: facilè apparet, ad quem locum ista sint referenda, nempe ad artem militarem, ad ipsam πολεμικήν.

λεμικὴν. *Si legatis, ſubſtantia, quantitas, qualitas & ſcitis illa vocabula referenda ad locum Dialecticorum, ſiue ad artem Dialecticam. Si legatis, contendere cum aliquo, diſſerere in vtramq; partem, cauſſam defendere: facilè videre poteſtis, cuius generis, loci & naturæ iſta ſint omnia.*

Sed poteſt aliquis dicere: non facta eſt mentio patris in hiſce locis, non matris, non mariti, non vxoris, non domini, non ſerui, non bouis, non aſini: quorſum igitur hæc referenda? Omnia iſta habetis in Oeconomica: in loco, inquam, Oeconomico habetis patrem, matrem, maritum, vxorem, dominum, ſeruum, bouem, aſinum, inſtrumentum vocale, inſtrumentum mutum. Non facta eſt mentio loci, non temporis: habetis tamen ea comprehenſa partim in loco Dialectico, qui eſt decem prædicamentorum, partim in cauſſis & circumſtantijs actionum. Nihil enim agitur, niſi in loco, niſi in tẽpore, niſi ab aliqua cauſſa motum et excitatum: nihil agitur temerè, ſed aliquo propoſito fine: aut ſi quid agitur temerè, locus ipſe ſe vltrò offert, caſus ſcilicet & fortuna. Occupatio de ſingularibus. Solutio.

Hæc ratio facilis eſt & parua, & propterea εὐκαταφρόνητον, *facilè poteſt contemni, et contemnetur, ab eruditis etiam. Quiuis enim dicet: illud etiam ego potuiſſem inuenire. Ego in medio relinquo vituperandum et laudandũ cuilibet.* Occupatio alia de facilitate.

Architectus quidam Florentiæ inſignis vir profitebatur aliquando, ſe poſſe turrim teſtudine iungere: ſi hoc feceris, dixit alter, poteris etiam ouum in alabaſtro acuto et polito ſtatuere. Reſpondit Architectus, Faciam, vt illud ouum ſtet in alabaſtro erectum. Accepit itaq; alabaſtrum, accepit etiam ouum, & percuſſit ouum nonnihil, vt eſſet planum in acumine. Dixit alter: Hoc ego etiam potuiſſem facere. Reſpondit is, cur non feciſti? Alius quidam dixit, ſe velle ſe Exemplo ſe auctor Florentini cuiuſdam architecti excuſat.

 Aliud exẽplum.

demittere ex turre D. Marci Venetijs. Fecit itaq; se alatum, & demisit se: tunc alter dixit, & ego hoc feciſſem, ſi dixiſſes, te velle alis vti. Reſpondit is: cur igitur non feciſti? Sic etiam, ſi quiſquam mihi dixerit, cuiuſuis eſt hanc rationem inuenire: dicam ego, cur tu non inueniſti?

Ἀποδοσις.

Laudabile, inuenire cognitu facilia.

Ego puto laudabile eſſe inuenire rationem, quæ ab omnibus intelligi poſſit, quæ non difficilis ſit. Et hoc eſt diſcriminis inter me & Iulium Camillum. Iulius volebat mathematicè ſuos locos tradere: ego κατὰ φύσιν trado. Malo enim contemni, quàm rem facere difficilem.

CAPVT IX.

De auctoribus, in quibus latina lingua inſtituenda ἀνάλυσις in politicis, phyſicis, quotidianis & vulgaribus rebus.

In reſolutione â Cicerone ordiendum.

IN reſoluenda itaq; lingua latina, principium faciendum eſſe cenſeo ab optimo auctore, hoc eſt, à Cicerone. Cicero enim ea ætate Imperij Romani vixit, qua eloquentia ad ſummum penè peruenerat, et poſt quam ætatem ſtatim ſubſecuta eſt corruptio eloquentiæ. Vnà enim cum Cæſaribus & Imperatoribus, & conuerſione Imperij Romani, ſubſecuta etiam eſt corruptio, vt morum & legum: ſic etiam linguæ & eloquentiæ.

Subſidia ex alijs auctoribus petenda.

Sed quoniam Cicero non omnia habet: quoniam Cicero cellas habet aliquando vacuas & inanes, ſæpe etiam nullas: ſubſidia nobis petenda erunt ex alijs bonis ſcriptoribus: vt in rebus politicis ex C. Cæſare, & Criſpo Saluſtio, cuius oratione ego valdè delector: & ſi quid his deſit, ex T. Liuio: in rebus Phyſicis, (quoniam pauca etiam Cicero continet, quæ ſunt rerum naturalium) ex Cornelio Celſo, & Plinio, cuius verba cum ſingula, tum coniuncta, latina ſunt.

Phyſica vnde conquirenda.

& ætatu

& ætatis Ciceronis. Et licet formulas loquendi habeat proprias & suas, diuersas ab ijs scriptoribus, quos iam nominaui: eæ ipsæ tamen, si parcè vsurpentur, aut necessitatis causa, aut ornatus gratia, magnam adferunt auditori & lectori voluptatem. Sed Cornelium Celsum, puritate antepono Plinio. Purus enim est scriptor, & propè omnia pura habet & Latina. In sermone quotidiano (omnem enim Cicero non continet) ex poëtis comicis. Hi enim adiumenta nobis hanc ad rem adferunt atque auxilia: & quidem primùm Plautus, quem dico purum scriptorem esse & antiquum, tùm verbis, tùm etiam sententys, & earum formulis: nisi vbi ἑλληνίζει, vbi vtitur Hellenismis, & græcos imitatur, aut ex græcis latina facit: qua in re oportet vti διαιρέσει, id est, distinctione. Sunt enim quædam Plautina, quæ perpetuò possunt vsurpari: quædam, quæ rarò: quædam etiam, quæ insolenter, id est, cum quadam licentia. Plauto subiungendus est statim Terentius: & hic quidem purus, sed minùs apertus, quàm Plautus: est artificiosior Terentius: Plautus loquacior: sed latina est loquacitas, est loquacitas pura, vt Romani loquebantur. Serui, parasiti, heriles filij, lenones, meretriculæ, suos habebant loquendi modos. Hæc sunt distinguenda, vt rectè ijs vti possimus. Singulæ enim personæ sua habent quædam decora.

Quotidiana vocabula vnde sumenda.

Plautus qualis.

Discrimen inter Plautum & Terentium.

CAPVT X.

De vocabulis nouis: cur inuenire interdum oporteat: in ea inuentione quæ obseruanda.

Sed sunt quædam, quæ apud scriptores, quos iam nominaui, non inueniuntur, imò, quæ nusquam inueniuntur.

Res

Rerũ multarum nulla reperiuntur vocabula.

Res enim multas amisimus: multarum rerum vsus est iam abolitus: & quia res desierunt esse: nec res, nec formas rerum, nec etiam verba earum rerum habemus: sed contrà habemus res nouas. Alias habuerunt machinas bellicas Romani atq; nos habemus: Cæsar secum deportabat arietes, scorpiones, catapultas, fundas, balistas, sagittas: has res nos non habemus, neq; harum rerum vsum: habemus autem loco harum, quas alij vocant bombardas, veluti bombos ardentes: alij sclopos, quanquam sclopus etiam latinum est, vsurpatum ab Italicis historicis, sed similitudine & comparatione, non vera forma rei retenta.

Verba noua rectè vt inueniantur, quæ ob seruanda.

Quid igitur hîc faciendum, cùm res noua est, & noua inuenienda sunt verba: Primò confugiendum est ad genera: vt, Machina est genus commmune Latinorum & Græcorum: est ortum à Græcis, qui machinam vocant μηχανὴν: *sed vsu factum est latinum: vsurpatum à latinis scilicet commodatione: commodarunt à græcis hoc vocabulum latini. Hoc genus, habet aliud genus supra se: scilicet Instrumentum. Est enim* σκεῦος, *id est, instrumentum, omnis machina. Item genera alius est, impedimentum. Machinæ enim inter impedimenta numerantur. Imperator, qui impedimẽta relinquit, non solùm deserit panem, vinum, strata, vestes, arma, sed etiam machinas bellicas, & omne genus instrumentorum. Hæc sunt superiora genera. Deinde descendendum est ad inferiora, id est, ad species & ad formas. Informis habemus Tormentũ, à torquendo. Quicquid torquetur, tormentum dicitur. Sic impressiones vocamus tormenta: sic arietem possumus tormentum dicere: Item quæ procul mittuntur, tormenta vocantur, id est, tela. Telum enim est, quicquid* τηλοθεν *venit, id est, quicquid procul accedit,*

vt

vt lapides ex fundis, sagittæ ex arcubus atq; balistis, pila ex manu & brachio militis peditis.

Hactenus Romana. Iam ventamus ad nostra. Quid faciendum in nostris est? Inuenienda sunt verba noua, id est, vel sunt facienda noua: vel sunt conformanda: vel sunt mutuanda. Erasmus ausus fuit nominare bombardam: propterea Erasmiani, qui Erasmum sequuntur, non abhorrent abisto vocabulo: nec ego id vitupero, propter elegantem originem. Est enim bombus instrumentum, oculos & aures tentans: oculos flamma: aures sonitu. Sclopos etiam non reijcio: Nam latinorum quidam hoc vocabulo sunt vsi. Possumus igitur vti vel vocabulo facto, vel mutuato. Et si illis, qui ante nos fuerunt, noua verba facere licuit, licet etiam nobis. Si illis licuit mutuare verba, licet etiam nobis in rebus necessarijs. Ergo si alij bombardam, alij sclopum dixerunt: & ego Fulminale nominem, puto, meo illud me iure facere posse. Etsi enim fulmina nō sunt Dialia aut Iouialia: videntur tamen quasi fulmina iacere. Ita quoque Equites, qui vtuntur minoribus eiusmodi sclopis, nominare possum Fulminatores: & cùm dico Fulminatores & Fulminalia, vtor meo verbo, non à me facto, sed deriuato à me, imitatione. Si enim latini, à flo, flas, dicunt flamen, & vocant flamen, non solùm ventum, sed etiam sacerdotem Flaminem nominant: cur ego à fulmino, fulminas, non dicerem Fulmines, Fulminatores, Fulminalia &c.?

Vocabuli Bombardæ author primus Erasmus.

Deriuatio instituenda imitatione aliorum, sed probatorum.

CAPVT XI.

De ratione instituendæ analyseos: de voluminibus eam ad rem necessarijs: quot requirantur: à quibus & quomodo faciendum initium: qua huius totius rationis vtilitas.

Ne autem videar solùm rem istam ostentare, non autem in-

dicare: aut ne videar rem solùm indicare, non autem explicare: resoluam quædam ex principio orationis, quam Cicero habuit pro Domo sua ad pontifices. Hac enim ratione, hoc est, resoluendo, melius omnia, & apertius, & facilius demõstrari poterunt, quàm verbo & oratione, hoc est, docendo, aut diuidendo.

Ratio instituendæ analyseos, & cõficiẽdorum voluminũ, exemplo indicata.

In hac autem re oportet vos sequi homines λογιστικούς. *Quemadmodum enim hi duo habent genera voluminum, vnum, quod deportari potest ad quæuis loca, alterum, quod custoditur in bibliotheca: ita etiam vos facere oportet, et in hac ratione habere duo genera librorum.*

I Genus voluminum.

Primum genus erit ἐφημερίδων, *quod latini vocant Diaria, obseruatione græci nominis. Nam ephemerides dictæ sunt* ἀπὸ τῆς ἡμέρας, *à die, propterea quòd contineant res quotidianas, res singulorum dierum, singulorum dierum obseruationes. Hoc genus etiam vocatur aduersaria, quòd contineat res quotidianas aduersarias, seu inter se aduersas, in eadem pagina scilicet accepta & expensa, data & soluta: confuso quidem ordine, sed aliqua tamen distinctione. Est enim volumen hoc* μνημονικόν, *seu, vt vocant barbari, memoriale, memoriæ quotidianæ caussa comparatum & institutum. Posteriores vocant etiam Coniectanea, quòd res eò coniectent. Hoc volumen aliquando complebant mense vno, aliquando bimestri, aliquando trimestri spacio, aliquãdo anno toto.*

II Volumen bibliothecæ.

Alterum volumen, quod dixi esse bibliothecæ & custodiæ, est perfectius. Habet enim accepta & expensa distincta locis, temporibus, personis, generibus rerum. Vectigalia, quæ accipiuntur ex portu, seorsim ponit: quæ ex decimis, seorsim: quæ ex scriptura, seorsim: omnia denique, quæ de nostro expendimus, aut aliunde accipimus, seorsim.

In primo volumine locum habent liturae: in primo volumine licet obliterare, mutare, emendare. Alterum autem volumen habet omnia pura, castigata, indubitata, & vocatur codex, numero rei vnius: vocatur etiam tabulae, numero scilicet rerum plurium, vel potius numero rerum omnium.

III Genus voluminũ.

Praeter haec duo genera librorum, est etiam tertium, quod videlicet pertinet ad analysin oratoriam seu rhetoricam & dialecticam. Prima illa analysis, de qua diximus, est λεξική, *est* λέξεων, *id est, dictionum: est* μορίων, *id est, particularum, vt comunctionum, praepositionum, aduerbiorum, pronominum, quasi nominum, quasi pronominum, vt alius, alter, & similium particularum.*

Altera ἀνάλυσις *est* τεχνική, *id est, artis resolutio, & est liber* παραδειγμάτων *exemplorum: continens* παραδείγματα, *exempla Dialecticorum, vt syllogismorum Categoricorum, syllogismorum hypotheticorum, Enthymematum, Exemplorum, Inductionum, Soritarum, argumentorum ex toto, ex partibus, ex notatione siue verbi explicatione, ex affectis, hoc est, ex genere, ex specie siue forma, ex similitudine, aut contrà ex differentia, ex contrarijs, ex adiunctis, ex antecedentibus & consequentibus, ex repugnantibus, ex causis, ex effectis: postremò ex comparatione maiorum, minorum, parium. Haec enim omnia suas habent quasdam proprias* ἐργασίας, *id est, tractationes, ex quibus singularum animaduertendae sunt Ideae, hoc est, propriae methodi tractandi, id est, methodi interrogandi, respondendi, proponendi, argumentandi, concludendi. Et haec sunt exempla Dialectica, exempla sunt philosophica: cuiusmodi habetis varia genera apud*

Ciceronem in libris philosophicis de natura Deorum, de Diuinatione, de Fato, quæ exempla obseruatu sunt vtilissima.

Volumen exemplorum oratoriorum.

Sed quia philosophicæ tractationes & argumentationes differunt ab oratorijs & Rhetoricis: oportet nos istud etiã genus alterum habere exemplorum, exempla scilicet oratoria, quæ magis sunt varia. Sunt enim varia genera narrationum, vt facilè videre est in oratione Ciceronis, quam habuit pro A. Cluentio: quæ oratio complectitur, vt est apud Quinctilianum, exempla omnium præceptorum eorũ, quæ sunt apud Quinctilianum, de narrationibus, vt etiam videre est ex sexta Verrina.

Ad Narrationes quæ referenda.

In hoc genus librorum etiam referenda sunt, quæ narrationibus sunt vicina, vt sunt descriptiones vrbium, fontium, syluarum & nemorum.

Ad hoc genus etiam congerendæ sunt descriptiones poëtarum, vt descriptio famæ apud ipsum Vergilium, descriptio clypei Achillis apud Homerum.

Ad hoc genus pertinent etiam loci communes, theses rhetoricæ, vt locus communis de mandato violato, de virtute, de iustitia, de temperantia: qui loci communes habent etiã suas διαγραφας, descriptiones, & suas quasi ὑποτυπώσεις, suffigurationes.

Argumentationum notanda exempla.

Oratorum etiam argumentationes huc sunt congerendæ, vt argumentatio, quæ constat ex propositione, ratione, rationis approbatione, approbationis amplificatione & ornatu, conclusione, & eiusdem etiam conclusionis confirmatione, noua adiecta argumentatione. Huc etiam pertinent exempla figurarum, exempla troporum. Figuræ enim varias habent collocationes verborum, & mutationes sententiarum.

Exempla Troporũ & figurarum.

Quemadmodum enim nihil est tam flexibile, quàm oratio: sic

sic etiam nihil magis est varium, quàm ornatus oratorius.

Hæc tria habete volumina analytica, ephemerides scilicet & duos Codices, quorum vnus sit λεξικός, *alter autem* τεχνικός. *Per* τεχνικὸν *intelligo locos omnium artium: licet nos agamus iam præcipuè de Dialecticis & Rhetoricis. Sic Iureconsulti suos debent habere libros analyticos, digestos & compositos verbis, verborum definitionibus, verborum & rerum diuisionibus, casibus etiam, vt IC. vocant. Habetis de Apelle illud: Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit: quæ lineæ nobis ducendæ sint in hoc genere studiorum, hæc tria volumina nobis indicant.*

Meo tempore valdè occupati fuimus adolescentes in instituendis locis communibus. Corrogauimus quædam ex eo libro Erasmi, quem edidit de ratione discendi. Philippus honorificæ memoriæ etiam tradidit quosdam locos communes, & alij alios tradiderunt. Ego puto non solùm faciendos locos communes virtutum & vitiorum: sed locos cõmunes omnium rerum: & propterea diuisi res omnes, in diuinas, naturales, artificiosas & humanas. Hi loci continent & illos locos virtutum, et omnium rerum loca: & suppeditant nobis receptacula omnium rerum, quæ quotidie legimus. Instituendi itaq; sunt hi loci, et quotidie implendi, id est, essent implendi quotidie, si faceremus. Sed ego non feci, & dolet me non feciſe: atq; vtinam monitus fuissem à præceptoribus meis, vt hoc facerem, vtilior vobis esse possem hoc tempore, quàm sum. Si enim loci essent instructi: si essent copiapleni: si essent definitionibus, partitionibus & distinctionibus digesti: si, inquam, omnia essent elaborata: nunquam vobis deesset oratio: & quoniam non solùm difficile est & molestum, omnia memoriæ mandare, verùm etiam impossibile: essent

Iudicium autoris de instituẽdis locis communibus.

Vtilitas locorum cõmunium.

bile: essent quoq; vobis hi loci instar memoriæ seu recordationis. Scire enim, vbi possis inuenire, quæ memoriæ non mandas, satis est.

Hactenus igitur propè enumerauī præcipua loca rhetoricæ & oratoriæ ἀναλύσεως κατὰ τὰ γένη, quæ nullam habēt difficultatem in obseruando. Quoniam verò difficultas est aliqua in medys & inferioribus generibus, resoluemus, quēadmodum antè dixi, principium orationis, quam Cicero habuit pro domo sua.

In resolutione magnis voluminibus non est opus.

In hac autem resolutione non statim opus est ingentem codicem conficere, aut tria facere corpora librorum: errāt, qui incipiunt à magnis voluminibus. Nos igitur incipiemus ab ephemeride, à diario, ab aduersarys: & in his adhibebimus chartam quatuor foliorum. Ea enim est εὐπόριστος, facilè potest comparari, & est εὐφόρητος, facilè potest portari.

Singula folia habent paginas duas: paginam aduersam, id est, primam faciem, & paginam auersam, ideſt, alteram faciem. Singulis paginis tria loca potestis comprehendere, aut etiam quatuor. Nam vnus locus primæ faciei comp letus transportari potest & transscribi tertio, quarto, sexto, imò vicesimo folio: ita tamen, vt vtrobiq; paginarum notetur numerus. Hoc enim modo facilor erit & scriptio ipsa, & inquisitio, et inuentio, quemadmodum reipsa comperiemus.

Sed vtile est etiam numerum seruare non solùm in aduersarijs istis: verùm etiam in ipsis auctoribus: vt in rebus dubijs possimus ad exemplum recurrere. Idcirco ego Ciceronem ante annos triginta duos & ampliùs curaui edi

Editio Aldina & Riheliana cõmendatur.

à VVendelino Ribelio piæ memoriæ eadem forma, qua Aldus Manutius edidit, inseruiens instituto doctissimorum virorū, qui erant tum temporis in Italia. Hæc adhuc exemplaria

plaria extant, & Iosias Ribelius non facilè ab hac forma & ratione discedet: propterea consulo, vt ijs exemplaribus vtamini, quia Aldi Manutij exẽplaria non amplius habetis.

Nizolius secutus est etiam exemplum Aldi Manutij, & rectè fecit. Idem enim fecit Sadoletus, idem Bembus: si pagina aduersa fuit, Nizolius posuit A: si pagina auersa, posuit B. Ego in hac ratione resoluendi, si pagina est aduersa, pono punctum vnum: si pagina est auersa, pono puncta duo. Id enim facilius fit, & est ad aspectum pulchrius. Sed diligenter obseruandum est, ne omittantur puncta.

Quantum autem ad rationem ἀναλύσεως attinet, non opus est principiò, vt antè dixi, magnum volumen facere, sed quotidiè aliquid in aduersaria congerendum est. Hac enim ratione melius poteritis numerare, quot lineas quotidiè ducatis: videbitis etiam quotidiè crescentes vestras opes & facultates.

Sed ab vno ista confici non possunt, nec anno confici possunt, nec biennio, nec triennio, nec quadriennio. Si tamen vellemus facere in re bona, quod Logistæ faciunt in re mala, hoc est, si tradere vellemus operas mutuas, biennio multum efficeremus, et libenter dicerem, omnia perficeremus. Si enim doctiores acciperẽt singulos auctores, et singulas orationes, et eas resoluerent diuersas, non easdem: sequentes vestigia mea, meum ordinem et methodum, facilè esset rei vtilissimæ & necessariæ ad eloquentiam cõparandã confectio. In colligendo mutuæ operæ tradendæ.

Me non pudet ad hunc laborem descendere, & intermittere studia mea in rebus maioribus. Si enim Varronem senem non puduit scribere de lingua latina, & posteris tradere grãmaticorum interpretationes & analogias: neque puduit eum dicere, pratum dici quasi paratum, Occupatio

quòd

quòd opes suppeditet quasi paratas, hoc est, absq; sumtu & impensis: fontem dictum esse à fundendo, quòd aquam effūdat: curam ab vrendo, quòd cor vrat &c. cur me puderet in hac ætate & senecta mea grammaticum agere, & res tractare grammaticorum?

Credo autem vtrumq; idem secutum esse, id est, duos res duas esse secutos, Varronem scilicet duo secutum esse, & me eadem sequi, vtilitatem videlicet & voluptatem.

Commendatio instituti operis

Quid enim vtilius in hac vita, quàm pura mens, & pura oratio? quid iucundius, quàm elegans vita, & elegans oratio? reliquæ voluptates omnes desinunt in humanitate & flaccescunt, & relinquunt, vt loquitur D. Hieronymus, quandam sui pœnitudinem.

Voluptas literaria cum alijs confertur.

Omnes senes pœnitet et pudet præteritarum voluptatum, earum scilicet, quas adolescentia & iuuenta putat esse bonas, & coniunctæ sunt cum peccatis & vitijs, & sæpè cum sceleribus, vt est ebrietas, vt libido & scortatio, ac similes res, vt profusi sumtus, in quibus iuuentus putat esse laudem aliquam, cùm sit dedecus in ijs positum, aliquando & pernicies, plerumq; etiam aut nimis sæpè miseria. Harum voluptatum omnium, inquam, & similium senes pœnitet & pudet: vitæ verò laudatæ & orationis perspicuæ neminem pœnituit vnquam.

Studiosorum itaq; erit adolescentum, laborem hunc meum non fastidire. Labor enim vnius mensis & alterius ostēdet eis mirabilem fructum huius ἀναλύσεως, quem fortassis antea nunquam animaduertissent.

Hebraica lingua videtur esse inops verbis & sententiarū formulis: sed si resoluatur ad hunc modum, apparebit in ea lingua mirabilis copia, vis et proprietas, in ijs etiam verbis, quæ

quæ habent multiplicem potestatem, & ad res multas transferuntur.

Valeant libri de copia rerum & verborum: valeant onomastici: valeant thesauri linguæ latinæ & græcæ: nullo loco erunt, si cum hac ratione comparabuntur, & si hæc ratio, quæ sola copiam ostendit, & viam præmonstrat orationis copiosæ conficiendæ, à nobis perficietur. Quod ipsum facilè fieri poterit, si vt antè dixi, operas tradamus mutuas.

Sed de his satis. Incipiamus nunc ἀνάλυσιν, *retento ordine, non naturæ, aut artis, sed ordine verborum, vt in Cicerone sunt collocata.*

CAPVT XII.

De ratione instituendæ Analyseos dictionum: indicata exemplo orationis pro domo habitæ.

CVm multa diuinitus) *Hîc inspicio primum verbũ, & video* cum, *video particulam. Ergo locum facio particulæ, et facio P. solum: deinde in ipsa inscriptione, titulum scribo: CVM, TVM: qui locus est singularis, singularum scilicet dictionum, cum & tum. Postea pono: cum multa diuinitus. Deinde linea modicè protracta, addo: tum nihil præclarius, hoc modo: Cùm multa diuinitus ---- tum nihil præclarius: modus loquendi latinus pulcherrimus.*

Locus itaq; singularis est CVM, TVM: locus generalior, PARTICVLAE REDDITIVAE. Cum, est particula præpositiua: Tum, est particula reddditiua. Et iste locus reddditiuarum particularum patet latissimè. Sed aduersaria scribimus: et propterea etiã singularia et specialia retinebimus.

In eiusmodi autem particularum obseruatione & vsu, qui sæpenumero diuersus est atq; varius, consistit magna ex parte puritas & elegantia sermonis latini: quapropter va-

Particularũ obseruatio quam secũ vtilitatem adferat.

rietas illarum & natura diligenter est obseruanda atque etiam notanda: obseruanda scilicet intelligentia: notanda in diario & ephemeride.

Differentia Inter particulas Cùm & Tùm.

CVM, plerumq; præponitur rebus minoribus, tametsi magnis: TVM autem rebus maioribus, vt in hoc exemplo: Cùm multa diuinitus, tùm nihil præclarius & c. Res magna præposita est, diuinitus: res maior est postposita, præclarius: quod ipsum maiorem emphasin habet, quam diuinum, propter comparationem rei eiusdem. Inter diuina enim præclara, quædam sunt præclariora. Assumsit etiam CVM hoc loco quantitatem infinitam particularem: TVM quantitatem vniuersalem. In vna particula ostendam vobis obseruationem, quã debetis deinceps adhibere in annotãda varietate.

Aliquando ad Tum, additur Etiam, vt in Academicis quæstionibus apud Ciceronem: Frustrari cùm alios, tùm etiam me ipsum velim.

Aliquando Cum geminatur, vt apud eundem: L. Cotta vir prudentißimus, & cùm reipublicæ, cùm mihi, tùm etiã veritati amicißimus.

Aliquando loco Tum, ponitur Tamen, vt pro rege Deiotaro: Cùm in omnibus causßis grauioribus initio dicendi commoueri soleam: tamen in hac causßa ita me multa perturbant. Tamen dicit, propter modũ verbi mutatum, Cùm soleã.

Aliquando particulæ Tum, subijcitur Inprimis, vt in familiar. epist. apud Cic. 8. Lentulum nostrum cùm cæteris artibus, tùm inprimis imitatione tui fac erudias.

Aliquando fit adiunctio in eodem verbo, aut in eodem nomine, vt epistola 223. Cùm antea studiosè, tùm multò nunc studiosiùs, in vno verbo, in comparatione scilicet, inuenit Cicero augmentum.

Aliquan-

Aliquando ad Tum, additur verò, modus loquẽdi etiam à multis obseruatus, vt habetis apud Heren. 30. Hoc exornationis genus cùm commodum est auditu: tùm verò vehemẽter comprobat, id est, fidem facit.

Aliquando modi non respondent, & subiunctiuus præponitur, indicatiuus postponitur, vt Epist. 153. Literæ tuæ cùm rebus ipsis essent & beneficys in rempublicam gratissimæ, tùm erant grauissimis verbis sententijsq; plenæ. Particulæ redditiuæ modis non semper respondent

Aliquando ad Tum, additur Maximè, vt de Cla. 165. „ Cùm in cæteris ciuitatibus: tùm maximè in nostra.

Aliquando ad Tùm, additur Certè, vt ad Att. 104. „ Ex victoria cùm multa mala, tùm certè tyrannis existit: tùm certè, pro, tùm verò.

Aliquando augmentum fit superlatiuo, & verbis diuersis idem significantibus, vt in Off. Luxuria cùm omni ætati turpis, tùm senectuti fœdissima.

Aliquando fit μείωσις, imminutio: & TVM iungitur rebus minoribus & leuioribus: cùm videlicet volumus verecundè & pudenter loqui, vt Cicero: Cùm summum in veteribus patronis multis: tùm nonnullum etiam in me præsidium fortunis suis constitutum habebat. Hîc mutata est latinitas: est vitium latinitatis hoc in loco: est vitium in sermone: sed non est vitium in moribus. Modestè enim de se loquitur Cicero: & modestiæ causa mauult peregrinos introducere modos loquendi, quàm peregrinos mores: licet & illi ipsi loquendi modi sint latini & elegantes.

Aliquando fit amplificatio per particulam PRAETEREA: idq; valdè pulchrè & eleganter, si obseruetur, vt pro M. Marcello: Cùm summo consensu senatus: tùm præterea iudicio tuo grauissimo Quomodo istud volumus excusare? Senatus consensus certè maior est, quàm consensus Cæsaris:

Cæsarem senatui anteponere, est sententiam dicere ὀλιγαρχικήν, *non* ἀριστοκρατικήν. *Apud Aristotelem habetis: quòd magna, seu, quæ per se sunt maxima, fiant maiora* προθέσει, *adiectione. Sic hoc locò dicit Cicero: Tum præterea: vt ostendat: præterea non significare excellentiam, sed* πρόθεσιν, *acceßionem.*

Aliquando ad TVM additur MVLTO, & fit augmentum in verbis diuersum significantibus, vt de Inu. 792: Hæc cùm summè inutilia, tùm multò turpißima sunt.

Aliquando fit augmentatio per comparatiuum, omißo superlatiuo: & contrà, vt Tuſc. 143. Res militaris, in qua cùm virtute noſtri valuerunt, tùm plus etiam diſciplina: debebat dicere: Cùm virtute plurimùm valuerunt: tùm plus etiam diſciplina. Sed liberum eſt ſuperlatiuum vel omittere, vel ponere.

Exemplis pluribus particularũ cùm & tùm vſus cur explicetur.

Ego coactus ſum hunc locum explicare exemplis pluribus, ad excitandam diligentiam veſtram: ne has res minutulas negligendas putetis. Harum enim minutarum rerum obſeruatio apud ſcriptores, iucunda eſt: vſus autem pulcherrimus atq; vtiliſsimus. In cæteris particulis tempus nõ ita conſumam, niſi tùm, cùm loci erunt pleniores, adiuuabo vos diſtinctione harum rerum in ipſa varietate.

PONTIFICES) *Hoc vocabulum refertur ad locum, qui dicitur Reſpublica. Pontifices enim ſunt magiſtratus. Itaq; in Codice, facienda eſt diuiſio: Præfecti religionum: præfecti ſacrarum rerum: magiſtratus in ſacris, in ceremonijs: magiſtratus in rebus non ſacris. Inter ſacros ſunt ipſi Pontifices.*

A maioribus noſtris) *Rurſus vocabulum eodem pertinens, ad locum ſcilicet reipublicæ: maiores in republica: maiores*

maiores Romanorum: memoria maiorum nostrorum.

Inuenta atque instituta *) Inuenimus, quæ latuerunt, quæ quæsita sunt. Instituimus, quæ probata sunt. Inuenire est antecedens: Instituere est consequens. Primùm enim res inuenienda est, deinde instituenda. Ergo hic ordo seruandus est in hoc loco. Quærere: Inuenire: Instituere. Quærere artem siue inuestigare: inuenire artem: instituere artem, docendo scilicet, scribendo & tradendo. Quem igitur locum faciemus? Locus est, Inuentio rei alicuius. Inuenire dicitur de sensibus primo loco. Inuenimus enim librum, qui oculos nostros fefellit. Inuestigamus & inuenimus res oculis, odoratu, tactu. Sed ista est inuentio corporis. Alia autem est inuentio animi, vt inuenire rem, inuestigare veritatem rei: intelligere rem: iudicare: argumentari: aliquid constituere & approbare. Inuenire rem veram, & rem veram instituere, est mentis, est prudentiæ, est sapientiæ. Locus igitur specialis est Inuentio, εὕρεσις: locus generalis, Animus hominis. Formula vna latina: Inuenire aliquid. altera: Instituere aliquid: tertia: Inuenire & instituere aliquid. Sic ex vna formula latina tres formulæ sunt factæ. In sermone autem latino amplificando & augendo, potestis etiam dicere, inuentio atq; institutio rei: Inuentio institutioq; rerum: & hac ratione vti vos oportet, ne euadatis seruum pecus. Si Cicero dicit, inuenta atq; instituta: cur nos non diceremus, inuenire & instituere? cur etiam non diceremus, inuentio & institutio? Sed quamdiu illa apud Ciceronem non inuenitis: relinquite in Diarijs vestris ?. id est, ?λος. hoc est, formula facta ad imitationem Ciceronis. Habemus igitur quinque: Inuenire aliquid: Instituere aliquid: Inuenire & instituere aliquid: Inuentio & institutio rerum: Inuenta & instituta*

Differentia inter inuenire & instituere.

Fingere vocabula noua ad Ciceronis imitationē licet.

hominum: & sic ex vno loco, industria & quadam ratione, locus hic statim factus est copiosus. Cui tamen addere etiam possumus ista: Præclarè inuenta atq; instituta à maioribus nostris diuinitus inuenta atq; instituta à maioribus nostris: diuinitus et præclarè inuenta atq; instituta à maioribus nostris. Hæc ita obseruare, aperit nobis iudicium, & excitat nos ad maiorem diligentiam in rebus similibus.

Vocabulũ vnum ad multos diuersosque locos referri potest.

Sed verborum sunt migrationes multæ, multa sunt communia domicilia: multæ sunt necessitudines & affinitates inter se rerum & locorum. Sic hic locus Inuentionis, pertinet ad hominem, seu potiùs ad animum hominis: & transfertur etiam ad illum locum, cui titulus est inscriptus in locis artificiosis, ἡ πολιτικὴ, *respublica, ciuitas, ars ciuilis: ideoq; dicimus, inuenta et instituta Solonis, Lycurgi, Numæ Pompilij, Romanorum, maiorum nostrorum. Ista quinq;, de quibus paulò antè dixi, non opus est simul ponere in republica, sed satis est vnum ponere. Inuenta scilicet & instituta Rerumpublicarum: et addere, vide Inuentionem, id est, illũ locum animi, qui est specialis inter locos animi.*

Quàm quòd vos eosdem) *Paulò antè inter locos resolutionis, primum locum fecimus duarum particularum, Cùm & Tùm. Nam in ista prima resolutione, vt quæq; obuia sunt primo loco, ita etiam primò sunt ponenda in Aduersarijs, siue in Ephemeride & Diario, non autem eodem modo in Codice atq; in diario. Diarium enim habet confusum ordinem: Codex verò distinctum: sed tamen ipsa Diaria suum quendam habent modum & viam, quam suo vobis ostendam tempore.*

Primus igitur locus in hoc instituto nostro erat particularum Cùm & Tùm. Et licet in oratione latina atq; etiam græca, nihil ferè tam sit minutum & abiectum, quàm hoc

genus

genus particularum: tamen in his magna ex parte linguæ latinæ & græcæ posita est puritas, perspicuitas et elegantia. Purum voco id, quod non est impurum, id est, barbarum. Perspicuum voco id, quod intelligentia perspicuum est, & potestate significandi. Elegans nomino, quod est elegantium hominum, id est, eruditorum virorum.

Secundus locus erat Inuentionis & Inquisitionis, Inuenire scilicet & Instituere aliquid. Item, inuenire & instituere aliquid diuinitus. Item inuenire & instituere aliquid diuinitus et præclarè. Etsi autem hic locus transferri potest ad actiones corporis: oculorum siquidem est inuenire, manuum item aliquid instituere & constituere: propriè tamen referendus est ad actiones ingenij, ad inuentionem scilicet animi. Animus enim primùm quærit, quærendo inuenit, inuenta iudicat, ponderat, æstimat, eligit & reijcit: eligit bona & meliora: reijcit mala cum deterioribus & pessimis: electa instituit, constituit, facit, laborat, elaborat, efficit. Hi enim sunt ordines in actionibus animi: Et hic erat secundus locus, qui est specialis, inuentionis scilicet ingenij: Cuius locus generalis est, Animus hominis.

Tertius locus erat Effectorum: diuinitus inuenta & instituta, præclarè inuenta atque instituta. Et hic locus est specialis, coniungendus cum sua actione. Inuenire est actionis, factionis. Inuentum & Institutum, est acti, est rei actæ, rei factæ, rei gestæ. Ex hoc speciali loco fit locus generalis: Diuinitus acta vel gesta: præclarè acta vel gesta: non dico, præclara acta vel gesta: sed dico, præclarè res gestæ: dico, præclarè res gestas, præclarè res susceptas: præclarè res administratas.

Deinde

Deinde coniungitur: diuinitus et præclarè gesta: diuinitus et præclarè facta. Et hic locus est generalis. Agere. n. cõmune est & generale. Inuenire autem est speciale & proprium.

Particulæ Quàm explicatio.

Quarto loco rursus sequitur particula: Nihil præclarius, quâm *) Particula QVAM est locus, est index & titulus, Quàm scilicet comparatiuum: quàm* συγκριτικόν. *Nulla particula est omittenda. Dicit: Quàm quòd vos eosdem. Quid discriminis est inter me & Ciceronem? Ego dixissem: quàm quòd vos & religionibus &c. Cicero autẽ sciuit modum loquendi auorum suorum, maiorum suorum, et veterum latinorum, qui dicebant: Idem ego, & ego idem: idem tu, & tu idem: Iidem vos, & vos ijdem: vos eosdem, & eosdem vos.*

Eosdem particula.

EOSDEM, non solùm est συμπληρωματικόν: *non solùm est particula explens aut implens aures: (* συμπληρωτικάς *particulas vocant Grammatici, quæ auribus magis inseruiunt, quàm significationi, quæ magis sunt numerosæ, quàm significantes, cuiusmodi sunt particulæ poëticæ seu poëtarum* καὶ, ἄι, τι. *&c. quæ syllabam augent, quæ numerum pleniorem faciunt) sed habet etiam emphasin, est* ἐμφατικόν: *et ferè hanc vim hoc loco habet, ac si diceres: Quàm quòd vos solos. Et hæc prima est verbi huius significatio, & prima potestas.*

Deinde IDEM, habet eandem vim, quàm habent duæ illæ particulæ: cùm & tùm: vel hæ loquendi formulæ: non solùm, vel, non modò, verùm etiam: vt cùm dico: Cicero optimus ciuis: idem præstantissimus orator, idem patriæ conseruator: idem est, ac si dicerem: Cicero cùm optimus ciuis, tùm præstantissimus orator. Vel: Cicero non solùm est optimus ciuis: verùm etiam præstantissimus orator.

Tertio

Tertia potestas est propria Dialecticorum. Vtimur etiam Dialecticè hac particula, in illis scilicet quæstionibus, quæ sunt περὶ τό τι ἐστὶ *seu* περὶ τῆς οὐσίας, *de substantia, vt cùm dicimus, quemadmodum est apud Ciceronem: Si quæritur, idemne sit pertinacia, quod perseuerantia, id est, eandemne definitionem habeant, eiusdemne, vt loquuntur scholastici, sint substantiæ, eiusdem essentiæ: vel, vt Cicero dicit, eiusdem naturæ. Item, cùm Cicero dicit: Hoc est idem quod illud, id est, est eiusdem naturæ cum illo. Item, cùm dicunt Dialectici: Homo & leo sunt idem genere: qui modus loquendi licet sit Dialecticus: ab oratoribus tamen etiam vsurpatur. Dicunt enim oratores: Vnum genere, idem esse, vt homo vnum genere est cum leone. Item: Res non alia est, imo eadem. Idem esse, & aliud esse sunt inter se contraria. Idem esse, & diuersum esse sunt inter se differentia & contraria. Latissimè patet hæc particula idem. sed si omnis varietas consideretur: summa reuocari poterit, ad duodecim partes seu capita, de quibus suis locis.*

Illud tamen hic obseruandum, aliquãdo post EOSDEM, sequi duplicem copulatiuam, vt hoc loco. Eosdem & religionibus & c. & summæ reipublicæ præesse voluerunt: aliquando vnam copulatiuam satis esse, vt in hac eadem oratione, vbi Cicero dicit: Tu iure eandem sororem, & vxorem appellare potes: de sorore loquens Clodij. Non dicit, eandem & sororem, & vxorem. sed dicit, eandem sororem & vxorem: quæ formula loquendi posterior, vt est quotidiana: ita prior elegantiam habet maiorem. Sic & Virgilius: Et soror et cõiunx. Eadẽ enim Iuno erat, et soror et cõiunx Iouis. Eosdem particulam duplex copulatiua sequitur.

Religionibus) *Vniuersam rerum naturam in quatuor diuisimus locos: in Deum, & res diuinas: in naturam seu res*

naturales: in artes seu res artificiales: in hominem seu res humanas. Hic locus est specialis, pertinēs ad primum genus locorum, ad res scilicet diuinas, ad locum videlicet religionis. Aliquem præesse religionibus Deorum. est forma loquēdi Romanorum. Sed forma hæc sapit Idolatriam. Nam vnum tantùm habemus Deum, vnam tantùm religionem. Dicere igitur, aliquē præesse religionibus Deorum, modus quidem loquendi est latinus, sed non pius. AEquè itaq; latinè dicere possumus: præesse religioni: præesse ceremonijs: præesse Ecclesiæ Dei.

In vocabulorum vsu & imitatione etiam pietatis & religionis ratio habenda.

Deorum immortalium) *Ad primum hoc locum pertinet, ad Deum scilicet. Sed istud Ethnicum est & gentile: vocare Deos immortales. Nostræ religionis est: Deum immortalem dicere: Deus immortalis. In plurali tamen numero possumus dicere: Homines sancti mortui, diuini & immortales habentur: Immortales sancti viri sunt.*

Summæ reipublicæ præesse voluerunt.) *Hic locus est politicus, habens duplicem collocationem. Vnam in artibus & disciplinis, hoc est, in tertio volumine: alteram in rebus humanis, hoc est, in volumine quarto. Hominum enim sunt Iudicia, & homines suarum caussarum sunt iudices. Ad priorem locum, qui est τεχνικὸς, artium scilicet & disciplinarum, pertinet primùm definitio philosophorum, quid sit πολιτικὴ, hoc est, ciuilis societas, vel potius ars de ciuili societate. Complectitur deinde idem locus partitiones, partitionem rerumpublicarum: βασιλείων scilicet, regnum: ἀριστοκρατείων, statum optimatum: δημοκρατείων, statum popularem: Item tyrannidem, regium statum crudelem, crudelē regiam dignitatem: ὀλιγαρχείων, hoc est, paucorum dominatum &c. Tertiò complectitur diuisionem et partitionem ciuitatis:*

uitatis: magistratus scilicet, & plebem. Item magistratus singularum rerumpublicarum: Ephoros Lacedæmoniorum: Archontas Athenienſium, & cuiuſuis vrbis: aut ciuitatis, aut populi propria nomina atq; officia. Huic loco ſuppeditant materiam libri Platonis περὶ πολιτειῶν, de rebuſpublicis: Item eiuſdem libri περὶ νόμων, de legibus: Ariſtoteles etiam magnam ſyluam ſuppeditabit: Libri item de legibus Ciceronis, qui ſanè plurimùm profuiſſet huic loco, ſi libri eius ſex de republica extarent: ſed tamen ſubſidio etiā ſunt libri eius de officijs. Ex his auctoribus poteſtis colligere principia, progreſſus & exitus atq; fines rerumpublicarum: item rerumpublicarum μεταβολὰς, conuerſiones atq; mutationes. Item cauſas conſeruantes, αἴτια φυλακτικά: item cauſſas perdentes reſpublicas, αἴτια φθαρκτικά.

Alterius loci, qui eſt rerum humanarum ſeu humanitatis, primum caput eſt RESPVBLICA, & præcipuè reſpublica Romana. Caput ſecundum eſt ſynonymon eius, CIVITAS videlicet. Synonyma voco ea vocabula, quæ ſunt ταυτά, eadem: quæ ſunt earundem rerum, vt ciuitas apud Latinos, et πόλις apud græcos, quæ nihil differunt. Item reſpublica, id eſt, πολιτεία: quæ aut idem eſt, quod ciuitas, πόλις, aut eſt penè idem. Id enim diſcriminis videtur eſſe apud Romanos inter rempublicam & ciuitatem, quod apud græcos eſt inter πόλιν & πολιτείαν, id eſt, ciuitatis genus ſeu formam. Quæ hîc Synonyma dicantur.

Primum itaque locum in ſubſtantys, do Reipublicæ, quæ eſt veluti οὐσία, ſubſtantia. Suſtinet enim omnia accidentia. Secundum locum tribuo ſynonymo, quod propè idem eſt, Ciuitati ſcilicet. Tertium locum non eidem quidem, ſed eodem pertinenti verbo: non eidem, id eſt, quod idem ſignificet, ſed quod eodem pertineat, vt eſt VRBS.

Vrbs vnde appellata.

Vrbs enim dicta est ab orbe, quòd mœnia quasi orbiculata habeat. Ponitur pro ciuitate καθ' ὑσαλλαγὴν: *Et hæc sunt vel* ταυτά, *eadem: vel sunt propè eadem. His adiungo Synechdochas, muros scilicet ipsos: & si quid est simile: quoties obseruabo Ciceronem & bonos auctores huiusmodi verbo vsos esse. Et hic est quasi ordo quidam rerum. Ab his transeo ad personas, ad partes videlicet ciuitatis, magistratum & plebem, quorum vtrorumq; genus est CIVIS. Nam & Cōsul, ciuis est: & plebeius etiam siue de populo aliquis, ciuis est, id est,* πολίτης. *Respublica non dat personam, non habet vocabulum personæ, nisi per Periphrasin, vt, Homo reipublicæ: homo ex republica: socius vnius reipublicæ ciuis reipublicæ: ciuis et socius eiusdem reipublicæ: socius & princeps eiusdem reipublicæ. Deinde sequuntur species magistratuū. Magistratus aut est consul: aut prætor: aut ædilis curulis: aut quæstor: aut iudex: aut pontifex maximus: aut Proconsul: aut Proprætor: aut Exquæstor, & si quid simile est. Ex his nascuntur aliæ substantiæ, vt consulatus, vt prætura, vt proconsulatus, vt quæstura, vt ædilitas &c. Et hoc modo substantiæ sunt partiendæ. Sed in substantijs etiam numerantur ista Senatus & curia, forum & iudicia, campus Martius & Comitia, loca habendorum comitiorum. Ad hanc eandem partitionem etiam hæc pertinent: causſæ senatoriæ, causſæ forenses siue iudiciales: quæ omnia suos quosdam habent proprios loquēdi modos. Quemadmodum enim rebus inter se differunt: sic etiam differunt inter se verbis.*

A substantys transitus fit ad qualitates: vt, respublica prudens et sapiens. Qualitates autem non solùm sunt rerū, sed etiam personarum. Non enim solùm dicimus, ciuitas clarissima: sed etiam dicimus, ciuis clarissimus. Sic & consul

sul dicitur prudentissimus, & fortissimus, & optimus. Consulatus autem etiam suas habet qualitates: consulatus scilicet salutaris, perniciosus, consulatus funestus.

A qualitate peruenitur ad quantitatem, quæ etiam suam habet quãdam distinctionem, suum ordinem, suam materiã, vt, Respublica diuturna: respublica ampla: latè patens respublica aut populus: dilatati imperij termini & fines: contracti imperij fines atq; termini.

A quantitate transitur ad actiones, quæ suos etiam habent ordines: condere rempublicam: distribuere ordines reipublicæ: inuenire & instituere leges: petere magistratum: accipere magistratum: committere alicui rempublicam: administrare rempublicam: regere rempublicam: amplificare rempublicam: conseruare rempublicam: consulem designare: consulatum gerere: consulatu & magistratu sese abdicare. Hæc rerumpublicarum sunt initia, sunt media, sunt extrema, sed sunt bona. Sequuntur mala. Excitare discordias ciuium: auctorem esse dissidij: secessionem facere: imminuere rempublicam: lædere maiestatem: labefactare rempublicam: perdere rempublicam: ciuitatem euertere. Sic in senatu sunt principia, sunt media, sunt fines: vt, Referre aliquid ad senatum: sententiam dicere in senatu: sententiam pro re aliqua aut pro aliquo dicere: sententiam contra rem aliquam, aut contra aliquem dicere: decretum fieri: senatusconsultum facere: senatusconsultum fieri. Item senatusconsulto intercedere, item interpellare: Item ad populum referre & promulgare: item ad populum prouocare. Hæc omnia habent suam τάξιν, suam collocationem. Sic Iudicia sua habent principia, sua media, sua extrema, vt, deferre nomen alicuius: accusare, defendere: causſam vtrinq; dicere, iudica-

re, condẽnare, absoluere: multã imponere, sumere suppliciũ.

Hæc ideo dico, vt aliquo modo videatis, qui ordo instituendus sit in Codicibus, quos dixi esse perfectiores diarijs, perfectiores scilicet voluminibus, quæ vocantur Ephemerides, &, vt iam sæpè dictum est, etiam Aduersaria. In his enim duplex est ratio: quarum vna est confusa, licet satis sit copiosa, quæ fit in generibus, vt si ad illud caput primum, ad rempublicam videlicet, referas absq; ordine omnia hæc, id est, verba senatoria, & sententias, siue formulas senatorias: verba iudicialia, & iudiciales formulas loquendi: itẽ magistratus omnes, confusè personas vnà cum ipsis rebus. Hæc est prima ratio, quæ quidem principiò expeditior esse videtur. Potest enim domi postea distingui, & ex hac generali ratione Codex instituí.

Duplex ratio instituenda in diarijs.

Altera autem ratio est distinctior, adiuuãs laborem Tabularum, & Codicum: veniens subsidio Codici: habens maiorem παρασκευήν, præparationem ad Codicem: vtpote, si nõ solùm habeas vnum istud caput, Respublica: sed habeas cætera etiam vocabula, quorum frequentior vsus est, & maior copia, vt est senatus & senatoria: iudicium & res iudiciales: comitia & res comitiales: vt est etiã illud caput, magistratus: vt etiam est illud caput, populus & plebs: Item lex. Hæc enim eodem tempore fieri possunt: & facilè fieri possunt: vt scilicet etiam in aduersarijs siue diarijs ponantur species. Vestrum tamen est eligere, vtrum malitis, et eam rationem sequi, quæ vobis videbitur esse facilior, & magis idonea. Materia enim congesta vnum in locum, quamtumuis sit confusa, iuuat tamen διαίρεσιν, diuisionem, & διάκρισιν, distinctionem. Si tamen Codex vobis esset faciendus: si hæc confusa & aduersaria essent ad ordinem referenda: oporteret

ret primo loco ponere substantiam, RES PVBLICA: deinde idē significans synonymon, CIVITAS. Tertiò partes ciuitatis MAGISTRATVS ET PLEBS SIVE POPVLVS. Ab his simplicibus descendendū deinde ad composita, ad qualitatē: ciuitas clarissima: magistratus salutaris etc. ad quantitatē: respublica diuturna: respublica ampla etc. ad actionem, praesse reipublicæ praesse sūmæ reipublicæ: maiores sūmæ reipublicæ pontifices praesse voluerunt, id est, præfecerūt. Singula enim vocabula debetis diuidere, substantia, quantitate, qualitate, actione etc. id est, decem prædicamentis. Substantia, vt respublica, ciuis, ciuitas. Quantitate, vt, respublica magna, respublica latè patens, ciuitas magna. Qualitate, vt respublica honesta, ciuis clarissimus, ciuis amplissimus, clarissimi et amplissimi ciues. Actione, vt rempublicam gerere, rempublicam administrare: summā reipublicæ administrare. Rēpublicam gerere, est generale: Rēpublicam benè gerere est speciale. Plurimū inter se differūt, gerere rempublicam, et benè gerere rempublicā: non gerēda est respublica, sed benè gerēda.

Quis ordo instituēdus in confusa vocabulorum notatione.

Hæc omnia, quæ de loco generali, RES PVBLICA scilicet, dicta sunt, referri possunt ad illud caput, ΠΟΛΙΤΙΚΗ, ad tertiū locorum genus, quod dixi esse artium, doctrinarum, et disciplinarum: potestis ea etiā referre ad res humanas, ad quartum scilicet volumen. Aliquando enim res vna duobus in voluminibus potest poni. Ipsæ sententiæ vobis adferunt loca: vt ista sententia: Quàm quòd vos eosdem, & Religionibus Deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt, & cætera, Ista sententia, inquam, adfert secum locum Specialem, qui est RELIGIO: Aliquem præesse religioni: Maiores nostri voluerunt præesse Pontifices religionibus Deorum immortalium.

Sententiæ in orationibus diligenter obseruandæ, quia loca ostendunt.

Facit

Facit item mentionem Deorum immortalium. Vestri est arbitrij, & vestræ potestatis, coniungere Deos cum religione, & ex duobus locis, vnum retinere: aut separare hæc duo, & alterum locum facere. DEVS. Deus immortalis: Dij immortales: Religiones Deorum immortalium.

Sequitur deinde: & summæ reipublicæ præesse voluerũt, *hîc habetis alium locum, RESPVBLICA, locum scilicet generalem, pertinentem ad τεχνικά, ad caput videlicet politicæ. Politicæ enim est præscribere, qui præesse reipublicæ debeant. Dicimus præesse reipublicæ: item præesse summæ reipublicæ: alio in loco Cicero dicit: præesse summæ rerum: In oratione pro Sexto Roscio dicit: administrare rerum summam: hoc in loco: præesse summæ reipublicæ, est ambiguum, est homonymon. Dicimus enim, summa reipublicæ, id est, pars præcipua reipublicæ: dicimus etiam, summa respublica, & præesse summæ reipublicæ, id est, supremæ et præstantissimæ parti reipublicæ: quemadmodum latinè dicimus, Extrema oratio, & extrema pars orationis: sic etiam dicimus, summa reipublicæ, & summa respublica. Summa est et substantiuum, & adiectiuum. Homonymiæ nihil habent molestiæ: vtrumq; latinè dicitur: administrare summam rempublicam, & administrare summam reipublicæ, id est, præesse summæ reipublicæ. Si latinum est, præesse rei alicui: oportet etiam, vt sit latinum: præesse hominibus: præesse aliquibus. Præesse alicui rei, pertinet ad negocij alicuius tractationem, ad actiones humanas, ad caussas ciuiles. Item præesse socijs, id est, inter socios habere primum locum. Item societati præesse, id est, in societate principẽ esse. Locus generalis: Negocij alicuius tractatio: NEGOCIVM & negocij tractatio. Specialis locus: SOCIETAS siue COLLEGIVM.*

GIVM, præesse collegio: collegio præesse pontificum. Ad cuius imitationem dicere possumus: præesse iudicio.

Idemne est, Præesse, & præesse velle? Longè significantius est, præesse voluerunt, quàm præfecerunt. Præesse velle, idem est, quod præficere: præesse voluerunt, id est, præfecerunt, sua scilicet voluntate, non coacti, non corrupti, sed vltrò, volentes, sua sponte. Ex vno verbo præfecerunt, facta sunt duo verba, præesse voluerunt. Discrimen inter præesse, præesse velle & præficere.

Vt amplissimi & clarissimi ciues) Hic habetis Ciuem, qui cùm pars sit reipublicæ, ad locum generalem præcedentem non incommodè referri poterit. Potestis tamen etiam locum facere generaliorem, hũc scilicet, VIR LAVDATVS ET ILLAVDATVS. Est enim hic locus latissimè patens apud Ciceronem, ideoq; futurus copiosissimus. Propterea non oportet solùm hanc locutionem: amplissimi & clarissimi ciues, ἀνάγειν, reducere, ad rempublicam, sed ad genera etiam hominum: Laudati, Illaudati. Est enim locus communis omnium hominum. Et sic formulæ sequentes ad vtrumq; locum reduci possunt: Amplissimus ciuis: clarissimus ciuis, deinde coniunctim: amplissimus & clarissimus ciuis. Amplitudo æstimatur magnificentia, opibus & facultatibus: æstimatur etiam honoribus & magistratibus gestis. Claritas autem æstimatur rebus gestis, præclarè factis, præclaris facinoribus. Sic Cn. Pompeius fuit amplissimus ciuis, opibus, facultatibus: fuit clarissimus ciuis, rebus gestis. Nos abutimur hoc vocabulo, et quemuis temerè vocamus clarissimum, in inscriptionibus literarum. Quemadmodum autem dicimus, amplissimus et clarissimus ciuis: sic etiam dicimus, amplissima & clarissima respublica, amplissima & clarissima ciuitas. Igitur & hæc, ad locum, qui dicitur RESPV- Ciuis vocabulum ad quem locum referatur. Vocabuli clarissimi abusus.

BLICA, referẽda erũt: sed ponẽda è regione Personarũ. Res .n. partem vnam substantiæ occupabunt: personæ alteram. Res primã occupabunt substantiæ columnã: personæ alterã.

Rempublicam) *Locus de republica in analyticis linguæ latinæ patet latissimè, vt ex præcedẽtibus apparet. Pars enim verborum & formularum pertinet ad tertium genus locorum, quod est artium atq; scientiarum: pars verò ad illa, quæ sunt humanitatis, quæ pertinent ad hominem. Exẽpli gratia: Definitio ciuitatis & politiæ, pertinet ad ciuilem scientiam, hoc est, ad tertium genus locorum. Item, rerumpublicarum partes & genera, vt est regia vel regalis potestas, vt tyrannis, vt democratia, status popularis bonus: vt Anarchia, status popularis malus: vt Aristocratia, auctoritas optimatum, vt oligarchia, dominatus paucorũ: vt principia, media, & fines: principia, vt condere remp. ciuitatem: media, vt amplificare ciuitatem: extrema, vt conseruare ciuitatem. Hæc enim extrema sunt bona, vt contrà extrema mala sunt: perdere ciuitatem, disciplinam ciuitatis corrumpere. Omnia ista sunt politica: quicquid est eiusmodi sententiarum & verborum, illud ad hanc partem referri debet. Sed hic locus est generalior.*

Alter locus est ἐιδικὸς, *magis est specialis, scilicet,* RES PVBLICA ROMANA. *Nam quoniam resoluimus linguam latinam, linguam Romanorum: oportet retinere etiam locum proprium latinæ linguæ, Magistratus scilicet Romanos, vt Reges, Interreges: Regnum, Interregnum: Coss. Procoss. Praturam et Prætorem: quæsturam et quæstorem: adilitatem & adiles, &c. Ergo in hac parte sunt isti præcipui loci: magistratus: caussa senatoriæ: caussæ fori & iudiciorum, caussæ forenses & iudiciales, caussæ comitiorũ.*

Benè

Benè gerendo) *Gerere rempublicam est eius loci, cuius caput est,* MAGISTRATVS. *Magistratuum enim est, gerere rempublicam, et benè gerere rempublicam. Horatius vsus est hac formula, alia in re, lib. 1. epist.*

Celso gaudere, & benè rem gerere Albinouano

Musa rogata refer comiti etc. Horatio enim benè rem gerere, est facultates suas augere: diuitias suas, bona et facultates suas amplificare: rem domesticam benè administrare. Sed apud Horatium est poëtica imitatio. Quemadmodum enim oratores dicunt, benè gerere rempublicam: Sic Horatius dicit, benè gerere rem: quamuis tamen Cicero etiam dicat: haud parua in re, rem intelligens domesticam.

Religiones sapienter interpretando, Rempublicam conseruarent.) *Interpretari religiones, refertur ad MAGISTRATVM: sed ad magistratum sacrum, ad magistratū sacratum, ad pontifices videlicet. Interpretari autem religiones, idem est, quod nos dicimus, interpretari sacra, interpretari sacram scripturam. In gentilitate dicebant, religiones interpretari, numero plurali: nos tamen possumus dicere, religionem interpretari, id est, doctrinam religionis: religionē sapienter interpretari. Sapienter interpretari est* ἐπισήμως, *id est, scientiæ. Sapienter interpretari religionem, est doctè & eruditè, & cum magno documento sapientiæ, religionem interpretari. Retulimus formulas hasce ad locum, qui dicitur magistratus: possunt tamen etiam reduci ad primum genus locorū, ad Deum, et ad religionem. At gerundia ista: benè gerendo, sapienter interpretando, vbi relinquemus? Ad eosdem reducemus locos: Rempublicam benè gerendo, rempublicam cōseruare. Videte geminationem seu iterationē vnius verbi apud Ciceronē: Dicit.n. rempublicā benè gerēdo,*

Interpretari religiones quid sit apud Ciceronem.

rempublicam conseruare: est formula loquendi latina. Quēadmodum enim graeci suos habent Hellenismos, id est, proprios modos loquendi graecè: sic etiam Latini suam habent, vt ita dicam, latinitatem, id est, proprios modos loquendi latinè. Graeci dicerent: Rempublicam benè gerentes, id est, εὐπραττοντες, *rempublicam conseruare. Semper enim Graeci vtuntur participijs: Romani autem propria sua consuetudine vtuntur gerundijs, et dicunt, benè gerendo rempublicā, rempublicam conseruare: benè gerendo rem, rem conseruare.*

In his autem formulis, non solùm ipsa spectanda est resolutio, et proprietas loquendi: verùm etiam obseruanda sunt paradigmata. Paradigmata enim augent memoriam, & vsum ostendunt. παραδειγματικὸν *voco, exempli gratia, quod est historicum, quale est id, quod hoc loco habetis: Pontificū Romanorum fuisse, sapienter interpretari religiones. Et sic vestra loca habebunt verba: habebunt formulas sententiarum: habebunt etiam res historicas, et indicabunt vobis vsum harum rerum.*

Tria considerandā in analysi.

Quòd si vllo tempore magna caussa in Sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est &c. *Sequuntur aliæ formulæ, in eodem loco, in REPVBLICA, quæ referendæ sunt ad CAVSSAS IVDICIALES. Versari caussam aliquam in Iudicio: magnam caussam versari in Iudicio aliquo: magnam caussam versari in iudicio ac potestate populi Romani: Iudicium & potestas sacerdotum populi Romani: Versari aliquid in sacerdotum iudicio ac potestate: Aliquam caussam versari in iudicio ac potestate sacerdotū. Quod barbari dicunt: Hæc caussa pertinet ad forum Ecclesiasticum: nos latinè dicere possumus: Hæc caussa versatur in iudicio ac potestate sacerdotum.*

Ex

Ex hoc loco implebitur etiam iste locus: NEGOCII TRACTATIO. Omnia, quæ fiunt, fiunt aliquo tempore, fiunt etiã aliquo loco. Latinum ita q̃ est dicere. Fieri aliquid tempore aliquo. Item, fieri hoc tempore. Latinum etiam est vti Hellenismo. In hoc tempore aliquid fieri.

Hæc profectò tanta est, vt omnis reipublicæ dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dij, penates, bona, fortunæ, domicilia) *Hæc referēda sunt ad locum, qui est de REPVBLICA, & ponenda inter substantias: licet aliquomodo ad caussas finales, id est, τὰ ἀτιατά pertineant: præcipuè tamen ad locũ caussarum materialium spectant. Omnis enim politia, id est, administratio reipublicæ, versatur circa dignitatem populi, circa salutem, vitam, et libertatem ciuium: politicus contemplatur de aris, focis, dijs penatibus, bonis, fortunis & domicilys ipsorum ciuium. Primò posuit dignitatem reipublicæ: deinde salutẽ ciuium: tùm vitam eorundem. Dignitas enim bonum est honorabile: salus necessarium: vita magis necessarium: quid est proximum? libertas. Illa enim gratissima est: quid postea? aræ, foci, dij penates. Hæc enim omnia curæ esse debent magistratui. Sequuntur bona & fortunæ ciuium. Fortunæ latiùs patent, quàm bona. Fortunæ etenim non solùm bonorũ sunt, sed famæ etiam, bonorum & existimationis. Postremo loco ponit domicilia. Cùm enim antè posuerit partes et mẽbra, vtpote aras, focos, Deos penates: rectè continens, domicilium scilicet singulorum ciuium subijcit. Hæc enumeratio non solùm ostendit, circa quas res homo politicus versetur: quæ res homini politico debeant esse curæ: circa quas res versetur officium magistratus: quæ sit materia, circa quam magistratus versetur: verùm etiam inseruit Rhetorum am-*

Politia omnis circa quæ versetur.

plificationibus, diuisionibus, conglobationibus, frequentationibus. Hoc tamen obseruandum: enumerationem istam Ciceronis, non ordine ponendam in Codice, quasi in vna periodo: sed subalternè collocandam. In imitatione verò, cùm vultis imitari Ciceronem: non debetis omnia retinere in conglobatione, quemadmodum Cicero posuit. Hoc enim nimis esset apertum: sed enumerationes pleniores & copiosiores debetis contrahere, et ex plurimis facere multa, ex multis pauca. Sed pauca illa debent habere pondus & grauitatem: debent esse egregia atq; præcipua. Hoc boni est imitatoris: ex copia facere prudentiam: ex oratione copiosa efficere orationem prudentem. Exẽpli gratia: si vobis de ijsdem rebus dicendum esset: non omnia retinenda essent, quæ ab oratore sunt posita, sed præcipua deligenda, & meliora, quæ ad rem propositam pertinere viderentur: vt si copia pares esse Ciceroni non possitis: iudicio tamen et delectu, et mediocritate, nõ inferiores esse videamini. Ego in hoc loco hæc retinerem: dignitas, salus. Decet enim hominem politicum, dignitatis maximè habere rationem & salutis, sine quibus vita agi non potest: præterirem deinde vitam, et adderem: libertas, aræ, dij penates, fortunæ, domicilia: aut etiam, quoniam orator copia me anteuertit, ponerem pauciora.

In imitatione quomodo occultatio instituenda, vt furtum non deprehendatur, & imitatio prudẽs sit.

Vestræ sapientiæ, fidei, potestatiq; commissa, creditaq; esse videantur) *Hæc referenda sunt ad caussas forenses, ad IVDICIVM. Sapientia, fides, potestas iudicis. In iudice requiritur sapientia, id est, cognitio iuris & iustitiæ. In iudice requiritur fides. Oportet enim iudicem esse incorruptum, liberum & solutum ab omni corruptela. Sed hoc non satis est, nisi iudex etiam iudicet, cum auctoritate et potestate. Sapientia comparatur: fides præstatur: potestas datur à populo*

In iudice quæ commendanda & requirenda.

& à magistratu. Duo sunt igitur in ipso Iudice, sapientia et fides. Vnum est extra Iudicem, scilicet potestas, quæ à magistratu accipitur. Vbi hæc tria posueritis seorsim in vestris codicibus: ponetis eadem postea coniunctim: sapientia, fides, potestas Iudicis: et simul considerabitis verba coniuncta, committere & credere, ex quibus istæ nascuntur locutiones: committere aliquid sapientiæ Iudicis: cōmittere aliquid fidei Iudicis: committere aliquid potestati Iudicis: Et deinde coniunctim: committere aliquid sapientiæ, fidei & potestati Iudicis: committere & credere aliquid sapientiæ, fidei & potestati Iudicis. Hæc enim possunt vel singula poni in scribēdo: vel possunt omnia simul poni, scilicet perfecta, perfectè, συσατικῶς: possunt etiam duo solùm poni: sapientia et potestas iudicis: sapientia et fides iudicis: fides et potestas iudicis. Et hæc est consuetudo bonorum oratorum: aliquando ponere singula, aliquādo omnia, seu totam rei naturā, id est, aliquando genera ponere, aliquādo differentiam vnā, aliquādo differentiā alteram, aliquando genera cum ipsis differentijs, aliquādo bina, aliquando terna. Quæ variatio facit orationem variam, vt delectet & lectores, et auditores.

Vos in hac breuitate Ciceronis omnia potestis retinere, Sapientia, fides, potestas iudicis. Sed imitatio magis vafra erit, si scribetis bina, vbi Cicero habet terna. Itaq; cùm Cicero dicit, committere aliquid sapientiæ, fidei potestatiq; Iudicis: vos duo tantùm ponetis: committere aliquid fidei et potestati Iudicis: cōmittere aliquid sapientiæ & potestati Iudicis: committere aliquid sapientiæ et fidei Iudicis. Quēadmodum autem in verbo Committere terna habetis, sapientiæ, fidei, potestati: sic eadem terna habetis, in vocabulo Credere. Quapropter si apud Ciceronem reperietis:

Credere

Credere aliquid sapientiæ, fidei, potestatiq; Iudicis: vos vno omisso, duo reliqua retinebitis: credere aliquid sapientiæ, potestatiq; Iudicis &c. Committere est mandati, est auctoritatis: est iubentis seu mandantis. Credere est fidei. Committere & credere aliquid alicui, ad eum pertinet locum, qui dicitur, NEGOCIVM ET NEGOCII TRACTATIO.

Discrimen inter credere & committere aliquid alteri.

Ne pigeat vos scribere in vestris codicibus vel aduersarijs ea, quorum vultis meminisse: quorum vultis memoriam habere. Hoc si feceritis, & perseueraueritis in hoc labore, eumque continuaueritis annum vnum & alterum: & decem communicauerint operas suas inter se: videbitis, quantam copiam, quantam lucem vobis hæc ratio sit allatura: non solùm in rebus intelligendis: verùm etiam in disserendo de quacunq; re proposita. His enim locis distributis et completis: quotiescunq; dicendum vobis erit, oratio vos non deficiet: & quæ Aristoteles habuit prædicabilia, id est, applicabilia: vos habebitis applicata: quæ Aristoteles habuit vacua: vos rebus & verbis habebitis condensata.

Vtilitas instituendorum aduersariorum.

Hodierno die) *Hunc locum potestis referre ad circumstantiam temporis: ad locum Dialecticum, id est, ad prædicamentum* QVANDO. *Hodie & hodierno die: quomodo differunt? Hodie breue est & significans: hodierno die, est sonans. Sonantius est et magis numerosum dicere, Hodierno die, quàm Hodie. In incisis & periodis curtis locum habet vocabulum illud exile, Hodiè: in longioribus membris et periodis: in* ϖεριϐολαῖσ, *id est, circumductionibus: in circumducto dicendi genere, magis decorum est dicere, Hodierno die, quàm Hodiè.*

Differẽtia inter hodie & hodierno die.

Constituendum est) *Ad quem locum has formulas referemus. Constituẽdum esse aliquid alicui: Aliquem constituere*

tuere aliquid? Ad actiones humanas, sed actiones animi, non corporis. Locus itaq; generalis est, ACTIONES HVMANAE. Specialis. ACTIONES ANIMI. Specialior, COGITATIO. Locus magis specialis: INVENTIO, AESTIMATIO, IVDICATIO. Primum enim est cogitare: alterum, cogitãdo aliquid inuenire: tertium, inuentum æstimare et iudicare. Et ita debetis incipere ἀπὸ τοῦ ὅλου, id est, â genere, & progredi ad superiora: deinde descendere ad formas inferiores, vsq; ad speciem specialissimam. Sed hæc non sunt in aduersarijs ita ponenda ordine. Aduersaria enim habent huiusmodi res absque ordine: aduersaria res habent confusas: At si Codicẽ conficere volueritis: oportet vos huiusmodi ordinem instituere, aut similem. Quilibet enim debet locos facere sibi accommodatos, ingenio suo appositos: memoriæ suæ cõmodos.

Quæ ratio instituẽda in aduersarijs: & quæ in codicibus.

Quòd diximus, formulam hanc lòquendi, Constituere aliquid, ad actiones pertinere humanas, & quidem animi, non corporis, sciendum, cùm variæ sint actiones animi, ad iudicij potius eam, quàm cogitationis actionem, referendam. Constituimus enim cogitata, inuenta, æstimata. Constitutio continuatur cum ipsa actione: Tum constituimus, cùm suscipimus, cùm agere volumus.

In alijs postea Cicero sæpè vtitur vocabulo simplici, & dicit, statuere aliquid: dicit etiam, statutum habere: & aliquando: Hoc tibi statutum habe: sed statuunt plerique vel singuli: constituunt homines coniuncti & simul. Vtrumque tamen dicitur, Inter nos statutum est: Et, inter nos cõstitutum est. Sed statuere est γενικόν: cõstituere est magis propriũ.

Amentes ac perditos magistratus) *Hæc formula loquendi primùm referri potest ad locum specialem, MAGISTRATVS scilicet: Amens magistratus: perditus magistratus:*

tus: amens & perditus magistratus: amentes et perditi magistratus. Deinde non incommodè quoque refertur ad locum humanitatis, ad caput illud: VIR ILLAVDATVS, seu viri vituperatio. Tertiò alium etiam habet locum, scilicet, in IVDICIO. Rei enim sunt amentes & perditi: amens & perditus Clodius: amens et perditus Catilina. Cùm in iudicio, aut in concilio homines improbare vultis, & prosequi conuicijs, decurrendum vobis est ad tres hosce locos, Magistratus videlicet, Humanitatis & Iudicij.

Improborum ac sceleratorum ciuium *) Hæc formula ad caput illud Humanitatis pertinet, VIR LAVDATVS, ET ILLAVDATVS, seu, LAVS ET VITVPERATIO VIRI. Improbus ciuis: sceleratus ciuis: improbus & sceleratus ciuis: improbi et scelerati ciues. Improbitas est mentis, est voluntatis: scelus est facti, est rei admissæ.*

Nudare verbum quid & quò referendum.

Præsidio nudare *) Ad quem locum referēdum est istud, Nudare aliquē præsidio? Ad locum AVXILII. Sed ad quod caput generalius? ad actionum media: ad media actionum humanarum rerum. Auxilia enim sunt caussæ adiuuantes, αἴτια συνεργοῦντα. Deinde refertur etiam ad SPOLIA. Nudare aliquem re aliqua: ad quem locum? ad locum FACVLTATIS. Facultas autem ad quem locum? Rursus ad actionum media, ad caussas scilicet adiuuantes. Nudare aliquem præsidio spoliare aliquem bonis sunt* σερητικά. *Ampliare bona alicuius est contrarium. Oportet Analyticum esse circumspicientem: oportet eum respicere ad comparationem et possessionem rerum: ad caussas conseruantes, ad caussas etiam priuantes,* αἴτια φθαρτικά. *Rem vnam oportet Analyticum in variis cellis collocare.*

Religione armare malitis *) Nudare & Armare, sunt inter se contraria, & habent communes locos, omnes illos,*

quos

quos iam enumeraui. Sed hîc habetis, Armare aliquem religione, id est, religionis prætextu alicui auctoritatem dare: alicui potestatem facere cum auctoritate. Ad quem igitur locum hoc referetur? Ad locum AVCTORITATIS. Quorsum auctoritatem? Ad MAGISTRATVM, vel ad VIRTVTES. Nam magistratus consequens est auctoritas: sic etiam virtutis. Post virtutes enim sequitur gloria, decus, auctoritas: vt contrà post vitia dedecus, infamia, contemtus.

Labes ac flamma reipublicæ) *Hæc formula refertur ad locum: VIR LAVDATVS ET ILLAVDATVS: siue, LAVS VIRI ET VITVPERATIO VIRI. Labes ac flãma, est hypallage. Labes enim est homo, qui labefactat rempublicam: Flamma homo est inflammans rempublicam: incendium committens in republica: incendium excitans in republica. Illa verba immutata, sunt significantißima: significantiora sunt, quam illa, quæ vocantur* ἐπιθετικά.

Pestiferum & funestum tribunatum) *Hæc formula ad præcedentem locum refertur. Singula sunt significantia, sunt sonantia, vt pestifer tribunatus: funestus tribunatus: pestifer magistratus: funestus magistratus: sed coniuncta sunt significantiora & sonantiora, vt pestiferum & funestũ magistratum: pestiferum & funestum tribunatum. Pestiferum est antecedens. Morbus .n. antecedit mortem: mors, funus: propterea dicit: pestiferum et funestum. Oportet Analyticum diligenter obseruare proprietates verborum. Hæc enim augent & confirmant memoriam. Qui Grammaticus est, scit sibi dicendum esse: pestiferum atq; funestum: quia antecedens primo loco ponitur, cõsequens postremo. Pestifer et funestus magistratus est genus: pestifer et funestus tribunatus est species. Sed proprius locus magis est speciei. Seditione enim Trib. plebis, plerumq; erant pestiferi atq; funesti.*

Pestiferũ & funestũ vt differãt.

AEquitate humana tueri) *Ab homine dicta est humanitas: et illud vocabulum accipitur bifariam. 1 propria potestate & significatione, humanitas significat hominis naturam, indolem & ingenium. 2 accipitur pro virtute, quae vocatur misericordia, vt habetis apud Lactantium Firmianũ. Quantum igitur ad primam significationem, vim, & potestatem verbi, humanitas referenda est ad illud caput, scilicet HOMO. Hoc autem loco est, æquitate humana. AEquitas humana nihil aliud est, nisi lenitas et clementia, remota ab omni crudelitate. Ergo tueri aliquid æquitate humana, est tueri iustitia & iustitiæ partibus: & humana æquitas nihil aliud est, nisi æquitas consentiens humanitati, hoc est, lenitati, mansuetudini, misericordiæ. Et sic tueri aliquid æquitate humana, habet alium locum, locum scilicet OFFICII. Et tueri æquitate humana nihil aliud est, nisi reddere rationem officij sui.*

Verborum proprietas in analysi linguæ latinæ obseruanda.

In resoluenda lingua latina oportet diligenter etiam atq; etiam considerare verborum proprietatem, id est, propriam vim & significationem: deinde proprium ornatum et vsum latinum. Habetis igitur has locutiones tres hoc loco. 1 Tueri aliquid re aliqua: locus DEFENSIONIS. Defensio autem est contraria violentiæ. Ergo caput est illud, VIS ET VIOLENTIA, cuius contrarium est DEFENSIO 2 Tueri aliquid æquitate humana: locus IVSTITIAE, tametsi æquitas humana est par iustitiæ, scilicet clementiæ, lenitati, facilitati. 3 Vsus est in capite OFFICII: Tueri aliquid humana æquitate, id est, factum defendere æquitate humana: reddere rationem officij humanitatis, lenitatis, facilitatis. Officiũ autem quò vultis referre? quæ est ἀναγωγὴ officij? ad quem locum pertinebit? Ad consequentia virtutis. Virtus enim

est,

est, quæ hominem officiosum reddit, et rationem officij præscribit. Hæ sunt tres formulæ: sed oportet vos curare, vt habeatis locos plenissimos, amplissimos copiosissimos: ζῆλον itaq;, id est, imitationem adhibebitis similium, vt, Tueri aliquid armis &c. Latissimè enim patet hæc generalis formula, Tueri aliquid re aliqua.

Diuina religione defenderit) *Est eadem resolutio, eadē* ἀνάλυσις *huius formulæ, quæ erat superioris. Primum, Defendere aliquid religione: defendere aliquid religione diuina, refertur ad caput RELIGIONIS. Religio autem reducenda est ad ea, quæ sunt diuina. Ponimus enim istud caput inter cælestia, id est, res cælestes. Alterum, Defendere religione, id est, religionis prætextu vti, refertur ad caput OFFICII Et defendere religione, id est, prætextu religionis, idem est, quod græci dicūt,* προφάσει τῆς εὐσεβίας ἀπολογεῖσθαι. *Non sunt versati in lingua latina, qui non possunt illud verbum græcum variare in vertendis græcis:* προφάσει *&c. defensione religionis, tueri et defendere religionem. Ad cuius formulæ imitationem etiam dicere possumus: Defendere aliquid armis, telo, gladio, defendere se lapidibus.*

Defendendi vocabulum quomodo vsurpetur.

Cerimoniæ) *Requirere aliquid, ad quem locum? Est imperfectum: perfectum est, Requirere aliquid ad aliquam rem faciendā, constituendam. Requirere aliquid, ad rem aliquā.*

Ad quem igitur locum hæc referemus? ad locum ACTIONVM HVMANARVM: ad media actionū, ad causas adiuuantes, ad causas efficientes. Illa requiruntur, quæ sunt necessaria, vtilia, adiuuantia. Hinc aliud caput, COPIA ET INOPIA, inopiâ enim requirimus, quæ desiderantur, quibus caremus. Ad quem locum referemus? Ad locum Dialecticum QVANTITATIS. requirimus enim ea, quæ desunt, quæ numero non sunt plena.

Requirere cerimonias, locum habet ſpecialem, CEREMONIAS: generalem verò, RELIGIONEM. Religio enim eſt generalius caput, & diuiditur in religionem veram, quæ eſt Chriſtianorũ, et in falſam, quæ eſt Græcorum et poëtarũ, vt et cerimoniæ, vel ſunt mediæ, vel ſunt veræ, vel ſunt falſæ.

Antiſtites Deorum immortalium) *Hæc ad caput RELIGIONIS pertinent, ad perſonas ſcilicet. Aliud enim eſt religio, aliud religioſus. Religio eſt rei, τ πράγματος: religioſus verò τ προσώπου, perſonæ. Semper enim, cum facultas datur, debetis ſubſtantiam diuidere rebus & perſonis. Eloquentia eſt res: eloquens, eſt perſona: Oratio eſt res: orator, perſona. Sic Antiſtites Deorum referuntur ad religionem, referuntur ad primum prædicamentum, quod eſt ſubſtantiæ, ad eum ſc. ordinem, in quo perſonæ ſeu vocabula perſonarũ ſunt poſita, aut ponenda. Sed Ethnicum eſt dicere: Antiſtites Deorum: eſt Romanorum veterum, ſapit religionẽ Græcorum. Oportet nos igitur adhibere* ἔθνος, *et dicere, Antiſtitem Eccleſiæ: Antiſtitẽ Eccleſiarum. Idẽ enim eſt Antiſtes, quod apud Apoſtolos Epiſcopus. Et poſſumus iſtis verbis pièvti, in officys Chriſtianorum: Antiſtites Eccleſiæ: Antiſtites Dei. Apoſtoli erãt Antiſtites Dei, erant Antiſtites Chriſti. Ex rei impiæ vocabulis, oportet vocabula fingere pia.*

Antiſtitis vocabuli vſus in noſtra religione.

Interpretes religionum) *Et hæc formula ad caput RELIGIONIS pertinet. Interpretes religionum,* ἔθνος: *interpretes ſcripturæ: interpretes religionis Chriſtianæ. Nos enim vnam tantùm religionem habemus: ſed hæc religio varios interpretes habere poteſt. Videte quid diſcriminis ſit inter Antiſtitem, et interpretem religionis. Antiſtitem eſſe, eſt adminiſtrationis, & adminiſtratio eſt curatoris. Interpres autem eſt ſentẽtiæ et verborum. Differunt etiam* ἔθνος *inter ſe.*

Diſcrimen inter antiſtitẽ & interpretem religionis.

Ab

Ab interprete religionis, dicimus interpretatio religionis: sacrarū literarum interpretatio. Interpres auget copiam linguæ latinæ. Antistes non item. Nullam enim habet deuinctionē, Nec enim vel antistitiū vel antistatium dicimus, sed simplicē habet vsum hoc vocabulum: non habet ξῆλον παραγωγικόν.

Auctoritate sapientiaq; *) *Hæc item referuntur ad caput RELIGIONIS: ad personas. In Pontificibus enim requiritur auctoritas: sed illa auctoritas debet niti sapientia. Sapientē vocare, plus est dicere, quàm prudētem. Sapientia enim videtur profiteri diuinarum atq; humanarum rerum scientiam. Quando igitur oratores volūt aliquid graue, aliquid ponderosè dicere, vocant sapientiam: cum volunt ostendere sapientem testificatum, testimonijs confirmatum: dicūt, auctoritas et sapientia. Auctoritas enim est quasi πεπμήριον sapientiæ. Sic Christus docuit, tanquam auctoritatem habens: in Christo apparebat auctoritas et sapiētia. At illa sunt Ethnica: auctoritas et sapientia Pontificum. Attribuebant enim Romani suis pontificibus, quæ non habebant. Ergo ξῆλος hic locū habebit, et tribuemus Christo et Apostolis auctoritatem et sapientiam: ipsis etiam sacris literis dabimus auctoritatem et sapientiam: et dicemus: sacrarum literarum auctoritas atque sapientia.*

Sapientiæ vocabulo quando & quibus in rebus latini vtantur.

Furore improborum oppressa *) *Hic locus suppeditabit nobis magnā copiam loci, de VI, et ostendet, quid discriminis sit inter lexica et hanc rationem. In Lexico solùm habetis VIM. In hac ἀναλύσει habetis varia. Opprimere aliquid furore, refertur ad locū VIS. Furor enim nihil aliud est, nisi vis furiosa. Videte, quàm flexibilis sit oratio latina. Ex rebus differentib. Cicero facit eandē: et vim hoc loco vocat furorē, ita vt furor hoc loco significet vim, et non solū vim, verùm etiā vim furiosā. VIS, ad locū refertur IVSTITIAE ET INIVSTITIAE.*

vis

vis enim est consequens iniustitiæ. Opprimere aliquid in republica, refertur ad REMPVBLICAM. Quid est opprimere? est idem quod violare & tollere: opprimere aliquid in repub. Maiorum instituta furore opprimere. Furor improborum ad caput pertinet, LAVDATI ET ILLAVDATI. potest etiam referri ad VIOLENTIAM.

Deserta) *Deserere res Reipublicæ, ad quem pertinet locũ? Ad locum AVXILII ET DEFENSIONIS. Deserit, qui nõ defendit. Item ad locum OFFICII. dicimus enim deserere officium: deserere res in officio: in hoc officio tuo multa deserta sunt, id est non suscepta, nõ facta, non administrata.*

Prodita) *Prodere aliqua in republica pertinet ad FIDEM ET PERFIDIAM: ad caput scilicet Virtutis. Singulæ enim virtutes sua habent opposita vitia. Habetis hoc loco exemplum propriorum verborum: habetis verborum διακρίσεσ: ab alijs oppressa, illud est violentiæ: deserta, illud est negligentiæ: prodita, illud est perfidiæ. Hoc est distinctè loqui. Hic habetis exemplum distinctæ orationis.*

Duo genera aduersariorum seu diariorum.

Duo genera debetis habere aduersariorum siue Diariorũ: vnum vocabulorum & formularum, in quo iam versamur: alterum autem Dialecticarum & Rhetoricarum tractationum. Dialectici habent pauciſsima exempla. Apud Aristotelem habetis solùm notas literarum in prima, secunda & tertia figura. In analyticis prioribus pauciſsimos habet terminos, quibus vtitur in omnibus syllogiſmis demonſtrandis: habet Socratem, animal, hominem: In posterioribus Analyticis, pauca habet exempla Mathematica. Sed varias habetis ἐργασίασ apud Platonem, syllogiſmorum categoricorum & hypotheticorum: varia habetis genera: argumenta habetis ſumta à genere, à ſpecie, à ſimilibus, à paribus, à repugnantibus

pugnantibus, ab antecedentibus. Ad oratores quod attinet, varias habetis tractationes apud Demosthenem & Ciceronem: ipse verborum delectus varius est apud oratores: varia est apud eosdem verborum distinctio.

Putatisne Rhetores tam leiunè docuisse suos auditores, vt nos docemus? Minimè. Habebant enim omnia vocabula consignata domi in volumine: quos nisi imitati fuerimus: frustra ad arcem eloquentiæ contendemus. Rhetorum veterum in docendo quæ consuetudo fuerit.

Prodita, gesta) *Est pleonasmus: qui prodit, deserit, opprimit, is gerit aliquid: videtur pleonasmus esse, sed tamen non est: produnt homines iudicio, produnt sermone. Aliquid proditum, gestum est: id est, palàm prodere, re gerenda est prodere, & illud ipsum facere, quod prodit. In pleonasmo, non est pleonasmus, sed proprietas.*

Rescinduntur) *Rescindere aliquid, formula loquendi* γενικὴ, *generalis:* ἀόριστος, *infinita:* ἀνειδὴς, *absq; specie. Rescindere litem, rescindere edictum Prætoris, id est, abrogare, hoc est* εἰδοποιητόν: *non* ἀνειδέσ: *habet certam speciem, sc. legem, edictum, populi scitum. Rescindere auctoritate legẽ. Ad quem locum igitur ista referentur? ad locum REIPVBLICAE, ad eam partem, cui titulus est LEX, siue* οἱ *NOMOI, leges. Memoriæ enim & intelligentiæ caussa non malum est facere inscriptionem varijs linguis, præsertim latina, græca, & nostra etiam.*

Erit caussa, cur) *CVR ad locum refertur particularum: ad particulas caussales et rationales. Nos dicimus, Caussam exposuit, cur fecerit: caussa est, cur tibi gratias agã. Caussa est, quamobrem tibi gratias agam.* τῦλος: *caussa est, quare tibi gratias agam. Isti sunt modi loquendi Romanorum, sunt modi loquendi latinorum. Cæsar dicit: caussas exposuit*

BIBLIOTHECA VNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS

multas, quamobrem fecerit; est latinissimum. Vulgare est, et commune omnium mulierc ularum: caussam, propter quam: caussas, propter quas: at latinum est: caussa est, cur, quare, quamobrem fecerit.

Consilium maiorum laudare possimus) *Consilium maiorum: ad REMPVBLICAM refertur, ad caput de MAGISTRATV: vt & illud: Laudare consilium maiorum in re aliqua: ad LAVDEM ET VITVPERATIONEM. Laus autem est in CONSEQVENTIBVS VIRTVTVM, quemadmodum vituperatio in consequentibus vitiorum. In libris vestris Analyticis primum locum debent occupare virtutes: secundum locũ earundẽ* ἐπόμενα, *vt est auctoritas, laus, gloria, honos. Omnia enim hæc sunt virtutum consequentia.*

In amplissimis viris ad sacerdotia deligendis) *Prima formula huius loci est, Deligere aliquem ad rem aliquam: quæ phrasis* ἀόριστος *est, infinita, locum tamen certum habens in ordine rerum, qui ipso verbo Deligere indicatur, DELECTVS. In omni delectu opus est iudicio & ratione & æstimatione. Locus igitur generalis & caput generale est in ACTIONIBVS ANIMI, in ea parte, vbi ratio est, vbi iudicatio, vbi æstimatio. Secunda formula est, Deligere amplissimos viros ad sacerdotia: locus est* εἰδικός, *specialis, qui est in primo capite rerum, in rebus diuinis, in ipso titulo RELIGIONIS. Generale est et* ἀόριστον, *Deligere aliquem ad rem aliquam:* διωρισμένον, *finitum scilicet persona est, Deligere amplissimos viros. Deligere est præficere delectu habito: plus est deligere, quàm præficere. Præficimus quemuis: deligimus egregios, præcipuos, singularem. Deligere aliquem ad sacerdotium: deligere aliquos ad sacerdotia. Romani deligebant ad sacerdotia amplissimos viros, imperato-*

res.

res, patricios: Christus delegit ad sacerdotium piscatores.

Iure ac meritò) *Fieri aliquid iure & meritò: item, Facere aliquid iure ac meritò: ad locum, IVSTITIAE ET IVRIS. Possunt etiam ista dissolui: aliquid iure fieri, aliquid meritò fieri: aliquid iure facere: aliquid meritò facere. Dissoluta sunt eiusdem loci, scilicet iustitiæ: sed, iure & merito facere, est actionis: iure & meritò fieri, actorum. Actiones enim sunt quasi causſæ efficientes: acta sunt quasi αὐτιατα.*

Quoniam ille demens) *Demens homo, ad partes hominis, ad locum RATIONIS, ad contrarium rationis. Demens enim est, qui mentē non habet, qui à mente remotus est.*

Per hosce dies in senatu de republica sensi) *Hosce dies: ad locum refertur TEMPORIS. Sentire aliqua de republica in senatu, id est, sententiam dicere in senatu de rebus aliquibus, hoc est, Sentire aliquid de republica in senatu. Locus specialis est SENATVS: specialior, SENTENTIAE DICTIO, γνωμολογία, γνώμη. Sæpè non oportet facere formulas infinitas, vt: sentire aliqua de republica: aliquid fieri, per aliquot dies: sed ipsa verba oratoris, seu ipsa paradigmata sunt retinenda, vt in hoc loco: quæ ego per hosce dies de republica in senatu sensi. Sentire aliquid de re aliqua, ad quem locum? ad locum IVDICATIONIS. Sentire de re aliquid, id est, iudicare de aliqua re, sententiam suam dicere. Contrarium scribite etiam: quæ egò per hosce dies in senatu de republica vituperaui: ad SENTENTIAE DICTIONEM. Vituperare & laudare, quae quis sentiat, id est, laudabilem sententiam dicere, aut sententiam vituperandam.*

Vtile in instituenda analysi præceptum.

Aliquem se aditum ad aures vestras esse habiturum) *Habere aditum ad aures alicuius, est id, quod dicitur, habere audientiam.* ζῆλος: *habere aditum ad beneuolentiam alicuius. Quemadmodum enim aditum ad aures: sic etiam aditum habemus ad animum, ad beneuolentiam alicuius. Habere aditum ad aures alicuius: refertur ad SENSVS QVINQVE, ad SENSVM AVDIENDI. In analysi rhetorica refertur ad ATTENTIONEM: ad illum locum Exordiorum, qui est attentionis. In exordijs enim comparanda est docilitas, attentio, & beneuolentia.*

Putauit) *Putare aliquid, est leuius. Sed nihil leue pratereundum. Aliquem aliquid putare. Puto me habiturum aditum ad aures alicuius, ad quem locum? Ad locum OPINIONIS. Opinio autem vbi latet? vbi est receptaculum opinionis? In actionibus animi, eo loco, vbi est iudicatio. Sed opinio est antecedens. Opinionem enim iudicatio sequitur. Hic enim ordo est: cogitatio: ex cogitatione opinio: ex opinione iudicatio. Cogitatio est tacita: opinio est recondita etiam sæpè: iudicatio autem est expressa opinio, est producta in medium opinio. Triplex igitur gradus est: cogitatio, opinio, iudicatio, quæ diuiditur in affirmationem & negationem, in laudem & vituperationem.*

Omittam ordinem dicendi meum) *Scribite illud* παραδειγματικῶς: *Omittam ordinem dicendi meum: generale est: omittere ordinem dicendi, sed σαφέστερον est: omittam ordinem dicendi meum. Ad quem locum? ad locum Rhetoricum, ad eam partem, ad id volumen, vbi sunt* τὰ τεχνικά: *ad quam partem artis rhetoricæ? ad COLLOCATIONEM, ad ORATORIS OFFICIA. Oratoris enim est inuenire, disponere, memoriæ mandare, eloqui.*

Respon-

Reſpondeo hominis furioſi orationi) *Ad locum rurſus Rhetoricum refertur. Quis eſt proprius locus? REFVTATIO. Reſpondere enim orationi alicuius, eſt refutare alicuius orationem.*

Non orationi, ſed conuicio) *Alia formula, ad eundem locum pertinens. Oratio eſt rationis, τὸ λόγον. Oratio eſt prudens ſermo: oratio eſt ſermo ſeu vox ratione nitens. Conuicium autem eſt ſermo inimicus, iracundus, remotus à ratione atq; iudicio. Poſſumus inde ψόγον facere. Hæc non oratio, ſed conuicium eſt. Ad quem locum? ad eundem, ad REFVTATIONEM: item ad alium etiam locum Rhetoricum, ſcilicet ad CRIMINATIONEM: ad crimen, ad ἔγκλημα. Nam conuicium eſt criminoſa oratio: conuicium eſt λόγος ὀνειδιστικός. Aliquem vti non poſſe oratione, id eſt, ratione. Eſt enim homonymia hoc loco in oratione. Cicero acutè iſto verbo vtitur: oratione aliquem vti non poſſe, id eſt, ratione: ad quem locum? ad SENTENTIAE DICTIONEM. Is in ſententia dicenda oratione vti non poteſt, qui non prudenter loqui poteſt. Furioſi hominis hæc non oratio eſt, ſed conuicium. Quemadmodum oratio multa complectitur hoc loco: ſic etiam conuicium. Per conuicium enim Cicero intelligit etiam vitioſam orationem, λόγον ὀνειδιστικόν.* Oratio & conuicium quomodo differant.

Cuius exercitationem) *Exercitatio conuicij ad quem locum? ad CRIMINATIONEM ſiue ad MALEDICTVM.*

Intolerabili petulantia) *Intolerabilis petulantia conuicij, intolerabilis petulantia alicuius facinoris: intolerabilis petulantia hominis: ad CRIMEN referuntur: ad locum vitiorum, ad IMMODESTIAM. Petulantia enim inimica eſt modeſtiæ. Petulantia intolerabilis, id eſt, aliquid intolerabile, ad quem locum? ad patientiam. Patientia ſpecies eſt*

virtutis: intolerabilis petulantia, contrarium in patientia.

Diuturna impunitate) *Impunitas cõuicij, rursus ad MALEDICTVM, siue ad CRIMINATIONEM: item, diuturna impunitas, est eiusdem loci, sed habet differentiam temporis.*

Muniuit) *Munire sibi scelus: munire exercitationem sceleris: munire exercitationem sceleris cum intolerabili petulantia: referuntur ad SCELVS, ad PECCATVM: ad consequentia vitiorum. Deinde ad locum etiam POENARVM. Pœna enim consequens est iustitiæ et iudicij. Munire aliquid re aliqua: ad genera rerum firma scilicet & infirma. Item ad vim & potentiam seu vires & facultates. Munire scilicet vim impunitate: Vis est consequens iniustitiæ.*

Ac primùm) *Ad locum particulæ: ad particulas ordinis refertur: ac primùm, id est, primùm igitur. Sed longè est elegantius dicere, ac primùm: est modus loquendi latinus, & purior loquendi modus, ac primùm.*

Homine vesano ac furioso) *Homo vesanus et furiosus, ad illud caput, VIR LAVDATVS ET ILLAVDATVS: ad quem locum rerum? ad consequentia virtutum et vitiorum. Item, Ciuis vesanus et furiosus: ad REMPVBLICAM. Item, homo vesanus et furiosus, ad locum MENTIS ET RATIONIS, ad contrarium mentis & rationis. Item ad locum PRVDENTIAE. Et sic hæc formula, Homo vesanus et furiosus: habet locum inter scelera et vitia: habet locum in republica: potest reduci resoluendo, ad tria aut quatuor genera locorum. Iam posset quispiam quærere, an in locis istis omnibus hæc formula sit ponenda? Sed sciendum: vestrum esse, & vestri arbitrij, deligere locum magis vobis idoneum, notum, & distinctum, in quem collocetur formula hæc aut quauis alia: hoc facto, deinde scribendum est: vide locum*

Sceleris:

Sceleris: Reipublicæ, &c. Quemadmodum enim elementa sunt inter se distincta & mixta in rerum natura, & quasi inter se consociata: sic etiam hæc loca quandam habent inter se perpetuam quasi cognationem.

In resoluendis autem scriptis oratorum atq; etiam poëtarum (est enim una eademq; ratio virorumq;) oportet vos adhibere aliquam etiam libertatem augendæ linguæ latinæ. Exempli gratia, quoniam latina sunt ista duo: vesanus & furiosus: necesse est reliqua coniugata etiam latina esse nempe vesania & furor, item vesanum esse atq; furere: item vesanè atque furiosè. Et hæc ratio retinenda est in omnibus coniugatis, in omni resolutione. Considerandæ etiam sunt verba reliquorum nominum. Quemadmodum enim dicimus: furore impelli, excitari: sic etiam, vesania & furore impelli: vesania & furore præcipitem agi: & quicquid est similium verborum, totum illud potest accommodari ad eiusmodi formulas. Vesania et furor effecta sunt vitiorum & scelerum. Locus igitur generalis est rerum humanarum, RES HVMANAE. Locus specialis, HABITVS ANIMI, boni scilicet & mali. Locus specialior est CONSEQVENTIA VITIORVM, inter consequentia vitiorum latet iste locus. Locus specialissimus scilicet ira & furor, qui maior est ira. Ira enim furor brevis est, vt ait poëta.

Præceptū vtilissimū de augenda latinæ linguæ copia.

Requiro) *Quæro et rogo sunt simplicia. Interrogo autē & Requiro sunt composita. Interrogare est interpellare rogando, est rogationem interponere.*

Requirere est interrogare, cum aliquid desideratur in officio. Requirit is, qui interrogat caussam officij deserti, requirit, inquam, is, qui idcirco quærit, quòd aliquid in ipso homine requirat, id est, desideret.

Vbi

Vbi ponenda interrogatio? Inter habitus animi, sed inter habitus animi διανοητικοῦς, rationis. Rationis enim est interrogare, respondere, argumentari.

Pœna scelerum, flagitiorumq; :) *Est definitio loco definiti. Est enim definitio conscientiæ malæ. Conscientia mala nihil aliud est, quàm pœna scelerum atq; flagitiorum: quàm vexatio pœnæ in flagitijs & sceleribus. Sic conscientia, est τὸ ὑποκείμενον γένος, est subiectum, est definitum. Vexatio autem est prædicatum, est definitio. Conscientia enim mala est vexatio pœnæ, id est, metus pœnæ vexans ob scelera atq; flagitia, Ad quem locum? ad locum CONSCIENTIAE: quis specialior? CONSEQVENTIA VITIORVM. quis specialissimus? CONSCIENTIA MALA. Flagitium videtur esse hoc loco significantius, quàm scelus. Sunt enim flagitia, scelera flagris digna: sunt ignominiosa scelera: sunt scelera, quæ ignominiam pariunt. Si scelera & flagitia, latinum est, dicere: ergo sceleratus & flagitiosus, etiam latinum est: item scelerosus et flagitiosus, si obseruetis hoc apud Ciceronem: item sceleratè & flagitiosè. Ad quem locum? In substantia primum locum habet peccatum: à Peccato venitur ad delictum, ad erratum. Hæc sunt specialia, quæ merentur veniam. Ab erratis ad scelera, ad flagitia, & ad facinora. Facinus enim medium est. Et hæc sunt γενικά sunt generalia: parricidium verò est speciale, item proditio, item veneficium. Et hæc ponuntur primo loco in substantia singula, in ea columna, vbi sunt rerum vocabula. E regione enim in altera columna ponenda sunt personarum vocabula: peccator, sceleratus, flagitiosus, vesanus, furiosus &c. Vbi? In VITIIS, in consequentibus vitiorum. A substantiis in resoluendo transitur ad qualitatem, vt: facinus nefariũ,*

impium

impium, sceleratum, scelerosum. A qualitate ad quantitatem, vt, facinus magnum, rarum, & singulare: facinus, cui nunquam par extitit. A quantitate ad verba: Facinus admittere: scelus admittere, designare, committere. Item ex actiuis facere passiua. Est enim eiusdem methodi, eiusdem rationis, eiusdem libertatis.

Vexet) *Aliquem vexari pœna scelerum et flagitiorũ: hæc formula continet definitionem ipsius conscientiæ, scmalæ. Vexari aliquem re aliqua: ad motum animi, ad ANIMI AFFECTIONES, quæ res latet in partitione motuum. In homine enim spectantur motus, habitus, δυνάμεις φυσικαί, naturales potentiæ. In his enim analyticis debetis sequi partitiones philosophorum. Et in istis redactionibus debetis obseruare definitiones & partitiones, & harum methodum sequi. Si enim accommodabitis locos vestros ad naturam, & in hac resolutione insistetis vestigijs philosophorum seu philosophiæ, quæ naturam ducem sequitur in scientijs atq; doctrinis & inueniendis, & tradendis, & expoliendis: nunquam vobis deerunt vel res, vel verba: hac, inquam, digestione facta, et his locis completis, & modica exercitatione memoriæ adhibita, nunquam vos vel res, vel verba destituent. Quod nos senes tota ætate nostra assecuti non sumus: vos pauciſsimorum annorum labore, & labore facilimo vobis comparabitis, cum magna non solùm vtilitate, verùm etiam voluptate. Satis diu deliberauimus: satis diu consilia petiuimus: quæ iam diu deliberata sunt & quæsita, ea maturè suscipiamus. Opus est enim inceptione, sed constantia est necessaria: oportet incipere gnauiter, sed constanter.*

Locorum notatio & obseruatio eiusq; vtilitas.

Hos tales viros) *Id est, hos tam magnos viros: est qua-*

litas infinita. Locus est in PARTICVLIS, inter pronomina δεικτικὰ: *Hi tales viri: hos tales viros: ô vos, qui tales estis. Omnia illa sunt imitanda: omnia illa sunt latina &c.*

Specie ipsa dignitatem Reipublicæ sustinent) *Aliquem sustinere dignitatem reipublicæ. Sustinere hoc loco est tueri & defendere dignitatem reipublicæ, & ita defendere, vt species reipub. in eo quasi appareat: vt dignitas reipublicæ in vno viro quasi conspiciatur. Simplex igitur formula loquendi est, phrasis est* εἰδικὴ: *sustinere rempublicam. Aliquem sustinere reipub. dignitatem ipsa specie, id est, forma atq; figura: consilijs et specie ipsa dignitatem reipublicæ sustinere: composita sunt et duplicata. Si sustinere latinum est, & tueri, defendere, confirmare, amplificare, latina quoq; erunt. Et, si species reipublicæ, latinum est, cur barbarum esset, forma reipublicæ? cur impurum esset dicere, figura reipublicæ? cur esset indoctum, dicere coniunctim, forma atq; figura reipublicæ? Item, cur malum esset, dicere, species & figura reipublicæ? cur vitiosum, species et forma reipublicæ? Ex vno modo loquendi, sunt multi modi facti: synonymorum scilicet commutatione, quæ efficit, vt seruitus imitationis occultetur.*

Sed ad quem locum hæc referenda: Sustinere rempublicam: sustinere dignitatem reipublicæ: sustinere dignitatem reipublicæ consilijs, specie, consilijs et specie? ad locũ MAGISTRATVS. Quis locus generalis? ARTIVM ET DISCIPLINARVM, doctrina scilicet, quæ dicitur πολιτικὴ. *Ibi enim eiusmodi generales formulæ poni possunt. Liberum tamen etiam est, ista referre ad locum HVMANITATIS, ad illud scilicet caput, RESPVBLICA siue CIVITAS.*

Quòd ego in sententia dicenda salutem ciuium, eum honore

honore Cn. Pompeÿ coniunxerim) *Sententiam dicere: Facere aliquid in sententia dicenda: Sequi aliquid in sententia dicenda: ad quem locum? ad locum CONSILII ET DELIBERATIONIS. Consilium vbi locum habet? Locum primùm habet in partibus hominis, in ea parte, quæ vocatur RATIO. Hominis est, consilium dare: hominis est, apud se consilium capere, quæ est actio animi tacentis & cogitantis. Hominis est, consilium dare, consilium sequi, consilium repudiare. Vbi igitur locus est cogitationis, ibi locus est etiã consilÿ: vnus, inquam, est locus & cogitationis & consilÿ. Alter locus consilÿ est in causſa ciuili, in causſa senatoria, in loco SENATVS. In senatu enim propriè sententiæ dicuntur dici. Senatus enim est curia, id est, locus curarum atq; consiliorum. Cùm eiusmodi duo loca habetis: potestis vti vestro arbitratu: & alterum replere, in altero autem huius mentionem facere, vt sibi subsidio veniant.*

Cicero in sententia dicenda, salutem ciuium, cum honore Cn. Pompeÿ coniunxit: formula finita: formula rei singularis, singularis modus loquendi. Sententia est senatoria. In sententia dicenda coniungere salutem ciuium cum honore Cn. Pompeÿ, id est, mentionem facere salutis ciuium, & simul etiam Pompeium nominare honoris causſa, & salutem ciuium Pompeio acceptam ferre.

Cõiunxerim) *id est, quòd ego salutẽ ciuiũ in sententia dicenda acceptã retulerim Cn. Põpeio, et nõ ipsis Pontificibus.*

Mihi esſe iratos) *Iudex iratus: Iudicem iraſci alicui: Iudicem iratum esſe alicui: ad quem locum? ad causſas ciuiles. Ad quod genus causſæ ciuile? ad genus Iudiciale: ad IVDICIVM: ad quẽ locũ? ad locũ CONDEMNATIONIS. Iudices cognoſcunt, ſtatuunt, iraſcuntur: ſtatuunt et condẽnant.*

Ergo, Iratos esse iudices, ad quem locum? ad antecedentia condemnationis. Quæ sunt consequentia condemnationis? pœna, multa, supplicium. Ipsa condemnatio est medium inter antecedentia & consequentia. Iratos mihi esse: id est antecedens. Sequitur consequens. Quid parit ira? vt aliter sentias, vt sententiam mutes.

Aliud de religione sensuros) *Hoc sequitur iram. Aliter sentire nihil aliud est, nisi sententiam mutare. Ad SENTENTIAE DICTIONEM hæc locutio referenda, & ponenda in CAVSSIS SENATORIIS: sed non contemnenda etiam in CONDEMNATIONE. Nam aliter sentire, est sententiam mutare: sententiam improbare, condemnare. Sic duo habet domicilia: vnum in senatorijs caussis: alterũ in iudicialibus. Aliter sentire, id est, aliter iudicare de re aliqua.*

Hoc tempore) *Ad circumstantiam TEMPORIS. Cicero dicit etiam, In hoc tempore. Sic dicimus etiam, hac hora, &, in hac hora. Si enim est latinissimum, dicere, in hoc tempore: si ille græcismus est latinus: si receptus est latinis auribus: ergo etiam, in hac hora, latinum est: latinum etiam est, in hac æstate facere.*

Me absente) *Si latinum est, me absente: latinum quoq; erit, te absente: Pompeio absente: hoc absente. Quis est absens? qui in hoc loco non est. Quis est præsens? qui est in hoc loco. Pertinet ad formulas circumstantiarum, ad LOCVM VBI: sed est compositum ex VBI & QVANDO. Absens est, qui in hoc loco non est, & in hoc tempore non adest.*

Circumstãtiæ vbi ponendæ.

Absentia, vt & præsentia, æstimatur loco & tempore. Inter actiones hominum debetis ponere circumstantias, ibi vnum est receptaculum huius locutionis: alterum est, in locis Dialecticis, in decem prædicamentis: in prædicamento VBI.

Arbitre

Arbitrêre) *Aliquem arbitrari aliquid. Arbitror aliter sensuros pontifices. Aliquem arbitrari aliquid: est generale. Speciale est: Arbitror Pontifices aliter sensuros: ad quem locum? ad locum OPINIONIS: quis locus specialior? ANIMVS HOMINIS: quis specialissimus? RATIO. Rationis est opinio etiam. Opinio enim est quasi inchoata ratio.*

Fuisti apud Pontifices superior) *Aliquem superiorē esse apud Pontifices: Aliquem superiorem esse apud iudices: ad quem locum? Ad GENVS IVDICIALE CAVSSARVM: magis εἰδικόσ est VICTORIA IVDICII, ABSOLVTIO scilicet.*

Sis inferior, necesse est) *Ad eundem locum, IVDICIALEM scilicet, ad locum CONDEMNATIONIS. Est modus loquendi olens & sapiens hellenismum. Apud Platonē habetis: caussam inferiorem superiorem facere. Quemadmodum graeci dicebant, caussam superiorem & inferiorem: sic latini dicunt, in iudicio superiorem, vel inferiorem esse.*

Nondum de mea sententia dico: impudentiae primùm respondebo tuae) *Nondum, Primùm: referuntur ad locum PARTICVLARVM: sunt particulae ORDINIS, προσδιορθωτικαί. προσδιόρθωσιν vocant Rhetores, vbi ostendunt, quid primo, quid secundo loco velint dicere: nihil aliud est, nisi ordinis dispositio, προσδιόρθωσισ. Primùm, id est, prius, priore loco. Vtimur illa particula in tribus & quatuor: item in duobus. Hoc loco nihil appositum habet, nihil habet additum: est absq; redditione.*

Dicere sententiam, pertinet ad ORATIONEM. Ego referrem ad HVMANITATIS locum. Diuisimus hominem in duo: in animum & corpus. Corporis est, stare, decumbere, pronum esse, supinum esse, currere, quiescere, dormire, ridere,

stertere: omnia ista sunt corporis. Animi autem est cogitare, inuenire, argumentari, dicere, etc. primùm cogito, quid velim scribere: volo scribere de virtute, de concordia Ecclesiæ. Post cogitationem sequitur inuentio & inquisitio: scribam, concordiam Ecclesiæ esse salutarem: salutares esse, qui concordiæ Ecclesiarum consulunt. Inuentio incipit à fine: deinde currit per loca & argumentatur: argumentis consideratis concludit: quæ conclusit, pronunciat, dicit, aperit amicis: dicit in senatu, in foro. Hic ordo est, Cogitare, inuenire, argumentari, dicere, scribere. Loquimur præsentibus, scribimus posteris. Sermo est temporaria oratio, sermo est flexibilis: scriptura perpetuus & immutabilis sermo est. Hæc igitur pertinēt ad ANIMVM. Sed ipsi loci habēt quædam confinia. Possunt itaq; etiā referri ad locum, qui est SENATVS. In senatu enim dicūtur sententiæ. Et sic ad duo referuntur: ad locū humanitatis, ad animū scilicet: et ad locū ciuiliū causarum, ad causas senatorias, vel ad causas iudiciales: vt et sequens illa formula: Impudētiæ respōdebo tuæ.

In analysi verborum quis ordo seruandus.

Hunc igitur funesta reipublicæ pestis, hunc tu ciuem ferro & armis) *Duplex nobis est proposita ἀνάλυσις, vna linguæ, altera artis. Linguæ ἀνάλυσις videtur esse grammatica omninò: sed tamen non planè grammatica est. Artis ἀνάλυσις tota est Rhetorica, pertinet ad scholas rhetoricas. Linguæ resolutio pertinet quidem ad grāmaticam, sed quæ confusa est. Grammatici enim interpretantur poētas, oratores, & omne genus scriptorum eodem modo: omnia item genera, declinationes et coniugationes, rationem* συντακτικήν, *eodem modo docent et ijsdem regulis. Grammatici nihil differre ponunt inter opinor & autumo, id est, nullam differentiam faciunt inter poētica et oratoria. Et hæc resolutio*

Discrimen inter duplicem ἀνάλυσιν linguæ & artis.

tota

tota est grāmatica, confusa sc. absq; distinctione. Orator autem est ponderator verborū, ponderat vim verborum. Quēadmodum metallicus separat plumbum à stagno: stagnum ab auro: aurū ab argento: sic orator distinguit vim verborū et vocabulorum: videt, quid sit poëticum, quid historicum, quid populare, quid politicum, quid forense. Deinde videt etiā, quæ sint verba nativa, quæ πτεραμμένα, quæ habent tropum, id est, conuersionē: et obseruat illas ipsas translationes. Alij enim sunt tropi rhetorum & oratorum, alij poëtarum. Et hæc est secunda æstimatio et electio verborū apud oratores. Tertiò orator non solùm hæc videt, verùm etiam considerat, quæ sint significantia, quarem benè significent. Verbis enim vtendum est, quarem significent clarè & apertè. Dialecticus dicit, quòd peccatum sit genus: proditio species: dialecticus distinguit genera à speciebus. Sed hæc distinctio ad oratorem non pertinet. Orator dicit: genera sunt minùs significantia, vtpote peccatum est minùs significans, quàm proditio: peccatum non mouet affectus: ideóq; orator quærit significantiora, et pro peccato ponit scelus, quod plus significat, quàm peccatū, item flagitium. Scelus enim est peccatū dignum animaduersione. Flagitium, peccatū est dignum flagris, loris, virgis. Dialectici dicunt, peccatum genus est: parricidium species. Orator dicit: peccatum est minùs significans, parricidium magis. Oratores differunt à Dialecticis. Dialecticus est contentus vno subiecto, quod propriè rē significat, & vno prædicato. Orator autem congerit multa subiecta, multa prædicata: sequitur tamen canonem et regulam Dialecticorū. Dialecticus dicit, Vbi vis est, ibi prudentis est, cedere et locum dare violentiæ. Quo tempore senatus habebatur, vis erat. Ergo eo tempore sapientis fuit cedere: prudentis fuit cedere eo die. Sic Dialecticus loquitur:

Oratoria nouatio vocabulorum.

IIII.

sic

Oratores cur vehementiore & copiosiore oratione, quàm dialectici vtantur.

sic etiam loquitur exilis orator: Rectè cessi tibi propter vim tuam. Sed Cicero non est contentus hac breuitate. Et licet hæc oratio copiam non requirere videatur: siquidem habetur ad Pontifices, qui magni sunt viri, id est, magni non solùm opibus, facultatibus, autoritate & honoribus: verùm etiam magni & laudati propter bona fortunæ, prudentiam, vsum rerum et literas: propter populum tamen circumstantem, qui concitandus erat, necessariò vsus est Cicero oratione paulò vehementiore & copiosiore. Concitato enim populo, concitabatur etiam Iudex: in quam partem populus flectebatur ab oratore, eam necesse quoq; erat Iudicem sequi.

Propter hunc eundem populum boni oratores omnes sæpè commorationem faciunt in eadem re, & accipiunt vel maiorem, vel minorem, vel conclusionem in syllogismo Dialectico: & vident, vtrum maioris propositionis exaggeratio vtilior sit ad mouendos animos, an minoris, an conclusionis. Exempli gratia, Syllogismus est: Vbi vis est, ibi prudentis est cedere & locùm dare violentiæ. Quo tempore senatus habebatur, vis erat. Ergo eo tempore sapientis fuit cedere. Cicero accepit minorem hoc loco, & in eo inuenit motum, inuenit rationem concitandi populum. Totum syllogismum omisit, & accepit solùm amplificationem minoris. Quomodo amplificat minorem? assumtione rhetorica, quæ plerumq; est diuisio: assumtione, inquam, rhetorica, id est, rhetorica distributione. Enumerat enim varios modos faciendi vim, quæ fit aliquando ferro, id est, gladio, aliquando armis, aliquando exercitu, & copia hominum &c. Hæc omnia etsi non sint idem significantia, sed rerum differentiũ vocabula: aliud siquidem est ferrum, aliud arma, aliud exercitus: res tamen has differentes orator accommodat ad vnum finem, ad vim scilicet ostendendam.

Rerũ differentium vocabula, sine conuenientia.

Quantum

Quantum itaq; attinet ad analysin rhetoricam: minor hoc loco proposita est amplificatione, id est, deflexione ad motum. Omnis siquidem oratio oratoris est deflexa vel ad docendum, vel ad delectandum, vel ad mouendum. Et sic habemus hoc loco exemplum amplificati syllogismi in una parte, in propositione scilicet minore. Sapè tamen fit, vt maior amplificetur: vt in oratione pro Milone, vbi locus iste communis, Vim vi repellere licet, copiosissimè tractatur.

Ἐπάνοδος ad dictionum resolutionem.

Quoniam autem in dictionum adhuc versamur resolutione, in qua omnia capita analytica, prima videlicet, summa, infima, suprema & media, decem distinguuntur praedicamentis Aristotelicis, praecipuè verò his quinq; substantia, quantitate, qualitate, actione et passione: Et locus iste, quem iam explicamus, caput vnum habet eiusmodi, quod duci per aliquot praedicamenta potest: assumemus idipsum pro exemplo. Est autem VIS.

VIS vocabulum: eiusq; significatio.

VIS est vnum ex illis verbis seu nominibus, quae sunt homonyma, & multiplicem habent potestatem. Aliquando enim significat δύναμιν, id est, facultatem, vt: vis dicendi, vis persuadendi, hoc est, vis, id est, ratio efficax: vis terrae, vis cœli, vis herbarū, vis medicamētorum, id est, ἡ δύναμις, facultas. Aliquādo significat vim, qua est iniuidia, quae iniuria est, ferri scilicet et armorū, de qua hoc in loco agitur.

Est tamen duplex vis, vna mala, vt: vim adferre virgini: vim facere innocenti. Altera honesta et iusta, vt cū dicimus, Vim vi repellere licet: vim scilicet iniustam: vi scilicet iusta & concessa. Nos de mala agimus, id est, de vi, quae coniuncta est cum iniuria & violentia.

Videamus iam, ad quod caput rerum referendum sit istud vocabulum. Ad res diuinas non pertinere clarum est.

Ad res physicas non valdè pertinet, nisi cum dicimus: Vim tempestatum, naufragij, ventorum, id est, ventorum violentiam, impressiones. Sed de hac vi non agimus hoc loco. Relinquamus igitur istud volumen, istum librū, scilicet rerum naturalium, vnà cum tertio locorum genere, qui est artium & disciplinarum: caput ipsi in quarto loco assignemus, in rebus scilicet humanis. τὰ ἀνθρώπινα *enim locum nobis suppeditabunt.*

Homo diuiditur in corpus & animum. Animi habitus sunt boni, vt virtus & virtutes: animi habitus sunt etiam mali, vt vitia. Ex vitijs oriuntur peccata, vt ex stulticia error: ex temeritate peccatum: ex iniusticia scelus, et genera scelerum, & genera peccatorum. Vis autem numeratur inter peccata. Ergo locus huius capitis est inter ea, quæ vocantur orta à vitijs, EFFECTA VITIORVM.

Iam agamus Dialecticè. Quomodo differt vis à scelere? quomodo vis differt à peccato? peccatum est generale: proximum locum habet scelus. Sæpè fiunt scelera absq; vi: persuasionibus sæpenumero committuntur adulteria. Peccatum à græcis vocatur ἁμάρτημα: *scelus,* ἀδίκημα. *Vis, est scelus vi factum, non persuasione, sed armis & ferro. Locus ergo eius est* ORTA, EFFECTA VITIORVM, VITIORVM CONSEQVENTIA. *Hæc capita debetis signare, & ea, quæ vobis magis placent, retinere memoriæ caussa. Facilè enim reperiuntur, quæ placent.*

Caput huius vocabuli est VIS: *& vis hoc loco accipitur pro substantia* κατηγορικῶς, *tametsi sit relatio. Substantiua habeo pro substantijs. Inter substantias enim & substantiua, quantum ad vocabulum, nil est discriminis. Substantiæ autem rebus & personis distinguuntur. In prima itaq;*

columna

columna ponemus rẽ, VIS: è regione personam, vim inferens, vim faciens: & contrarium, vim depellens, vim defendens. Nam hæc omnia sunt latina, ex Cicerone desumta. Pro Milone habetis: vi vim illatã defendere, pro, depellere, est κατάσχεσις, est τρόπος: defẽdere vim, pro, se defẽdere cõtra uim.

Cùm illud habetis, oportet vos videre apud bonos auctores, an sint synonyma huius vocabuli: Cicero vim vocat etiã violentiam, & dicit aliquando: vis & violentia: item vim & manum: aliquando etiam impetum: item incursionem. Manus est vis manu illata, est vis armatorum: Incursio est vis facta cursu & pedibus. Ergo synonyma ista sunt in substantia: vis, violentia, manus, impetus, incursio. Hoc loco Cicero vim vocat, ferrũ, lapides, lapidationem, tela, iactus telorum. Incipimus analysin ab aoristis, id est, infinitis, id est, à generibus, vtpote à vocabulo VIS: transimus deinde ad synonyma, vtpote ad VIOLENTIAM, quod penè idem significat: pòst venimus ad specialia, MANVS, INCVRSIO, IMPETVS: ad vim scilicet factam manu, cursu, petitionibus telorum, id est, gladiorum. Quæ omnia sunt substantiæ, sed sunt singula, sunt solitaria. Ab his itaq; ad coniuncta transeundum: vim et manum: vim et violentiã: vim & necessitatem. Hæc enim etiam inter synonyma refertur. Nam necessitas est vis, cui necessum est cedere, vel, quam necesse est depellere. Sed ad quem locũ hæc referentur? collocabuntur in prima columna substantiæ: ijsq; è regione, in altera columna personarum, opponentur: vim & manum inferens: vim et violentiam adhibens. His addentur consequentia, FVGA, id est, vis fugam faciens, cædes, metus, terror, ex metu & terrore fuga. Item cognata & affinia, INSIDIAE, quæ sorores sunt violentiæ et necessitatis. Insidiæ est antecedens: qui ex insidijs erumpunt, vim faciunt.

Analysis inchoanda ab aoristis & generibus: finienda in speciebus & singularibus.

Insidiæ sunt vis latens: insidiæ sunt occultatæ. Vt autem videatis, quàm copiosa sit hæc ratio, & quàm latè pateat, manebimus adhuc in isto prædicamento: videbimus ea, quæ sequuntur in Cicerone. ferro *) id est, vis facta ferro.* armis *) vis armis facta: hæc singula sunt: ferro & armis, sunt coniuncta.* terrore exercitus *) violentia armatorum.* consulũ scelere *) id est, vis scelerata consulum.* minis *) vis facta minis. Cicero in oratione pro A. Cæcinna dicit, minis etiam vim fieri.* seruorum delectu *) id est, vis facta delectu seruorum. Sunt causſæ, sunt* αἴτια ὀργανικά. *Debetis enim in substantia comprehendere etiam causſas, effecta et cõsequentia. Sic non solùm vis in hoc prædicamento comprehendenda, sed fuga etiam. Ex vi enim fit fuga.* obsessione templorum *) vis facta obsessione templorum. Obsessio templorũ est, cùm templa obsidentur, & ex templis vis suscipitur, & in templis vis cogitatur. Si latinum est obsessio templorum: latinum quoq; erit, obsessio locorum. Insidiæ est latens alicuius loci obsessio. Si obsessio templorum refertur ad substantiam, ea etiam, quæ sequuntur, eodem pertinebunt.* occupatione fori *) occupatio loci in vi facienda.* oppressione curiæ *) oppressio loci. Est Hypallage: per curiæ oppressionem, intelligit oppressionem senatus seu hominum, qui erant in curia.* ferro dimicarent *) Factamus ex verbo substantiam: augeamus linguam latinam: vt amur* ξίλῳ: *Dimicatio ferri, id est, vis anceps ferro instituta. Dimicatio enim dubia est: cùm dimicatur, dubium est, in vtram partem impendeat victoria. Videte, quanta sit copia in vno ambitu verborum, in vna digestione. Hæc in Lexicis sunt sparsa. Vnde fit, vt Lexica valdè sint ieiuna hoc in loco.*

ξίλῳ latina lingua augenda.

Sed hæc hactenus de substantia. A substantia transitur

ad

ad quantitatem, vt, vis magna: vis incredibilis: vis multorum armatorum hominum. A quantitate ad qualitatē, vt, vis crudelis, cruenta, sanguinolenta, immanis: vis cum parricidio coniuncta: vis nefaria patriæ illata. Post qualitatem sequuntur actiones, in quibus ordo est obseruandus, vt quæ prima sunt, primo quoq; loco ponātur: verbi gratia: qui vim facere volunt: illi dicuntur cogitare & meditari vim. Primum itaq; est, vim cogitare, vim meditari. Secundum est vim suscipere. Post cogitationem enim, post consilium sequitur susceptio rei. Proximum est vim adhibere, adferre, inferre. Vim adferre est aduentantis: adfert vim, qui etiam procul conspicitur, quando cum armatis militibus accedit. Infert vim, qui proximè accessit, id est, qui attingit. Sed propinquior est, qui adhibet, qui quasi manu ferit. Adferre, inferre, adhibere vim: sequitur Vim facere. Deinde transimus ad contraria: vim vi depellere: vim declinare, effugere: Elabi è vi atq; è necessitate. In eiusmodi institutione ordinis, oratio fit illustrior, clarior, copiosior: & copia nunquam potest oratorem aut scriptorem destituere. Vsus ordinis in analysi verborum.

Funesta reipublicæ pestis) *Est forma loquendi, qua vtimur in acrimonia, in hominibus vituperandis. Quàm variè illud possit dici, sciunt, qui mediocriter versati sunt in Cicerone: funesta reipublicæ pestis: sceleratus: sceleratus: consceleratus: facinorosus. Ad quem locum, Funesta reipublicæ pestis? Habetis locū generalem, GENVS DEMONSTRATIVVM. Orator enim maximè regnat in Epidictico dicendi genere. Propter genus hoc causſarum, quod vocatur demonstratiuum, & propter illam Ideam Hermogenis, & Rhetorum, quæ vocatur σφοδρότης, id est, propter vituperationes epidicticas: & propter laudes, potestis locum face-*

re generalem, LAVS, VITVPERATIO: aut, VIR LAVDATVS & ILLAVDATVS. Laudantur homines, propter virtutes: vituperantur propter vitia. Laus ad consequentia virtutum: vituperatio ad consequentia vitiorum. Iniustitia est vitium, est habitus animi vitiosus: iniustitia parit cædem, parit vim: vis iniusta vituperatur. Ad locum igitur generalem, VIR ILLAVDATVS, siue VITVPERATVS, hæc locutio referenda erit: Funesta reipub. pestis. Pestis est res ipsa: est etiam persona ipsa. Dicimus enim: seditionem esse pestem reipublicæ: item seditiosum esse pestem reipublicæ. Hoc loco pestis posita est loco personæ: est hypallage rhetorica. Satis erat dixisse, malum: magnum conuicium est, hominem nominare malum: maius est vocare improbum: maximum est vocare sceleratum. Ista sunt propria, propria, significantia: sed oratores addunt exaggerantia, & dicunt: Funesta reipublicæ pestis. Vocare malum, vocare improbum, grammatici est: cognominare sceleratum, item grammatici est. At pestem nominare, Rhetorici est: dare personæ, quod dandum erat rei, magis est oratorium, quàm grammaticum, vt funesta reipublicæ pestis. Pestis est quidem significans: sed sunt tantùm duæ syllabæ, præteruolant aures. Fac plures: Funesta reipublicæ pestis. Illæ syllabæ aperiunt et replent aures: vulnerant animos, & relinquunt aculeos in animis auditorum.

Repetitione auditorum imbecillitati succurritur. Hunc) Repetit eandem dictionem monosyllabã: manet in eodẽ vocabulo, vt res benè intelligatur. Populus est simplex, idcirco oratorẽ oportet succurrere imbecillitati auditorum.

Consulum scelere) Cõsules sunt duces exercitus. Vnus Imperator sæpè magis metuitur, quàm totus exercitus: Abstẽte Iulio Cæsare, cõtemnebantur Cæsaris milites: propterea dicit, & consulum scelere.

Seruorum

Seruorum delectu) *Oratio hîc videtur decrescere. Videtur Cicero exclamasse in principio, hic verò vocẽ amittere. Serui proposita libertate fortiter pugnant. Nihil tam horrendũ in exercitu, quàm seruus, cui promissa erat libertas.*

Obsessione templorum) *Locus est CAVSSA VICTORIAE. Habere ventum secundum: & aduersarios aduersum, caussa victoriæ est.*

Domo & patria) *Nihil iucundius est, quàm in domo sua esse. Domus est vocabulum non solùm rerum necessariarum, sed etiam suauium, iucundarum, & quæ habent delectationem. Non satis erat dicere, domo: sed addit, patria: domus est priuata: patria est communis.*

Cum improbis boni ferro dimicarent) *Dimicare cum aliquo, refertur ad PVGNAM, ad REM MILITAREM. Milites enim dimicare dicuntur: milites & ferro, & armis dimicãt. Dimicare cũ altero ferro: Boni cũ improbis, improbi cum bonis dimicant. Locus vnus REI MILITARIS: alter SEDITIONIS. Potest etiã referri ad MONOMACHIAM.*

Cedere coegisti) *Absq; multa, absq; pœna, indemnatum, indicta caussa. Cedere patria & domo, est in exilium ire. Titulus est POENA. Inscriptio specialis, EXILIVM. Exilium refertur ad CONSEQVENTIA IVDICIORVM. Iudicio enim habito, condemnatur reus, reus in exilium mittitur. Domo cedere est exulantis: Patria cedere est exulantis: duo sunt modi loquendi: domo & patria cedere, est tertius modus loquendi. Referuntur omnes ad locum EXILII: cuius duo sunt genera, vnum bonorũ & voluntarium, eorum sc. qui cedunt patria & domo sponte. Alterum non voluntarium, cùm quis cogitur cedere patria, & inuitus eijcitur.*

Desideratũ, accersitũ, reuocatũ) *Exulem desiderare: exulem accersere: exulẽ reuocare, ad quẽ locũ? Ad locũ EXILII.*

Exilium

Exilium quo? ad locum POENAE. Pœna quorsum? Ad locum IVDICII. Est etiam alius locus PRAESENTIAE & ABSENTIAE. Sed quò absentiam & præsentiam reuocabimus. Ad HOMINES, ad circumstantias actionis. Absentem et præsentem esse, ad CIRCVMSTANTIAM LOCI: Nemo agit nisi præsens: ad hominum conuentus, ad congressiones, ad societatem ciuilem.

Conseruandæ reipublicæ caussa) *Conseruare rempublicam: conseruare aliquem refertur ad SALVTEM. Ad quod genus rerum SALVS? ad fines actionum, ad fines consiliorum. Quæcunq; homines faciunt, aut pecuniæ caussa faciunt, aut gloriæ, aut salutis: actionum quasi primarium propositum est, ipsa salus. Conseruare igitur aliquem: conseruare rempublicam, ad MAGISTRATVM pertinet, cuius est rempublicam conseruare. Conseruant homines rempublicam: & domi, id est, in republica: & militiæ, vt Imperatores, vt milites.*

In senatum venire) *Venire in senatum: Venire ad rempublicam, ad quod volumen? ad artificialia, ad POLITICA scilicet: licet etiam ad alios referri possint. Cùm res vna ad diuersa loca potest referri, potestis vti arbitratu vestro. Sed quoniam Analysis maximè debetur Romanis atq; græcis: oportet vos in loco politices facere duo capita, RESPVBLICA ROMANA: RESPVBLICA ATHENIENSIVM: & duo illa capita ab inuicem seiungere & separare: vt quæ propria sunt Romanorum, ad rempublicam referantur Romanam: quæ propria Græcorum, ad rempublicam Atheniensium. Verbi gratia, Romanorum consules, prætores, quæstores, ædiles, ad rempublicam Romanam: Græcorum Archontes: præfecti rei frumentariæ, quos vocabant Episcopos, & similes, ad rempublicam Atheniensium.*

Quid faciendũ, cum vna res ad diuersa loca referri potest.

CAPVT

CAPVT XIII.

De ratione instituendæ Analyseos artium, quæ tota est Rhetorica.

HAEc hactenus dicta sint de resolutione, quæ dicitur λεξικὴ, quæ est dictionũ: sequitur analysis ῥητορικὴ, cuius rationem etiam vobis indicabo. De analysi Rhetorica

Dixi aliquoties, ad analysin dictionum duo requiri voluminũ genera: vnũ, quod deportari potest ad quæuis loca, et vocatur aduersaria: Alterum, quod bibliothecæ est, & dicitur Codex. Quod in hac dictionum resolutione obseruandum esse monui: idem in artis resolutione faciendum erit: vt non solùm diaria habeantur et codices verborum et formularũ: verùm etiã volumina obseruationum Rhetoricarũ. Volumina obseruationum Rhetoricarum.

Etsi autem omnes eos, qui amantes sunt puritatis: oportet habere diaria & codices huiusmodi analyticos: necessarij tamen præcipuè & inprimis sunt ijs, qui studiosi sunt eloquentiæ, id est, qui volunt non solùm purè loqui, sed etiam ornatè dicere, hoc est, qui non solùm volunt populum in comitijs, in concionibus, in omnibus cœtibus docere intelligenter: sed etiã aduersarios refutare: neq; solùm refutare veritate et argumentando: verùm etiã vi dicendi, et cõmouendo.

Et licet veritas, vt habetis apud Lactantium Firmianũ, operosam non requirat orationem: licet veritas aperta sit & simplex: licet ornatum non requirat, sed contenta sit, vt Lucretius ait, doceri: aduersarij tamen religionis efficiunt, vt eloquentia sit necessaria, in magistratu, atq; etiam in rebuspublicis. Sic cùm essent eo tempore, quo Lactantius Firmianus hæc scripsit, docti poëtæ & eruditi sophistæ: Lactantius propter hos maiorem sibi dicendi copiam optauit, quàm in se esse fateretur: optauit etiam Ecclesiam suo tempore instructam esse ab huiusmodi viris: qui non solùm veri- Occupatio

tate docerent: sed etiam vi eloquentiæ depellerent aduersariorum tela.

Vsus eloquentiæ magnus potissimũ in Ecclesijs.

Magnus eloquẽtiæ vsus est, cùm in legationib. et rebuspublicis administrãdis: tùm etiam inprimis in curãdis Ecclesijs, in refutandis hæreticorũ argumentis, et detegẽdis eorũ insidijs.

Papatus habet viros eruditos: multi sunt in Papatu, qui non solùm speciem habent bonorum virorum, et speciem præ se ferunt virtutis, verùm etiam viri sunt boni: multi sunt, inquam, in papatu, quos condemnare non possumus: quos retinet adhuc in illa statione auctoritas patrum et maiorum nostrorum: deinde etiam nostra vitia in nostris Ecclesiis, nostri mores, nostra dissidia, ambitio, auaritia. Hæc. n. vitia nostra faciunt, vt viri boni in papatu, partim dubitanter ad nos accedãt: partim etiã moriãtur in suis cœtibus.

Iesuitæ cur metuendi nobis.

Nullum est genus hominum, à quo nobis magis metuendum est, quàm Iesuitarũ: quoniã hæc secta noua est, et sunt homines isti callidi in calãdis suis vitijs et occultãdis suis insidijs.

Monachi superiorum ætatum fuerunt barbari: fuerunt inimici literarum & philosophiæ: & hoc nomine infesti fuerunt & importuni Erasmo Roterodamo piæ memoriæ, & ante eum Capnioni Reuchlino, ante hunc Tetrarchæ: sed fuerunt indocti monachi isti. Iam nescio quis spiritus inuenerit Iesuitas, qui studiosi sunt bonarum artium & disciplinarum, qui diligentissimam operam nauant Dialecticæ & Aristotelicis præceptis, atq; ita incumbunt in hoc studium,

Iesuitæ cur & quomodo patres legant.

vt magis sint Aristotelici, quàm theologi. Sed & patres legunt summa cura, & summa obseruatione, atq; etiam scholasticos Doctores, qui Patribus sunt acutiores: (non enim debemus contemnere Thomã Aquinatem, aut Lombardum, imò ne Scotum quidem: fuerunt. n. Dialectici acutissimi, et suas habent hasp inæ rosas, suas habent vtilitates: et de Virgilio

gilio dicitur, quòd ex stercoribus Enniānis auulserit et collegerit gēmas) hos, inquam, legunt ipsi Iesuitæ, et ex patribus conquirunt, & ex scholasticis corrogant scriptoribus, quibus nos & nostros oppugnent: ita, vt si vlla professio in vita humana opus habeat hoc tempore viribus eloquentiæ Theologorum certè inprimis his instructam esse oporteat.

Vt igitur ad rem redeā, non oportet solùm habere vos Diaria & Codices verborū & formularum: sed etiā volumina habere oportet obseruationum Rhetoricarum, notatis scilicet exemplis: oportet vos habere obseruationes paradigmaticas exemplorum, vt sunt troporum, id est, ornamentorū, quæ spectantur in verbis: vt sunt χημάτων, figurarum, quæ continent ornamenta, cùm verborum scilicet collocatorū et coniunctorum, tùm etiā sententiarū. Deinde oportet vos obseruare tractationes argumentorum, quomodo videlicet argumenta ab oratoribus tractentur, vt sunt argumenta sumta à definitione, à genere, à specie, à partibus, à cōiugatis, à differentibus, à similibus, à contrarijs, à repugnantibus, à coniunctis, à comparatis. Hæc enumero propterea, vt videatis ordinem, qui retineri debet in exemplis illis notandis. Vnum itaq; volumen in analysi Rhetorica troporum erit, alterū argumentorum. Argumenta autē comprehenduntur periodis. Periodi sunt vel μονόκωλοι, vel δίκωλοι, vel τρίκωλοι, vel τετράκωλοι: & hæ sunt veræ periodi, quæ propriè sic dicuntur. Sed oratores aliquando vtuntur etiā periodis quinorum, senorū, septenorum, octonorū et amplius membrorū: et hoc fit in genere dicendi graui, cum scilicet volunt facere illud dicendi genus, quod vocatur περίβολή apud Hermogenem.

Ad hæc Rhetoricæ resolutionis volumina, referenda etiam sunt exempla descriptionum, cuius generis multa

Ἐπάνοδος ad præceptum de diarijs conficiendis.

pulcherrima extant apud oratores et poëtas: vt apud Ciceronẽ depictas habetis Syracusas: apud poëtas varias descriptiones regionũ, vrbium, montium, syluarum. Sed quoniam hi duo, poëtæ scilicet & oratores, quædam habent communia, nonnulla etiam propria & peculiaria, non inutile erit vtrumq; genus inter sese componere & comparare.

Descriptionibus vicini sunt loci communes, id est, θέσεις *hoc est, tractationes quæstionum infinitarum, id est, tractationes syllogisticæ, hoc est, exornationes propositionum, quæ à Dialecticis vocantur maiores. Ea enim in re oratores excellunt philosophos, et maiores propositiones exornant, 1 rationibus positis, 2 appositis approbationibus, 3 subiunctis exemplis atq; similibus, 4 confectis conclusionibus, 5 commoratione in eodem loco.*

Sed non satis est obseruare has thesium ἐργασίας *& tractationes: ipsi etiam affectus & motus animorum, vt amor, odium, ira, beneuolentia, misericordia, seueritas et sæuitia, variè tractantur. Suas enim habent amplificationes & exaggerationes, suas etiam habent remissiones. In affectibus etiam maximis oportet moderatum esse oratorem, & maximè seruare decorum.*

Possent hæc seorsim tractari omnia: possent exordia omnia, omnes narrationes, confirmationes, refutationes & conclusiones seorsim scribi: & multæ sunt insignes narrationes apud Ciceronem, quæ seorsim positæ in volumine, et inter se collatæ maximopere iuuarent imitatorem. Sed in maioribus hisce partibus, nimis illud esset operosum: præcipua itaq; tantùm sunt deligenda: reliqua obseruanda & notanda in ipsis voluminibus oratorum & auctorum. Videamus tam methodum, qua vsus est Cicero in exordio orationis

pro

pro domo sua, & videamus ἀναλύσει ῥητορικῇ: *quoniam superiores scholas consumsimus in verbis et formulis resoluẽdis.*

Exordium orationis pro domo oratoriè solutum.

Cùm multa diuinitus, Pontifices, à maioribus nostris inuenta atq; instituta sunt: tùm nihil præclarius, quàm quòd vos eosdem, & religionibus Deorum immortalium & summę reipublicæ præesse voluerunt: vt amplissimi & clarissimi ciues Rempublicam benè gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando Rempublicam conseruarent. *) Est Periodus geminata: prima est ista:* Cùm multa &c. præesse voluerunt *) Est vna periodus & est integra.* Cùm multa diuinitus, Pontifices, à maioribus nostris inuenta atq; instituta sunt *) membrum vnum longum:* tum nihil præclarius *)* Periodorũ obseruatio vtilis & necessaria. *breue membrum* quàm quòd vos eosdem &c. præesse voluerunt. *) tertiũ membrum, rursus oblongum, longius priori. Est periodus* τρίκωλος, *trium membrorum, quorum primum et postremum sunt* σχοινοτενῆ, *medium est* κομματικόν.

Sequitur altera Periodus: Vt amplissimi &c. benè gerendo *) membrum vnum.* Pontifices conseruarent, *membrum alterũ. Et sic est periodus cõposita. Prior* τρίκωλος *est: altera* δίκωλος, *vtraq; autem longioribus mẽbris confecta.*

Quomodo igitur Cicero captauit amplitudinem dicendi hoc loco? Duplici methodo seu ratione, σχοινοτενίᾳ *scilicet, id est, productione membrorum: &* συνθέσει, *id est, connexione: ex paruis duobus fecit magnum: ex mediocribus duobus, vnum amplum: ex periodo* δικώλῳ *&* τρικώλῳ *fecit orationem* περιοδικήν, *non periodo vsus est: sed* περιοδικῇ περιβολῇ: *periodo circumducta. Quæ est periodus* περιβολική? *quæ cõuenit graui dicendi generi: quo vtimur in grauitate,* ἐν ἀξιώματι, *in dignitate,* ἐν ἀξιωματικῷ λόγω: ἐν περιβολῇ *id est, orationis genere circumducto. Quemadmodum autẽ*

Amplitudo quomodo æstimãda.

vtendum amplitudine? Amplitudo æstimanda est cùm rebus ipsis: tùm personis. Rebus, vt in hac caussa agebatur religio: agebatur salus reipublicæ: ipsa respublica. Res magna, magna opus habet oratione. Personis, vt iudices in hac caussa atq; consilio fuerunt Pontifices: hæc res, & hi homines requirebant hanc amplitudinem. Ergo hæc compositio referenda est ad locũ periodorum, & ad eam partem, vbi periodi sunt cõpositæ, geminatæ, duplicatæ, vel etiã triplicatæ.

Vis periodi qua in re posita.

Quam vim habet ista periodus, quantũ attinet ad officiũ oratoris? Facit aliquid orator hac Periodo, quod ad officiũ suum pertinet. Officium oratoris est, in Exordio conciliare beneuolentiam: reddere attentos auditores & Iudices: docere et dicere intelligenter. Hæc periodus inuenta est beneuolentiæ gratia. Magnificè enim & honorificè sentit de ipsis Pontificibus: ostendit eos religiones sapienter interpretari: summæ reipublicæ praesse: rempublicam benè gerere, eandemq; conseruare. Laus Iudicis coniuncta est cum ipsa caussa. Deinde hæc periodus, partim habet ὑπόθεσιν, id est, quæstionẽ finitam, cùm dicit, Quàm quòd vos eosdem etc. complectitur enim præsentes pontifices: partim habet θέσιν, cùm dicit: vt amplissimi & clarissimi ciues &c. In vna periodo habetis & hypothesin & thesin. Ergo latet in hac periodo syllogismus, est occultatus syllogismus: est κρύψις φιλοσοφική: syllogismus est κεκρυμμένος. Hæc enim est sententia.

Illi populi laudãdi sunt, qui voluerũt amplissimos et clarissimos viros præesse et religionib. Deorũ, et sũmæ reipublicæ.

Populus Romanus Pontifices præesse voluit & Deorum immortalium religionibus, & summæ reipublicæ.

Ergo diuina laus populo debetur Romano & Romanorũ maioribus. Est sententia politica: & hoc est, quod Cicero alibi dicit: Oratoris sententias debere sapere sapientiam, debere promi ex media philosophia.

In

In hac igitur conuersione composita, habetis exemplū periodorum compositarum: habetis etiā exemplū beneuolentiæ conciliandæ: cum ratione, non adulanter, imò philosophicè.

Quòd si vllo tempore magna cauſſa in ſacerdotum populi Romani iudicio ac poteſtate verſata eſt; hęc profectò tanta eſt, vt omnis reipublicæ dignitas, omnium ciuium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona, fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatiq; commiſſa, creditaq; eſſe videantur.

Prima περιγραφή, *hoc eſt, circumſcriptio fuit* σύνθεσις, *periodus compoſita: res autem, quæ continetur illa conuerſione, pertinuit ad* πολιτικήν, *ad ſcientiam ciuilem. Oſtendit enim, qualis debeat eſſe Pontifex Maximus: et qualis ſit auctoritas & conſilium Pontificis in republica: pertinuit etiā ad conciliandam beneuolentiam. Continuit enim laudem et auctoritatem Pontificum. Hoc, quod iam ſequitur, eſt* προσθήκη, *omninò rhetorica et oratoria appendicula: & pertinet ad* φιλοκαλίαν, *attentionem: habet motum, ſed motum tamen conuenientem exordio, motum mixtum, non expreſſum: motum duplicem, ſpei ſcilicet & timoris, ſed mixtè: non autem expreſsè & diſtinctè: habet amplificationem,* αὔξησιν. *Res magnæ ſpem adferunt, res magnæ concitant: eædem res ſolicitudinem etiam adferunt & metum, propter incertos & inſtabiles euentus rerum humanarum. Habetis igitur hoc loco* παράδειγμα, *exemplum, attentionis. Hanc periodum itaq; poteſtis in veſtro codice analytico reducere ad præcepta Exordij.*

Quòd si vllo) *Videamus, quomodo conficiatur amplificatio. Dicit, rem eſſe magnam: & diuiſione oſtendit, in quibus rebus illa magnitudo cōſiſtat: diuidendo & enumerando*

amplificat

amplificat. Tanta est, vt omnis reipublicæ dignitas)

Duo genera bonorũ. *Bonorum genera sunt duo: vnum eorum, quæ vocantur necessaria: alterum eorum, quæ vocantur honoraria, vt magistratus, vt honos, vt dignitas. Bonum magistratum inprimis decet dignitatem tueri ciuitatis, reipublicæ & populi.* Omnium ciuium salus) *bonum* ἀναγκαῖον: *per dignitatem, bona intelligit honoraria: per salutem, bona necessaria. Est plena diuisio bonorum dimanans ex ipsa philosophia. Bona enim, vt inquit Aristoteles in politicis, aut sunt necessaria, aut sunt honoraria.* libertas) *qui libertatem amittit, salutem amittit. Vocamus enim saluam libertatem: libertas etiã continetur inter bona salutaria, id est,* ἀναγκαῖα, *necessaria.* Aræ) *bona sunt suauia: quid hominibus gratius, quàm domus? quid gratius, quàm liberi, domicilia, dy penates, lares domestici?* Foci) *Focus est rei priuatæ, rei domesticæ. Focus perennis à Martiale numeratur inter ea, quæ faciunt vitam beatiorem.* domicilia) *continens pro contento. Familiam intelligit, coniugem, vxorem, liberos, & omnes, quicunq; chari sunt.* Vestræ sapientiæ) *In magistratu requiritur prudentia, id est, sapientia: iustitia etiam, id est, fides. Vbi autem magistratus non habet auctoritatem: ibi non habet locum, vbi potest consistere, propterea dicit, potestatiq; : est altera diuisio, sumta à persona pontificis, pertinens ad personam magistratuum. Exemplum igitur hoc primo loco pertinet ad præcepta Exordij Rhetorica, ad locũ attentionis. Deinde ad locum periodorum. Sed aliud est genus periodi, quàm fuit superius. Est enim periodus* κομματικὴ, *periodus scilicet dilatata* κόμμασι, *id est, incisis, habens* διάκοψιν, *id est, intercisionem membrorũ: incisim enim currit oratio: & id faciunt oratores* ἐν σφοδρότητι, *id est,*

in

in acrimonia, ἐν τραχύτητι, *in asperitate; in exaggerando: in rebus exaggerandis.* διάκοψις interctsio

Videamus iam membra. Quòd si &c. versata est) *Incipit grauiter, est membrum oblongum* ἀξιωματικόν. *Sequitur membrum breue, breuis quasi caudula:* hæc profectò tanta est) *membrum sex solùm syllabarum.* vt omnis rei publicæ) *etiam curtata oratio. Sequuntur iam commata, seu incisa: dignitas, omnium ciuium salus etc. Est periodus comparata & directa ad* ταχύτητα, *celeritatem: est periodus celeriter insistens: est periodus, cuius sententia dependet ex duobus postremis verbis, commissa, creditaq;. Orator itaq; festinare debet ad extremum, id est, ad perfectionem sententiæ.* membrorũ vbi locum habeat.

Huiusmodi genus periodorum adhibendum est in diuisione & amplificatione, cùm videlicet res magna ostendenda est enumeratione partium: cùm res, quanta sit, suis partibus ostendenda est. Sed finis huius periodi præcipuus est, audientia: studium audiendi. Res magnas libenter audimus, libenter discimus. In rebus magnis versatur metus & spes. Itaq; in ijs est motus quidem, sed motus infinitus, & incertus, inclinans in vtramq; partem, in partem boni, id est, spei, & in partem mali, id est, timoris.

Vobis hodierno die constituendum est, vtrũ posthac amentes ac perditos magistratus improborum ac sceleratorum ciuium præsidio nudare, an etiam Deorum immortalium religione armare malitis) *Hæc tertia est* περιγραφή *seu* περιτροφή, *& tertius quasi oratorius versus. Hoc enim discriminis est inter oratorem et poëtam, quòd poëta versus suos metitur pedibus: orator sententiæ absolutione: verbi gratia, illud apud Virgilium, Tityre, tu patulæ* Discrimen inter oratores & poëtas.

recubans sub tegmine fagi: poëtis est versus, sex dimẽsus pedibus, quatuor Dactylis et duobus Spondaeis: et ipse Virgilius fecit officium suum hac dimensione. Sed oratori non est versus, antequam perueniatur ad absolutionem sentẽtiæ, antequam hoc addatur: Syluestrem tenui musam meditaris auena. Quapropter si analysin hoc loco fecerimus poëticam, duo erunt versus: si oratoriam, vnus erit versus, seu potiùs, vt Oratores loquuntur, vna erit periodus, duobus constans membris, Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi: vnũ membrum. Syluestrem tenui musam meditaris auena: alterum: Hæc igitur periodus est quasi oratorius versus.

Vobis.) *Hactenus motus est concitatus* ἀόριστος, παθητικὸς ἀόριστος: *sequitur iam* παθοποιία διορισμένη, *id est, finita, seu* διακριστικὴ παθοποιΐας, *id est, motus illius distinctio.* Vobis.) *Vobis enim, Homines, qui in motu versantur, negligunt particulas rationis.* Vobis hodierno die constituendum est.) *Membrum vnum.* Vtrũ posthac amentes ac perditos magistratus, improborum ac sceleratorum ciuium præsidio nudare.) *Membrum secundum, quod non solùm oblongũ est, productum, dilatatum, extensum, explicatũ, sed etiã* περιοδικόν, *habens conuersionem quandam* περιοδικήν. *Est membrũ compositum:* κῶλον διπλοῦν, *membrum duarum partium.* Vtrum posthac amentes ac perditos magistratus.) *Vnũ mẽbrũ, quod casu separatur à sequenti. Sed quomodo potest hoc membrum esse, cùm sententia nondum sit absoluta? Illa dicuntur verè membra, quæ non habẽt absolutam sententiã: absoluta enim sententia est totum: membrũ autem est totius, id est, integræ sententiæ pars. Propterea in periodis resoluendis, non consideranda sententia, sed distinctio videnda et intercisio.* Improborum ac sceleratorum ciuium præsidio nudare

nudare.) *Pars altera sequentis membri, continens rem bonã. Inter res enim bonas numeranda est depulsio mali. Non enim solùm bonum est, id est, res expetenda, bonum comparare, possidere bonum: sed malũ depellere, etiam in bonis numeratur. Non solùm sanitas bonum est, sed etiam morbi depulsio & curatio, in bonis est habenda: vt hoc loco: nudare improbos præsidio.* An etiam Deorum immortalium religione armare malitis.) *Tertium membrũ, quod continet* τὸ κακόν, *id est, contrarium motum, scilicet metum et timorem. Armare amentes & perditos magistratus religione. Quomodo differt hæc periodus à secunda? Motu. Nam in priori motus est* ἀόριστος: *in secunda est finitus,* διακεκριμένος, *id est, distinctus. In priori est absq; forma: in secunda est* εἰδοποίητος. *Species magis docẽt, quàm genera: finita meliùs, quàm infinita.*

Nam si illa labes ac flamma reipublicæ suum illum pestiferum & funestum Tribunatũ, quem æquitate humana tueri non potest, diuina religione defenderit, aliæ cerimoniæ nobis erunt, alĩ antistites Deorum immortalium, alĩ interpretes religionum requirẽdi.) *Aliud genus compositionis: habetis hoc loco* χῆμα ἀντιθετικόν, *est oratoris hoc loco expolitio,* ἐπεξεργασία, *manet in eadem distinctione motus, manet in eadẽ* παθοποιΐᾳ, *quam dixi esse* εἰδικήν. *Idem rursus dicit, et idẽ de vtroq; dicit, de duobus contrarijs: sed idẽ dicit* χήματι ἀξιωματικοτέρῳ, *figura grauiori oratoria. Vtitur. n. orator duob. syllogismis hypotheticis, duab. hypotheticis propositionibus, duab. sententijs hypotheticis inter se contrarijs, quarũ prima continet rem malam: posterior autem continet rem bonam, est* ἀναστροφὴ *prioris. In tertia enim periodo incepit à re bona, & desit in re mala. Hoc loco*

incipit à re mala, & desiit in re bona, id est, in hypothesi bonarum rerum. Nam si illa labes ac flamma reipublicæ) *Membrum vnum: sententia non absoluta: membrum continens solùm* τὸ ὑποκείμενον, *subiectum, vt Dialectici vocãt. Sequitur prædicatum, membrum etiam, non absoluta sententia:* Suum illum pestiferum & funestum Tribunatũ) *Membrum secundum: sententia nondum absoluta, sed sententia* εἰρωμένη, *vt vocat Aristoteles, sententia adhuc pendula: nondum est oratoria propositio facta. Subiectum est positum integrum: prædicatum non integrum: deest enim verbum. Sequitur* διάκοψις, *id est, intercisio prædicati: membrum sc. tertium, quod interscindit secundum membrũ:* Quem æquitate humana tueri non potest) *membrum absolutum, non imperfectum. Est enim membrum continens absolutam sententiam. Sequitur prædicati absolutio:* diuina religione defenderit) *Quot membra habetis igitur? Tria.* Nam si illa labes ac flamma reipublicæ) *Primum.* Suum illum pestiferum & funestum tribunatum) *secundum membrũ.* Quem æquitate humana tueri non potest) *tertium membrum. Sequitur prædicati absolutio, quæ secundum membrum perficit. Et sic hactenus solùm habuistis tria membra. Sequuntur commata. Hactenus* ἀρχή, *principium periodi, triũ membrorum: sequitur iam redditio,* ἀπόδοσις κομματική, *rursus habens enumerationum malorum, seu rerum fugiendarum.* aliæ cerimoniæ nobis erunt) *comma vnum.* alĩ antistites Deorum immortalium) *cõma secundum. Sunt commata paria membris.* alĩ interpretes religionum requirendi) *Comma tertium. Hæc non est vera periodus. Vera. n. periodus constat vel* μονοκωλίᾳ, *vel* δικωλίᾳ, *vel* τρικωλίᾳ, *vel* τετρακωλίᾳ: *hæc verò habet sex partes:*

tes: tria mẽbra in propositione, tria cõmata in redditione: est periodus quasi sex membrorũ. Quemadmodum tertia periodus continebat res bonas in principio: dignitatem scilicet reipublicæ, salutẽ ciuium etc. Sic hæc cõtinet res malas: sceleratos sc. pontifices, vitiosas cerimonias, impios interpretes religionum. aliæ cerimoniæ *)* *vitiosæ*, antistites *)* *impij.* interpretes *)* *ignari.*

Sin autem vestra auctoritate, sapientiaq́, Pontifices, eaq́ furore improborum in republica ab alijs oppressa, ab alijs deserta, ab alijs prodita, gesta sunt, rescinduntur: erit causſa, cur consilium maiorum in amplissimis viris ad sacerdotia eligẽdis, iure ac meritò laudare possimus. *)* *Hactenus hypothesis vna, continens res malas: hypothesis tristis, excitans metũ: hoc loco sequitur hypothesis altera, continens contrarium factũ, desinens scilicet in re læta, in spe, in fortitudine, in lætitia.* Sin autem vestra auctoritate, sapientiaq́, Pontifices *)* *Membrum vnũ inchoatum, non perfectum.* ea, quæ furore improborũ in republica *)* *Membrum secundũ,* κατὰ διάκοψιν *factum, incisione. Intercisum enim est cõmatis.* ab alijs oppressa *)* *comma vnum.* ab alijs deserta *)* *cõma secundum.* ab alijs prodita, gesta sunt *)* *cõma tertium.* rescinduntur *)* *perfectio mẽbri. membra tria, commata tria hactenus.* erit causſa, cur &c. *)* *Desinit* ἀξιωματικῶς. *Est mẽbrũ oblongum, nõ spiritu impedito, interrupto, intercisso: sed spiritu magno et lõgo, et spiritu sese et suã fœlicitatẽ iactãte. Quid discriminis sit inter duas has periodos & superiores, apparet ex præcedentibus: vestrũ erit huiusmodi periodos in diaria et codices vestros referre: vt inter se cõparari possint.*

Et de duplici analysi, dictionum videlicet & artis, dicta sufficiant. FINIS.

INDEX SECVNDVM ORDINEM CAPITVM.

CAPVT I. pag.

Consilium auctoris in scholis institutis. 507.
Ἀφαίρεσις, remotio eorum, de quib. auctor non est acturus, eáq; rationib. munita. ibid. Θέσις agendorum. ibid.
Χρῆσις, vtilitas institutæ doctrinæ, declarata enumeratione incõmodorum, quæ ex neglecta hac oriuntur. ibid.
Vocabulorum inopia, causa neglectæ stili exercitationis, & consuetudinis declamandi. ibid.
Probatio cõparatione facta superiorũ et nostrorũ tẽporũ. ibid.
Auctoris de Valla, Hadriano, & Lexicis iudicium. 508.
In Lexicis uulgaribus quid desideretur. ibid.
Iulij Camilli consilium in resoluenda lingua latina. ibid.
Auctoris de Camilli instituto iudicium. ibid.
Theatrum Camilli. 509. Camilli laus & cõmendatio. ibid.
Causa, quare opus inchoatũ pficere Camil. nõ potuerit. ibid.
Cur res etiã bonæ et vtiles non temerè in lucem edendæ. ibid.
In Camillo quæ probarit aut improbarit auctor. 510.
Autoris consilium & institutum. ibid.
Ονομαθεσία nominis & vocabuli, item ἐπιγραφῆς ratio. ibid.
Διαίρεσις ἀναλύσεως in θεωρίαν καὶ πρᾶξιν. 511.
Μέθοδος artium tripartita. ibid.
Methodi analyticæ vtilitas & commoditas. ibid.
Πρᾶξις qua in re posita. ibid. Ὅρος τῆς ἀναλύσεως. ibid.
In ἀναλύσει quæ obseruanda. ibid.
Definitionis explicatio facta ὁμοιώσει, similitudine. ibid.
In ἀναλύσει p̃dicamẽtorũ doctrina primò cõsideranda. 512.
Secundò ἀναγωγή, reductio collectorum vocabulorum. ibid.
Rerum vniuersitas in quatuor capita distincta: diuina: naturalia: artificialia: humana. ibid.
Dialecticorum & Rhetorum in ἀναλύσει affinitas. 513.
Loci omnes analytici decem prædicamentis diuisi. 514.

Ὅροσ *substãtiarũ, qd p substãtias hoc in loco intelligatur. ibi.*
Διαίρεσισ, *diuisio substantiarum. Qualitas. Quãtitas. ibid.*
Ἀνάλυσισ *particularum cur necessaria.* 515.
Ad particulas quæ referenda. ibid.

CAPVT III.

Diuisionis institutæ ratio. 516.
Quomodo instituenda ἀνάλυσισ. ibid.
Obseruanda 1. ἐυμάθεια. *ibid.* 2. μνήμη *memoria.* ibid.
Finis ἀναλύσεωσ *non* γνῶσισ, *sed* ἐξ γασία καὶ πρᾶξισ. ibid.
Rationis huius facilitas. 517.
Duo in ἀναλύσει *requiruntur,* γνῶσισ καὶ φιλοπονία. ibid.
Φιλοπονία *discipulorum est.* ibid.
Ἐπισήμη καὶ γνῶσισ *præceptorum, quam auctor valdè modestè promittit.* ibid.
Occupatio, qua refutantur ea, q̃ obijci contra institutum opus possunt. ibid.

CAPVT IIII.

Διαίρισισ *seu partitio rerum diuinarum.* 518.
Primus locus de Deo ipso. Deus verus. Falsi Dij. ibid.
Deorum falsorum etiam instituenda consideratio & resolutio duabus de causis. ibid.
Secundus locus rerũ diuinarum est de religione. 518. 519.
Locus de Deo vnde compleri possit. 519.
Quomodo ex Cicerone, ad religionem veram, verba & formulæ loquendi transferendæ. ibid.
Præter Cice. etiam alij legẽdi, et in ἀναλύσει *adhibendi.* 520.
Lactãtij stilus proximè ad Ciceronis puritatẽ accedit. ibid.
Augustini lib. de ciuit. Dei vtiles ad augendam latinæ linguæ copiã. D. Hieronymi scripta adolescẽtiæ legẽda. ibi.
In Cypriano qd laudabile, qd vitãdũ. Tertulliani stilꝰ. ibid.
Cũ iudicio instituẽda ἀνάλυσισ, *et habendꝰ delectus verborum.* 521.
Vocabula rara multiplicia. Antiquata. ibid.

Quando

Quando & quomodo antiquatis vtendum. ibid.
Rara poëtica. ibid. *Poëtica nō negligēda sed notanda.* ibid.
Confusio poëticorum & oratoriorum verborum impurum reddit orationis genus. ibid. *Rara historica.* 522.
Rara sermone quotidiano. ibid.
Inuenta à nobis & nouata rara. ibid.
Vocabula quomodo inuenienda & excogitanda. ibid.
Imitatione et exēplo fingenda et facienda verba noua. ibid.
Res nouæ, noua requirunt necessariò vocabula. 523.
Rara, quæ à doctis parcè: indoctis sapè vsurpata. ibid.
In ἀναλύσει et congestione verborum, non tantùm singularia: verùm etiam vsitata, vulgata, communia colligenda. ibid.
Similitudinib. egregijs, qd collectori faciēdū, ostēditur. ibid.
Cur de consuetudine verba conquirenda. 524.
Communia laudantur, si acutam & eruditam habeant tractationem. ibid.

CAPVT V.

Sphæra cœlestes. ibid. *Elementa.* ibid.
Ad hunc locum complendum, qui auctores vtiles. 525.

CAPVT VI.

Ratio ordinis. ibid. *Διαίρεσις loci τριμερής.* 526.
Ethicæ diuisio. ibid. *Ad Oeconimicā quæ referantur.* ibid.
Politicæ diuisio. ibid.
Ars militaris comprehensa sub politica. ibid.
Logicæ diuisio. ibid.
Locus Dialecticus sub se quæ complectatur. ibid.
Ad locum rhetoricum quænam referenda. ibid.
Loci ex quibus complendi auctoribus. ibid.
Reiectio aliarum artium mechanicarum. ibid.

CAPVT VII.

Διαίρεσις *institutio ex sententia physicorum.* *ibid.*
Animæ diuisio. 527. 528. Πάθη καὶ ἕξεις *huius sunt loci.* 528.
Corporis diuisio. *ibid.* *Accidentia corporis.* *ibid.*
Officia singularum partium corporis humani. *ibid.*
Ἀπαρίθμησις, *enumeratio partium corporis p̃cipuarum.* *ibid.*
Ἀποδίωξις *longioris enumerationis.* 529.
Auctores, qui locum hunc complere poßunt. *ibid.*
Notatio uocabulorum de morbis & partibus corporis, ad tertium locorum genus referri potest. *ibid.*
Sensus & actiones hominis huius sunt loci. *ibid.*
Cauſſæ efficientes & finales huius sunt loci. *ibid.*
Vary hominum fines. 530.
Euenta actionum & consiliorum uaria. *ibid.*
Respublicæ huius loci quare sint. *ibid.* *Leges.* *ibid.*
Iudicia: Magistratus: Politica. 531.
Actiones oratoriæ: Senatoriæ: ibid. *Orationis diuisio.* 532.

CAPVT VIII.

Vocabula apud Ciceronem quomodo ad quatuor locorum genera referenda, exemplis indicatur. *ibid.*
Occupatio de singularibus, & solutio. 533.
Cognitis & notatis generalibus, non necesse est singularia persequi. *ibid.* *Occupatio alia de facilitate.* *ibid.*
Exẽplo se auctor Florẽtini cuiusdã architecti excusat. *ibid.*
Aliud exẽplũ ibid. Laudabile inuenire cognitu facilia. 534.
Satius contemni, quàm difficilia aut ἀδύνατα *tradere.* *ibid*

CAPVT IX.

In resolutione à Cicerone ordiendum. *ibid.*
Subsidia ex alijs auctoribus petenda. *ibid.*
Politica uocabula quibus ex auctoribus colligenda. *ibid.*
Physica unde conquirenda. *ibid.*
Inusitatis quando et quomodo utendum. 535.

Quotidiana vocabula vnde sumenda. ibid.
Plautus qualis. ibid.
In Plautina lectione & imitatione iudicium magnum requiritur, vt διάκρισις rectè instituatur. ibid.
Discrimen inter Plautum & Terentium. ibid.

CAPVT. X.

Rerum multarum nulla reperiuntur vocabula. 536.
Verba noua rectè vt inueniantur, quæ obseruanda. ibid.
1 *confugiendum ad genera.* ibid.
2 *descendendum ad species & formas.* ibid.
Vocabuli bombardæ auctor primus Erasmus. 537.
Derivatio instituēda imitatione aliorū, sed probatorū. ibid.

CAPVT. XI.

Ratio instituendæ analyseos, & conficiendorum voluminum, exemplo indicata. 538.
Primū genꝰ voluminū. ibid. *Aduersaria vnde dicātur.* ibid.
Secundum volumen bibliothecæ. ibid.
Discrimen inter duo voluminum genera. 539.
Tertium genus voluminum. ibid.
Volumen exemplorum oratoriorum. 540.
Ad narrationes quæ referenda. ibid.
Descriptiones rerū: Loci communes et theses rhetoricæ. ibid.
Argumētationū notāda exēpla: itē troporū et figurarū. ibi.
Instituendorū locorū cōmunīū diuersa diuersorū ratio. 541.
Iudicium auctoris de instituendis locis communibus. ibid.
Vtilitas locorum communium. ibid.
In resolutione magnis voluminibus non est opus. 542.
Editio Ciceronis Aldina & Riheliana commendatur. ibid.
Nizolij ratio. 543. *In colligēdo mutuæ operæ tradēdæ.* ibid.
Commendatio instituti operis. 544.
Voluptas literaria cum alijs confertur. ibid.

CAPVT

CAPVT. XII.

Particularũ obseruatio quam secũ vtilitatẽ adferat. 545.
Differentia inter particulas Cum & Tum 546.
Alia earundem particularum distinctio. ibid.
Geminatio particulæ Cum, Ciceroni vsitata. ibid.
Loco particulæ Tum Tamen positum. ibid.
Particula Tum, subijcitur Inprimis. ibid.
Adiunctio in eodem verbo, nominéue facta. ibid.
Particulæ Tum eleganter subijcitur Verò. 547.
Particulæ redditiuæ modis non semper respondent. ibid.
Particulæ Tum interdum Maximè & Certè additur. ibid.
Quando Tũ particula minoribꝰ et leuioribꝰ iungatur. ibid.
Particula Tum, Præterea elegantur adijcitur. ibid.
Præceptum Aristotelis: δῆ μεγάλα μείζω ποιεῖν προοδέσει. 548.
Particulæ Tum, Multò additur. ibid.
Exemplis pluribus particularum Cum & Tum vsus cur explicetur. ibid. *Differentia inter Inuenire et Instituere.* 549.
Inueniendi verbum latissimè patet. ibid.
Fingere vocabula noua ad Ciceronis imitationẽ licet. ibid.
Vocabulũ unũ ad multos diuersosq; locos referri potest. 550.
Discrimen inter Codicem & Diarium. ibid.
Ἀνάμνησις *repetitio eorũ, quæ tradita hactenus fuerũt.* ibid.
Vtilitas obseruationis particularum. 551.
Quid purum, perspicuum, elegans dicatur. ibid.
Particulæ Quàm explicatio. 552.
Eosdem particula. ibid. & 553.
συμπληρωτικαὶ *particulæ quænam dicantur.* 552.
Eosdem particulam duplex copulatiua sequitur. 553.
Religionis vocabulum ad quem locum referendum. 554.
In vocabulorum vsu & imitatione etiam pietatis & religionis ratio habenda. ibid.

Reipublicæ vocabulum, eiusq; synonyma. 555.
Quæ hic synonyma dicantur. ibid.
Respublica & Ciuitas vt differant. ibid.
Reipublicæ vocabulũ considerandũ primò in substãtia. ibid.
Vrbs vnde appellata. 556.
Consideratio vocabuli Reipublicæ in qualitate: quantitate: actione. 556. 557.
Duplex ratio instituenda in diarijs: confusa primùm & generalis: deinde distincta & specialis. 558.
Primæ rationis confusæ & generalis vtilitas. ibid.
Quis ordo instituẽdus in cõfusa vocabulorũ notatione 559.
Sententiæ in orationibus diligenter obseruandæ, quia loca ostendunt. ibid.
Præesse reipublicæ quid, & quæ synonyma habeat. 560.
Summæ reipublicæ, homonymon. ibid.
Discrimen inter præesse, præesse velle, & præficere. 561.
Cuius vocabulum ad quem locum referatur. ibid.
Vocabuli Clarissimi abusus. ibid.
Reipublicæ vocabulum latissimè patens in analysi. 562.
Locus de republica in analysi generalis. ibid.
Reipublicæ Romanæ vocabula cur resoluẽda et notãda. ibid.
Gerere benè rempublicam aut simile. 563.
Benè rem gerere quid Horatio significet. ibid.
Interpretari religiones quid sit apud Ciceronem. ibid.
Sapienter interpretari religionem quis dicatur. ibid.
Gerundia ad eosdem, ad quos verba, locos reducenda. ibid.
Romani, vbi Græci participijs vtũtur, gerũdia adhibẽt. 564
In resolutione formularũ etiã παραδειγμάτων *ratio habenda.* ibid.
Tria considerãda in analysi. ibid.
Caussa versari in iudicio aut foro aliquo quomodo dicatur. ibid.
Politia omnis circa quæ versetur. 565.

Differentia inter fortunas & bona. ibid.
In imitatione quomodo occultatio instituenda, vt furtum non deprehendatur, & imitatio prudens sit. 566.
In iudice quæ commendanda & requirenda. ibid.
Verbum Committendi quibus cum iungatur. 567.
Consuetudo oratorũ in iungendis vocabulis obseruãda. ibid.
Vtilitas huius obseruationis. ibid.
Credere aliquid alicui quid sit, et quo pacto vsurpetur. ibid.
Discrimen inter credere & committere aliquid alteri. 568.
Vtilitas instituendorum Aduersariorum. ibid.
Differentia inter hodie & hodierno die. ibid.
Quæ ratio instituẽda in Aduersarijs et quæ in Codicibus.
In locorum notatione quid spectandum. ibid. 569.
Quid sit constituere aliquid. ibid.
Differentia inter statuere & constituere. ibid.
Nudare verbum quid & quò referendum. 570.
Labes ac flamma reipublicæ quis dicatur. 571.
Pestifer & funestus magistratus. ibid.
Pestiferum & funestum vt differant. ibid.
Humanitatis vocabulum quò referendum. 572.
Aequitas humana quid. ibid.
Tueri aliquid æquitate humana. ibid.
Verborũ proprietas in analysi linguæ latinæ obseruãda. ibid.
Officij vocabulum, ad quem titulum referendum. ibid.
Defendendi vocabulum quomodo vsurpetur. 573.
Requiruntur necessaria & vtilia. ibid.
Antistitis vocabuli vsus in nostra religione. 574.
Discrimen inter antistitem & interpretem religionis. ibid.
Sapiẽtiæ vocabulo quãdo et quib. in reb. latini utãtur. 575
Furoris vocabulum. ibid. *Opprimendi verbum.* ibid.
Deserere & prodere quo pacto differant. 576.

Duo genera aduersariorum seu diariorum. ibid.
Rhetorum veterum in docendo quæ consuetudo fuerit. 577.
Rescindere aliquid. ibid.
Consilij vocabulum quò pertineat. 578.
Virtus, eiusq; ἐπόμενα, quo ordine in analyticis ponenda. ibid
Deligere & præficere quomodo differant. ibid.
Demens homo quis dicatur. 579.
Vtile in instituenda analysi præceptum. ibid.
Contrarij etiam in resolutione ratio habenda. ibid.
Aditū ad aures alicuius habere, formula vsitata Cic. 580.
Puto verbum quò pertineat. ibid.
Cogitatio, opinio, iudicatio differunt, vt antecedens & consequens. ibid. *Omittendi vocabulū quò referendū.* ibid.
Oratio & Conuicium quomodo differant. 581.
Per conuicium quid Cicero intelligat. ibid.
Muniendi verbum, ad quem sit locum referendum. 582.
Ac primùm, modus loquendi latinus. ibid.
Homo vesanus ac furiosus. ibid.
Locorum multorum cognatio & consociatio. 583.
Præceptum vtilissimū de augenda latinæ linguæ copia. ibid.
Requirere, Rogare, Interrogare differunt. ibid.
Interrogatio ad quem locum referatur. 584.
Discrimen inter scelus & flagitium. ibid.
Vexandi vocabulo quomodo latini vtantur. 585.
Locorum notatio & obseruatio, eiusq; vtilitas. ibid.
Sustinere quam significationem habeat. 586.
Coniungere sententiam suam cum alicuius honore. 587.
Aliter sentire quid. 588.
Vtrumq; latinè dicitur, hoc tempore, et in hoc tempore. ibid.
Circumstantiæ vbi ponendæ. ibid.
προσδιόρθωσις *&* προσδιορθωτικαὶ *particulæ.* 589.

Dicere sententiam. ibid.
In analysi verborum quis ordo seruandus. 590.
Discrimen inter duplicem ἀνάλυσιν *lingua & artis.* ibid.
Grammatica vocabulorum obseruatio. ibid. & 591.
Oratoria notatio vocabulorum. 591.
Scelus, peccatum, flagitium differunt. ibid.
Oratores cur vehementiore & copiosiore oratione, quam Dialectici vtantur. 592.
Commoratione cur oratores vtantur. ibid.
Rerum differentium vocabula, sine conuenientia. ibid.
Επάνοδος *ad dictionum resolutionem.* 593.
Locus vnus sæpè per aliquot duci prædicamẽta potest. ibid.
VIS vocabulum etusq; significatio. ibid. *Vis duplex.* ibid.
Vis à peccato & scelere quomodo differat. 594.
Inter substantias et substantiua, quoad vocabula, exiguum discrimen. ibid.
Vis, manus, impetus, incursio, violentia, synonyma. 595.
Analysis inchoanda ab aoristis & generibus: finienda in speciebus & singularibus. ibid.
ζήλω *latina lingua augenda.* 596. *Lexica vnde ieiuna.* ibid.
Vis considerata in quantitate, qualitate, actione. 597.
In actione ordo obseruandus naturalis. ibid.
Vsus ordinis in analysi verborum. ibid.
Funesta pestis reipublicæ. ibid. *Auriũ habenda ratio.* 598.
Repetitione auditorum imbecillitati succurritur. ibid.
Dimicare verbum quò referatur. 599.
Domo & patria cedere. ibid.
Desiderare, accersere, reuocare exulem. ibid.
Quid faciendum, cùm una res ad diuersa loca referri potest. 600.
Distinctio & separatio instituenda, Romana & Atheniensis reipublicæ. ibid.

CA-

CAPVT. XIII.

De analysi Rhetorica. 601.
In analysi dictionum, duo volumina necessaria: Aduersaria & Codex. ibid.
Volumina obseruationum Rhetoricarum. ibid.
Codices analytici necessarij & vtiles, cùm alijs, tùm eloquentiæ studiosis. ibid.
Occupatio, Veritas ornatum non requirit. ibid.
Copiam dicendi cur expetere necesse sit. ibid.
Vsus eloquentiæ magnus potißimum in Ecclesiis. 602.
Iesuitæ cur metuendi nobis. ibid.
Monachi superiorũ tẽporũ cur literatos et literas oderint. ibid
Iesuitæ magis Aristotelici, quàm theologi. ibid.
Iesuitæ cur & quomodo Patres legant. ibid.
Επάνοδος *ad præceptum de diarijs conficiendis.* 603.
Obseruationes exemplorum paradigmaticæ quo sint modo & ordine instituendæ. ibid.
Exornationes propositionũ maiorum quomodo fiant. 604.
Exordium orationis pro domo oratoriè resolutum. 605.
Periodorum obseruatio vtilis & necessaria. ibid.
Amplitudo dicendi quo sit cõparata captataq; modo. ibid.
Amplitudo quomodo æstimanda. 606.
Vis periodi qua in re posita. ibid.
Antè dictorum repetitio seu renouatio. 607.
Exemplum attentionis. ibid.
Duo genera bonorum. 608.
Διάκοψις *interciſio membrorum vbi locũ habeat.* 608. 609.
Discrimen inter oratores & poëtas. 609.

FINIS.

**
*

SCHOLA ARGENTINENSIS.

Hoc est,

EPISTOLARVM IOANNIS *STVRMII CLASSICARVM ET Academicarum* χηματισμοὶ, *confecti*

A

IOANNE LVDOVICO HAVVENREVTERO.

Cum præfatione Ioannis Sturmij.

AD LECTOREM.

Editioni librorum Sturmianorum, qui hoc Primo Volumine comprehensi sunt, visum est has pagellas coronidis loco apponere, non tantùm, quòd ex Sturmianis epistolis Classicis & Academicis confectæ sint: Verùm etiam, quòd quandam quasi ἀνακεφαλαίωσιν *præcedentium contineant, quæ redintegrandæ memoriæ valdè accommodata esse censetur. Quare nostrum hoc studium gratum tibi acceptumq; fore planè persuasi sumus. Vale.*

SCHOLA ARGENTINENSIS

Hoc est

EPISTOLARVM IOANNIS STVRMII CLASSICARVM II

Ad

IOANNE LVDOVICO HAVGVLFTERO.

AD LECTOREM.

IOANNES STVRMIVS IOANNI LVDOVICO HAVVENREVTERO S. P. D.

QVOD EPISTOLAS MEAS CONSTITUISTI Classicas atque Academicas contrahere: & quasi in tabulis figurare: vereor ne tibi accidat, quod olim Lutecię Iacobo Omphalio: qui cùm in angustum Quintiliani Rhetoricas institutiones coëgisset: id assecutus est: vt neque Quintilianus multa tradidisse: neq; ipse rem magnam fecisse videretur. Sed tamen mihi placet industria tua Ioannes Ludouice: & grata mihi est tua erga me beneuolentia: vel potiùs studiũ erga scholas nostras: quod si in alijs fuisset: aut esset, in quibus esse deberet: minus gymnasiũ nostrum annos iam quatuor & amplius detrimentorum accepisset: nunc verò vt Prophetarũ scripta: sic ista in patria sua neglecta, iacent. Scripsi multa de scholis instituendis, & de emendandis studys Philosophiæ: vt de amissa dicendi ratione: vt de ludis literarum aperiendis: vt de Lauingano gymnasio: vt de nobilitate literata: quæ omnia inter se discrepare non arbitror: neque ab his duobus generibus epistolarum dissidere existimo: neque ab vllo vnquam sensi reprehendi: certè publicè nemo vituperauit: præter vnum, si quis sit, Tragopithecum. Doctis enim scribo: talium hominum calumnias contemno: neq; quod factu opus est iubeo aut mando: sed indico & demonstro, quod mihi optimum genus Academiæ esse atq; fuisse videatur.

Sed etiam ego pecco: cùm mihi displicent, quibus ista non placent: veruntamen etiam isti errant: qui hæc, quia non placent neq; intelligunt: irrident: vt Horatius ait solenniter.

Meum certè institutum difficile & arduum est: & quod cum Athenienſium tribus gymnasijs contendere de gloria videatur: Academiæ, Lycei, Stoæ: vel potiùs quod ex his tribus compositum sit: & excellentius aliquid videatur promittere: si rectè intelligantur, quæ his duobus generibus epistolarum comprehendi: præsertim si alteri duo accessissent libri epistolarum: quos in lucem edere constituera m: nisi nescio quæ me impedissent.

Dum ergo nos cessamus: ab alijs anteuertimur: & laudem inuentionis amittimus: & illos sinimus immortalem consequi gloriam. Audio enim Lutecia Academiam institui: in qua omnes artes atque disciplina non solùm doceantur: verùm etiam

etiam exerceantur: nullâque hora vacua sit toto die: quæ suis careat magistris et ludis liberalibus: Militaris etiam ars: & Musica ita tradantur: vt quasi exercitari pedites atque equites: & Musicorum omne genus: ex eo ludo copiosissimè expectẽtur. Atq; hoc audio institutum ita placere Regi: atq; Galliæ principibus: vt liberos suos ad hoc Collegium mittere constituerint: quidam etiam iam mittant: Rex etiam atque Regina stipendia perpetua contribuerint: et alij principes idem propositũ habeant facere. Hæc ipsa mea ratio fuit: meumq; institutum. In Italia etiam Academicas habent συζητήσεις: sed Gallia magnificentius aliquid videtur promittere: si vera sunt, quæ superioribus hisce diebus audiuimus. Nostra certè συζητήσεις: etiam vt nouæ in Gallia Academiæ: non solùm Theoremata continent: verùm ἀσκήσεις καὶ μελέτας requirunt quotidianas. Quamobrẽ Gallicani isti viri: tametsi inuentione nos non anteuerterint: tamen actione atque exercitatione antecurrunt. Licebit tamẽ nobis cum illis contendere: multa enim illis, vt etiã nobis desunt: quæ sunt inuenienda: vt tibiæ dextræ atq; sinistræ: vt Theorica & Theatrica omnia: vt militaria instrumẽta: vt exercitationes militares Romanorũ atq; Græcorum: & Platonis atq; Xenophõtis συμπόσια habeant, quib. exerceamur. & adhuc Archimedis columba latet, neque in aëre nostro volare potest: & περιβόητον eiusdem Geometræ ὄργανικὴν: qua Marcellũ in obsidione Syracusarum terruit: nos admirari possumus: oculis autem suis nemo adhuc omnium nostrũm potuit cernere. In Musicis exercitationibus: velim nos posse ex sepulchro euocare Melchiorem Volmarum: & Ioannem Sleidanum, quorum vterq; suauissimè cecinit: sed adhuc senem habemus septuagenarium, Medicum Ioannem Andernacum: opinor enim Cygneam illius vocem nondum senectam ita debilitasse: vt non

Dulcia defecta moduletur carmina lingua:

Hunc enim adhuc cum Christophoro Montio, & Petrum Medmannum solos ex magno veterum & primorum in patria amicorum superstites habeo. Sed de Musicis exercitationibus, & de similibus gymnasijs aliâs: cùm primùm mihi memet restituero. Nunc ad schematismos tuos redeo: quos licet tibi per me diuulgare, nudos quidem: verecundos tamen, vt confido, & cupidos magis publicæ commoditatis: quàm sibi vllam laudem ingenij arrogantes. Itaque facilè patior hos te verecundissimum adolescentem in lucem atque in theatrum hominum eruditorum iudicandos atque defendendos producere: Vale. Argentorati Calendis Iulij Anno 1571.

SCHO-

Academia Argentinensis in duos diuiditur ordines: quorum

VNVS est Curiarum, qui decem continet tribus: in quarum singulis quæ doceantur, Vide signo A.

ALTER auscultationum publicarum. Harum præfectorũ consideratur

Numerus, perpendenda vel

Rei tradendæ diuersitate quæ requiritur

- Theologos.
- Iuriperitos.
- Medicum.
- Historicum.
- Mathematicum.
- Dialecticos.
- Rhetores.
- Physicos.
- Ethicos.
- Græcum professorem.
- Hebræum interpretem.
- Musicum.

PERSONARVM multitudine: quæ in artibus & Philosophiæ disciplinis singulis, binos desiderat præceptores, qui separatis in locis, sed ijsdem horis doceant: distinctione librorum atq; ingeniorũ facta, ut faciliora tradantur imbecillioribus: difficiliora peritioribus demonstrentur. Hæc officiorũ coniunctio & horarum separatio efficit, vt

PRIMVM biennio quisq; suum munus consummet.

DEINDE, confusio ingeniorum vitetur, & docti ab indoctis, aut minùs eruditi ab eruditioribus segregentur.

TVM, facilior sit animaduersio vitiorum, & virtus suas audiat quotidie laudes: & disciplina non minor sit publicarũ scholarum: quàm in classibus est.

POSTREMO aptiùs agatur cum studijs: si quisq; sua & suis & sua ratione bona tradat.

Officium

- Docendo.
- Disputando.
- Declamando

De his vide signo B.

ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ *generalis, complectens summatim docendi modum in classibus vsurpandum.*

- *Explicationem perspicuam & BREVEM.*
- *Cognitione: quae requirit*
  - *Memoriam firmam Hæc comparatur partim*
    - *Si inchoëtur in singulis: constituatur in omnibus.*
    - *Renouatione et repetitione traditorum QVOTIDIANA.*

Omnis classiũ doctrina cõsistit in præceptionum Grammaticarum, Rhetoricarum, & Dialecticarum

- *Exercitatione & vsũ: qui est in opere vel*
  - *Alieno. Resoluendis & ad artis loca referendis scriptis*
    - *Oratorum*
    - *Poëtarum*
    - *Historicorum*

    tum → *Græcorum.* / *Latinorum.*
  - *Nostro. Si alios imitemur tum scribendo, tum commentando: quæ amulatio perficitur exercitatione stili: in qua opus est*
    - *Scriptione QVOTIDIANA.*
    - *Opera præceptoris: vt præeat in ijs, quæ cognita nondum sunt: subsequatur in ijs, in quibus erratum est, idq; non voce solùm: sed scriptura etiam in tabula.*

TABV-

A TABVLAE SPECIATIM DECLARANTES QVID ET QVO ordine in vnaquaq; Curia docendum sit.

In decima adolescentes propè infantes pueri accipiant & adipiscantur primam

- *Disciplinam virtutum: qua magistri diligentiæ committitur.*
- *Doctrinam artium atq; disciplinarum. qua est, vt cognoscant*
  - *Literarum singularum formas. Orationis lectionem et pronunciationem. Nominum & verborum inflexiones*
    - *Hæc cognoscenda sunt: principio facto non à partibus catecheseis: quamsi Germanicã teneant: nõ est necessarium proponere Latinã: sed ab inflexionibus nominum & verborum. Vnde duo commoda assequitur magister: vt*
      1. *Adolescentulus nullo fastidio adipiscatur legendi facultatem.*
      2. *Id mandet memoriæ: quod discere est necessarium: & sine quo consistere non potest doctrinæ coædificatio.*
- *Rationem literarum figuras scitè faciendi.*
- *Institutionem Christianæ religionis: in qua curandum, vt eius, quod domi didicerunt, non obliuiscantur: quod desit, id & domi à parentibus, & in scholis à præceptore addatur: iis horis, quæ huic disciplinæ sunt constitutæ.*

In nona
- 1. Inflectendi nomina & verba facultas augeatur & confirmetur: & NIHIL huius Curiæ discipulis sit inflexibile: præter ea, quæ flexibilia suapte natura non sunt.
- 2. Copia atq; facultas vocabulorum acquiratur: quæ acquisitio in tribus consistit, vt
  - I. Vocabula earum rerum omnium: quæ in quotidiano versantur vsu: quæ sensibus hominum sunt explicatæ: quæ videntur in corpore hominis: quæ in pecudibus: quæ sunt in culina: in cella vinaria: in cella frumentaria: ad cœnam quotidianam adferuntur: in hortis conspiciuntur, herbarum, fruticum, arborum: in scholis vsurpantur: in bibliotheca: in templis frequentantur: in cœlo sensus quotidie hominum mouent
    - Distinguãtur
      - Generibus & Formis.
      - Integris & Partibus.
      - Societatibus: Inimicitijs.
      - Proprijs notis Diuersis.
      - Signis.
      - Causis.
      - Effectis.
  - II. Singulis quotidie SINGVLA proponantur vocabula: sed DIVERSA: verùm sub eodem genere rerum posita: sitq; verborum & nominum inter pueros in scholis commutatio.
  - III. CREBRO quæ tradita reuocentur ad memoriam, præsertim difficiliora, quod fit tum
    - In diaria referendo.
    - Interrogando, Cuius duplex modus.
      - Vnus si magister ipse interroget ex loco remotiore: & vnus respondeat voce contenta & clara, vt ab omnibus audiatur.
      - Alter si ipsi adolescentuli sese interrogent, συσοιχίαις factis.

I. *Ea omnia in memoriam reuocentur pueris: quæ in Curia nona didicerũt, quæ cuiusmodi sint: in libris exemplorum, et in diarijs videre est, seuereq; in illum animaduertatur: quicunq; in his conseruandis sit negligens. PRÆCEPTVM hoc in omnibus retinendum est Curijs.*

2. *Verborum & nominum copia amplificetur: & quæ in nona tribu didicit singula, in hac coniungantur.*

3. *Volumen habeant pueri singulorum, binorum, ternorum, quaternorũ membrorum, omne genus comprehensionum: quas Græci περιόδους nominant: in quibus sententiæ comprehensæ sint: quæ ad vtilitatem aliquam vitæ: & ad mores atque disciplinam pertinent.*

4. *Ad inflectendi nomina & verba rationem: addantur reliquæ orationis partes: atq; singulis partibus suæ attribuantur definitiones atque partitiones: declinationes nominum discernantur: genera illorum distinguantur: idem in verbis fiat, & cæteris orationis partibus.*

In octaua

5. *Ciceronis delectas à D. Sturmio epistolas interpretetur magister. Atq;*

I. *In ijs ita properet, vt necessaria non PRÆTERE ANTVR: ita commoretur, vt NIHIL nisi NECESSARIVM, exerceat.*

II. *Singulis decurijs singulas: aut in vna decuria binas proponat epistolas: quas ad verbum interpretentur pueri.*

III. *Epistolas pueris RESOLVAT: quarum vnumquodq; verbum ad sua artis Grammaticæ loca queant reducere.*

6. *Stilum attentet præceptor posterioribus mensibus. Nam sex primis mensibus officium faciet: si loquendi modos: & sententiarum formulas integras generibus, casibus, modis, temporibus, personis, verbis, nominibusque vel diuersis: vel idem significantibus: vel eodem pertinentibus. commutet: & accommodet vsui & loquendi consuetudini quotidianæ: denique si loqui eos doceat.*

In septima

1. *Orationis latinæ consecutio: quam Syntaxin Grammatici Græci nominãt, tradatur: hæc regulis non sit nimis numerosa, sed breuis: verbis clara: exemplis aperta: latinis maximè, Ciceronis inprimis, vt est ea, quam Theophilus Golius confecit. Harum regularum memoria & vsus confirmetur.*

I. Ἀναλύσει QVOTIDIANA tum
- *Epistolarum Ciceronis.*
- *Illorum, quæ in volumine periodorum explicantur.*

II. Renouatione eorum, quæ in classibus audiuerunt inferioribus.

2. *Epistolæ delectæ proponantur: singulis pueris singulæ vel epistolæ: aut epistolæ pars, si sit prolixior: vel periodi singulæ longiores: breuiores binæ singulis proponantur interpretandæ ad verbum. Sed crebrò iteranda ista sunt: & commutandæ personæ vnà cum rebus, quæ singulis commissæ sunt: vt singuli pro vniuersis videantur respondisse primi: vniuersi verò eadem cognouisse omnia.*

3. Stilus detur pueris in manus: in cuius exercitatione magister operam dabit, vt 4. Catechesis pueris proponatur ea: quam didicerunt in gradibus humilioribus: ne tempus consumatur: meliora negligãtur & hæc ætas superuacaneo labore vexetur: & memoria non augeatur: sed distrahatur magna molestia, nulla vtilitate.

I. Ὑπόθεσιν rei NOTÆ sit: et APERTÆ gestione personis, locis, temporibus. Et argumenta non sólùm sumat ex his, quæ heri aut nudius tertius cognouerunt: sed REVOCANDA etiam, quæ in Curijs audiuerunt inferioribus: inde repetenda nomina, verba, formulæ: vnaq; comprehensione verborum res vnius generis omnes amplectantur pueri absq; molestia.

II. Non LONGA sit ὑπόθεσις: & vel incisim vel membratim principio præcipuè: comprehendat atq; absoluat sententiam: paulatim ad κῶλα & τρίκωλα & τετράκωλα veniendum est.

III. Rerum nominet vocabula: eaq; coniũgat & formulã ponat ob oculos, non VOCE sólùm: verùm etiam SCRIPTVRA in tabula: imò hypothesim à se compositam voce præeat: semel, iterum, sæpius, ita vt puer manu vtatur sua & stilo suo: sed magistri voce atq; beneficio.

IIII. Istud QVOTIDIE faciat: aliquando etiam iterũ atq; iterum quotidie: sed ita, vt nullum existat fastidium.

V. Diebus festis, aut pridie festorum Catechesis ex patrio sermone in latinum traducatur: latinis verbis: & latinis sententiarum formis, nisi cùm religio nostra propria habet vocabula: quæ propter Ecclesiæ autoritatẽ, suã autoritatẽ habere debent: vt non modo pura sed etiam sacrosancta habeantur.

Ista exornentur ὁρισμοῖς: ἰσοδυναμίαις, ἐπιθέσεσιν.

1. *Addantur quæ in Ordinibus inferioribus nondum sunt tradita: in quibus sunt orationis latinæ consecutio, quæ figurata dicitur. & linguæ Græcæ elementa: & tum in his, tum in reliquis eandem CVRAM adhibeat magister, facilitatis, perspicuitatis, puritatis, copiæ, in docendo, interrogando, exercendo: quam adhibere debent inferiorum tribuum præfecti.*

2. *Epistolæ Ciceronis longiores: principio singulæ diuersi argumenti singulis proponantur decurys quas pueri interpretentur sermone patrio: deinde etiam plures singulis decurys diuersis scriptæ temporibus: & de rebus diuersis atq; varijs.*

3. *In carminum voluminibus, videat primus decurio: cognoscat aut ex præceptore: aut ex aliquo superiorum tribuum aut à suo didicerit pædagogo: & ab horum aliquo adferat hymnum Ambrosij Episcopi: Veni redemptor gentium: Ostende partum virginis: proferat eodem modo secundus decurio epigramma Martialis: Vitam quæ faciunt beatiorem, Iucundissime Martialis hæc sunt. Apportet tertius Horatianam oden: Rectiùs viues Licini neq; altum. Hi præceptori primùm interpretentur: & ei de omnibus respondeant: idem ipsi à contubernalibus exiganti: voce clara vt reliquæ decuriæ exaudiant. Idem in volumine exemplorum fiat, & epistolis: siue interpretandum quid sit siue dissoluendum, siue mandandum memoriæ.*

In sexta

4. *Vocabula non singulis singula aut bina proponantur. singuli suas partiones vnius loci & generis expediant. Sed non TOTAS partitiones necesse est persequi: aliqua relinquenda sunt altioribus gradibus: ea deligenda sunt, quæ huic loco, & huic ætati congruunt.*

5. *Stilus dicendi opifex non negligatur: sed in eo animadvertatur, vt*

I. *In eo loco incipiat EXPOLIRE magister: vbi septimæ Curiæ præfectus exercere ipsum desijt: eadem verò illud faciendum ratione.*

II. *Hypotheses sint longiusculæ: veruntamen non MVLTIS membris: minùs multis periodis.*

III. *Sint comprehensiones CONFERTÆ rerum verbis, quæ vnius sunt generis. non omnis, & quæ varietatem vel requirunt. vel patiuntur.*

IIII. *Sit stilus atticus puritate, acumine, perspicuitate.*

6. *Catechesin latinè extremo hebdomadis die & festo die magister persequatur: Hieronymi etiam quasdam epistolas, vtiles propter religionem, elegantiam, doctrinam.*

1. Poëtarum APERIATVR ars: & syllabarum ostendantur longa, breuia, communia tempora: numerorum & pedum ostendantur genera: versuum & carminum discrimina: & illorum omnium EXEMPLA ob oculos ponantur.

2. Ciceronis Cato aut Lælius recitetur: & Eclogæ Virgilianæ COGNOSCANTVR, quæ ita EXPLICANDÆ sunt: vt intelligatur, quæ fuerint Poëtarum nouem Deæ: quæ Gratiæ, quæ Parcæ: quid Naiades: quid Hamadryades: quid Parnassus: quid mons Helicon, &c.

3. ORDO ita instituatur in explicandis scriptoribus: vt quotidie vnam à præceptore Virgilij Eclogam benè intellectam pueri domum referant. Idem faciendum est in volumine comprehensionum, & poëtico: in quo versus sunt omnis generis: & exempla multarum rerum: quæ in carminibus conficiendis EXERCENDA sunt imitatione.

4. Singuli pueri singulos absoluant locos: in quibus latent rerum ὁμοειδῶν καὶ συγγενῶν vocabula: ordine non solùm doctrinarum, verùm etiam naturæ retento. In MEMORIA autem exercenda non vnum omnes meminisse & recitare debent: sed vniuersi omnia, quæ vnius diei sunt pensa.

In quinta

5. Grammatica Græca eodem quo Latina modo perficiatur: cuius primam institutionem ex sexto afferunt ordine.

6. Græcas magister proferat verborum complexiones de virtutibus & vitijs: de moribus & vita hominum: de rebus publicis.

7. *Stilus exerceatur, et acuatur, & poliatur: &*

I. τροθέσεις sint LONGIORES, quàm in gradibus inferioribus fuerunt.

II. Versus faciant discipuli posterioribus anni mensibus: non argumentis propositis: sed Poëtarum solutis versibus: vt neq; sententiarum inuentione sit opus, neq; verborum delectu: sed solùm collocatione. Non tamen incommodum est: Poëtica verba commutare aliquando cum Oratorijs aut Historicis: vt iudicium fiat de adolescentis industria: & ipse adolescens animaduertat, quid Orator à Poëta differat.

III. ORATORIS locum aliquem Germanicè interpretetur magister: vt SVBITO latinum in ipsis scholis faciant adolescentes.

8. Diebus festis & pridie diei festi, minor aliqua Paulina epistola explicetur: NON commentario: sed verborum commutatione & numero.

In

In quarta

1. *Cùm quæ antea didicerunt in Ordinibus inferioribus: tùm quæ à magistro adduntur quotidie quàm plurima pueri audiant, interpretentur, INTELLIGANT: memoriter etiam multa recitent.*

2. *Volumen exemplorum illud longiorum ambituum explicetur: in quo exempla argumentationum & amplificationum: & huic libro addatur Verrina sexta accusatio: quæ propè omne genus narrationum continet.*

3. *In volumine poëtico quod reliquum est, perficiatur: & ex Horatio epistolæ & sermones addantur.*

4. *In Grammatica Græca quæ restant, consummentur: & coniungatur volumen Græcum exemplorum: in quo & res suppeditantur: & earum rerum formæ, & vestes, & ornamenta, quibus indui postulant.*

5. *Stilus summæ curæ sit: tantumq; addatur ad inferiorum Ordinum pensi: quantum addi posse IVDICABIT magister. Et non sòlùm VOCE, verùm etiam STILO præeat: aliquando etiam subsequatur: quoties erratum erit in ys: quæ discipulorum à præceptore fuerunt viribus commissa.*

6. *Epistolæ Paulinæ minores diebus festis, & pridie diei festi explicentur eadem via: qua in quinta Curia interpretandæ esse ostensum est.*

1. *Non solùm Oratores & Historici: verùm etiã Poëta explicentur: omniumq; numeri ostendantur: & exempla explicentur exordiorum: partitionum, narrationum, digressionum: quæstionum infinitarum, & grandium amplificationum.*

2. *Rhetorum tradantur sententiarum & verborum ornamenta: hoc est,* τρόποι, σχήματα, μέθοδοι: *quorum EXEMPLA petantur & ex ys, quæ ex inferioribus locis adferunt: & ex exordiorum voluminibus: & ex ys scriptoribus qui huic Curiæ sunt tributi.*

3. *Herenniana elocutionis præcepta tradantur: aut ea, quæ I. Sturmius ante aliquot annos dictauit.*

4. *Cluentiana oratio explicetur: vt INTELLIGANT pueri: & loca in illa, quæ imitatione digna erunt, cùm Rhetores audient, notata habeant: aut cum hæc videbitur prolixior: in huius locum alia oratio substituatur.*

5. *Præter Græcum volumen exemplorum: etiam ex Demosthene meliores orationes eligantur: in quo non solùm orationum considerentur genera: verùm etiam vires animaduertantur discipulorum.*

5. *In Poëtico volumine cùm nihil restabit: Homeri liber primus addatur Iliadis: aut Odysseæ, quòd maior in hoc sit, quàm in alys Poëtis: puritas, ornatus, grauitas: & qui hunc Poëtam cognouit: inter reliquos Poëtas possit consistere.*

In tertia

7. *Festis diebus Pauli epistolæ legãtur: & intelligantur ita vt vel totæ memoria teneantur aliquæ: vel loca quædam insigniora: & eadem loca habeant discipuli in ephemeride annotata.*

8. *In stili exercitatione maiora conentur, & suscipiant adolescentes: &*

I. *Græci Oratoris exordium, aut narrationem, aut argumentationem: aut locum communem, aut amplificationem, LATINAM: aut latini Græcam faciant. Idem audeant in Poëtis & Historicis facere.*

II. *Horatiana vel Pindarica carmina, commutent NON verbis: sed carminum generibus: multaq; NOVA condant poëmata.*

III. *Multas EPISTOLAS conscribant: exordia etiam et narrationes: & infinitas quæstiones. Si ipsi conficere non possunt à Præceptore earum proponantur argumenta: partes: ornamenta: ambitus: et similia in voluminibus exemplorum indicentur.*

9. *Comœdias Plautinas aut Terentianas: NON à magistro audire: sed discipulos decet se docere ipsos distributis partibus & operis: & easdem agere: & cum superioribus classibus contendere de victoria.*

In

1. Poëtas Græcos atq; Oratores non amplius ad verbum interpretari necesse sit: sed istud puerorum sit officium: præfecti verò, dum hoc modo interpretantur, Poëtarum verba Oratoriis commutare: aut hæc cum illis componere: historiam aut fabulam perspicuitatis causâ intertexere: ornamenta illustriora indicare: loca ἀξιόζηλα notare: atq; iubere, vt in ephemeridem referant.

2. Latini scriptores eadem, qua Græci, ratione exponantur: & cum illis horum verba, & sententiarum formulæ conferantur: & annotentur atq; referantur in diaria.

3. Sapientiæ instrumentum, quod Dialectica dicitur, discipulis in manus tradatur: atq;
- I. quibus illud ex rebus confectum sit, ostendatur.
- II. Quomodo vti debeant indicetur.
- III. Ab ea parte, quæ κριτικὴ appellata est, principium fiat.
- IIII. Exemplis explanetur: in illis, qui explicantur, Græcis Latinisq; scriptoribus. Sed fontes dialectici: ab Oratoriis imbribus separandi sunt: vt vtrunq; genus conspiciatur separatim: & Dialecticum illud breue atq; acutum: & hoc Oratorium ornatum & amplum.

In secunda

4. Dialecticæ comes adiungatur dicendi ars: atq; Herenniana institutio tradatur: vt tum Græcis illa artis vocabula illustretur: tum exemplis explanetur: non solùm iis, quæ adferunt ex gradibus inferioribus: sed iis etiã, quæ quotidie noua suppeditantur: in illis, qui explicantur, Græcis Latinisq; scriptoribus.

5. Orationes Olynthiacæ atque Philippicæ interpretando PERCVRRANTVR: recurrendo, artis loca, quæ nota erunt pueris, annotentur: et referantur in ephemerides. Istud etiam in Ciceronis faciendum est orationibus: quarum delectus præceptori conceditur, atq; discipulis.

6. Stilus QVOTIDIANVS non intermittatur: sed præstãtiora hic tententur: &
- I. non solùm stilo: verùm etiam ζήλῳ contendatur.
- II. Declamatiuncula conficiantur: quarum partes aliquæ de scripto: aliquæ memoriter recitentur.

7. Festis diebus Pauli epistola ad Romanos memoriæ mandetur ab omnibus: & memoriter omnes recitent: quoties postulabitur.

8. Histriones exercitationem in theatrũ quotidianum adferant maiorem: &
- Comœdias Plautinas atq; Terentianas discipuli IPSI discant & agant.
- Aristophanis comœdia: Euripidis, aut Sophoclis Tragœdia aliqua doceatur PRIMIS mensibus: sed reliquas si quas agent: suopte Marte in theatrum descendant.

In prima

1. *Dialecticæ atq; Rhetoricæ disciplinæ consummentur: non* PERFECTE: *more Aristotelicorum & Græcorum Rhetorum: sed* BREVI *I. Sturmij via & institutione: quæ tametsi non omnia explicat, quæ ab Aristotele tradita sunt: genera tamen, omnesq; partes complectitur: cùm Aristotelis, tùm Hermogenis & Ciceronis.*

2. *VSVS Dialecticorum & Rhetoricorum præceptorum ostendatur in Demosthene & Cicerone. Neque solùm illa demonstrentur: quæ facile est mediocriter hac disciplina erudito obseruare: sed etiam illa, quæ latent, & recondita sunt.*

3. *Oratoribus Poëtæ addantur: & quod reliquum erit in Virgilio: & quod adiungere placebit ex Homero.*

4. *Thucydides Græcus historicus tradatur: & huic Salustius addatur. Sed in his magister adiuuetur discipulorũ suorum industria: vt* DOMO *in scholas apportent: quod legerint, quod* INTELLIGANT: *cuius sententiam totam aliis verbis aliaq; lingua & sermone persequantur.*

5. *Scribendi & declamandi consuetudo sit literata: & nihil non artificioſũ adferatur: siue sit*
- *Scriptum. Commentatione comprehensum.*
  - *Et hæc siue sint* — *Versus & Poëmata.*
  - *Vtrumq; sint* — *Soluta liberaque oratio.*

5. *Diebus festis aut epistolam Pauli discipuli IPSI explicent: aut locum aliquem illustrem Rhetorum more dilatent.*

B

ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΙ PVBLICARVM AVSCVLTATIONVM: QVID, à quibus & quo modo docendum sit.

Theologi legant { *Moysen, Prophetas, Euangelistas, Apostolos.* } *In his explicandis retineant Patrum autoritatem, et tum hos: tum locos communes: aliosq; scriptores Ecclesiasticos inter se partiantur, et domi legant: atque de ijs inter se commententur. Nam in scholis legi Patres: non est neque necessarium, neq; vtile.*

Iurisconsulti docent { *Institutiones, Pãdectas.* } *In his explanandis* {

I. Properent in ijs locis, in quibus properandum est: consistant, in quibus consistendum diutiùs.

II. Ostendant, quæ nostræ consuetudines in fõro, & iudicijs sint: & quæ iam sint antiquata moribus atq; institutis nostræ religionis & nostri imperij: quæ etiam in his, quæ abrogata sunt, capi queant vtilitates.

III. Addantur ex Pandectis ad Institutiones: quæ & cognitionem habent liberalem: & crebrò vsurpantur in iudicijs: & sunt vsus quotidiani.

IIII. Riuos Iuris ad suam reducant originem: quæ est in Philosophorum libris de Republica, & de moribus.

Medicus {

1. *Explanet Galeni & Hippocratis libros.*
2. *Herbas ostendat: humani corporis partes & vsum indicet: pharmacopœa explicet & indicet singula.*

Historicus

1. *Historias explicet: quæ literarum monumentis Hebræorum, Græcorum, Romanorum sunt comprehensæ.*

2. *In historijs explicandis*

I. Temporum conseruet & notet ordinem.
II. Falsa reprehendat: vera distinguat asperitate in vitijs magistratuum: acrimonia in sceleribus improborum: laudatione in virtutibus.
III. Locorum et pugnarum descriptiones ostendat: qua ratione conficiantur.
IIII. Demonstret, quæ collocatio atq; tractatio consiliorum, actorum, euentuum.
V. Causas persequatur: quæ præteritæ ab historicis sint: & quæ positæ.
VI. Historicum dicendi genus, verba, ornamenta, ab Oratorijs & Poëticis distinguat.

Mathematicus binis horis in secunda Curia, primum explicet Mathematicum volumen: binis in prima secundum, Euclidis primo libro adiuncto: binis publicè in tertio doceat opere: atq; hæc ita tradat: vt optimorum autorum verba atq; vocabula retineantur.

PRIMVM comprehendit quatuor artium principia: Geometriæ: Logisticæ: Astronomiæ: Geographiæ.
SECVNDVM doctrinam tradit maiorem Logistices: & regulas comprehendit Logistices cùm quotidianas: tum illius: quæ Astronomica à Mathematicis nominatur. Pleniorem etiam doctrinam Astronomiæ, de primo motore globi, & cœli motu: de terræ situ: de cœlestibus circulis: de ortu & occasu siderum: de dierum atque noctium differentia: Zonarum & climatum descriptiones: explicationem etiam aliquam de Solis defectionibus: non vt hæc demonstrentur more Mathematicorum: sed vt, quæ sint & qualia existant: agnoscantur.
TERTIVM complectatur horum omnium ἀποδεικτικὴν explicationem: & ἀναλύσεις sex librorum Euclidis: & confirmationes Logisticarum præceptionum: & Gebranum κανόνα: etiam Astronomicas conclusiones primi moteris: & Theoricas expositiones planetarum.

Voluminum

Dia-

Dialectici, Aristotelis organum explanent: vt

- *I. Discipuli verba & genus dicendi: & eorum, quæ traduntur, sententiam intelligant.*
- *2. Præceptores Aristotelis ἐνθέσεις & ἀποδείξεις ostendant.*
- *3. Exempla addant: tum in*
  - *Demonstrationibus*
    - *Mathematicorum.*
    - *Medicorum.*
  - *Dialecticis conclusionibus*
    - *Philippi Melãchtonis.*
    - *Ethicorum: quorum magnam copiam Plato suppeditat.*

Rhetores alternis vicibus doceant

- *1. Artem dicendi: quæ traditur in Ciceronis tribus libris de Oratore: in Oratore perfecto: libro de claris Oratoribus: & Hermogene.*
- *2. Orationes & Demosthenis & Ciceronis: easq; ita explicent, vt*
  - *I. Discipulis orationes distribuant vel partibus æqualibus: si pares sint facultate dicendi, & linguarum peritia: vel inæqualibus, si impares: vt in ludum reuersi: vel Græcas verborum comprehensiones latinis verbis, atq; latinis sententiarum figuris, à se domi conuersas adferant: vel Latinas Græco pallio induant: aut vtrasq; patrio sermone exprimãt: siue memoriter id pronũcient: siue de scripto recitẽt.*
  - *II. Singulas orationis partes breuibus absoluant partitionibus: & in vnoquoq; genere argumenta digerant: et comparationem faciant exemplorum.*
  - *III. Sententiarum genera ad suam reuocent originem: & illa quæ docent, ab aliis, quæ aut conciliient, aut flectant, separent: & Democratica ab Aristocraticis regijs distinguãt: inprimis verò harum expolitionẽ ostendant: & præmonstrent: quibus in rerum generibus similis debeat & possit adhiberi & ordo & ornatus.*

Physici, Aristotelis explanent de natura libros.

Hi in docendo, hãc sequantur rationẽ: vt

I. Verborum vis intelligatur & retineatur in omni explicatione.

II. Problemata totius futuræ disceptationis ita demonstrẽtur: vt ordo animaduertatur: perfectio intelligatur: res ipsæ videantur: omniaq; ad memoriam, in extrema parte scholarũ reuocentur.

III. In refutationibus contrariarum opinionum: ostendantur causæ erroris ex Sophisticis elenchis: et veritas earum rationum: quas contrà in medium attulit Aristoteles. Sed hîc cauenda prolixitas est: & nihil est, quod huc maius lumen adferat, quàm breuitas: quæ sita est tum in expositione eius, qui docet: tum etiam interrogatione.

Ethici Aristotelis de moribus: de Republica: de re familiari, explicent volumina.

IIII. In Aristotelis doctrina demonstranda: confirmatio adhibeatur argumentationum: & indicatio ordinis: in quo definitiones, & partitiones, & quæ ex his deducuntur problemata & theoremata continentur: in quorum tractatione, quoniam in dubijs generibus argumentationum versatur: quarum vna est συλλογισμῶν, altera ἐπαγωγῶν: sæpè hæc aliqua copia illustranda sunt, vt singulorum & partes, & collocatio, & numerus teneatur.

Græcus professor

I. Sex primis mensibus Herodotum & Thucydidem explicet: vel Poëtas faciliores: reliquis ad difficiliores accedat.

2. NON ad VERBVM interpretetur: sed eandem, quam Rhetores, sequatur rationem.

3. Non PERPETVÆ orationis genere vtatur: sed INTERROGATIONIBVS & responsionibus: quod sermonis genus vtilius est meridianis horis.

Hebræ-

Hebræus interpres
1. *Præcepta tradat* BREVIA *& perſpicua.*
2. *In vocabulis eandem ſequatur viam: in quam Curiæ inducuntur: vt vocabula non vigenti quatuor literis diſtinguantur: ſed generibus in ordinem cogantur: eademq; genera ſuis partibus ac formis diuidantur.*

Muſicus
1. *Doceat adoleſcentes, vt canant Pſalmos in Eccleſijs, & Scholis non εἰκῇ ſed κατὰ τέχνην. Id fit*
I. *Si canat* VOLVBILI *lingua, non* CLAMET *chorus: vt non ſentiatur, numeris* VELOCITER *inciſis: vt non* SPACIA *animaduertantur.*
II. *Si ora non* DISTORQVEANTVR *ſonorum grauitate: neq; hiulcent barbarorum vocalibus atq; diphthongis ora: & non in ore & faucibus appareat, quod turpe ſit.*
2. *Oſtendat publicis: & publicis proximis ſecundæ & primæ Curiæ tyronibus: quis imus tonus ſit, qui proſlambanõenos dicitur: & quis ſummus nete hyperboleon: quid item harmonia, quid chroma, quid diatonon: & horum omnium explicet varietatem. De qua re multa à Boëtio præcipiuntur: & exponent tria Muſica Volumina.*

OFFICIVM PVBLICORVM DOCTORVM IN DISPVTATIONIBVS.

Diſputando publici præceptores officium ſuum faciunt: ſi
Proponant capita ad diſputãdum: qua quæſtiones contineant vtiles ad vitam.
Diſceptationem regant vt
I. *Regulæ retineantur Dialecticorum.*
II. *Diſputationes ſint moratæ, abſq; inuidia, maleuolentia, iracundia.*

DECLAMANDI RATIO.

Declamando officium suum faciunt doctores publici; tum.

- *Omnes: & inprimis Rector: si videant, ne declamandi consuetudo intermittatur: & crebra declamationes habeantur.*
- *Is, qui his exercitationibus præest: si quotidie*
  - *1. Idoneos ad hanc facultatem eligat: ineptos excludat.*
  - *2. Argumenta et ὑποθέσεις, hoc est, causas ipsas det: tum quæ*
    - *Subitò tractari possunt.*
    - *Meditationem paucarum horarum requirunt.*
    - *Aliquorum dierum confectionem flagitant.*

    Horum materiam suppeditent

    Theologi: Ecclesiastica negotia. Iurisperiti, forēses lites: mutatis nominibus. Historicus, orationes ab historicis fabricatas.
  - *3. Ὑποθέσεων indicet locos, & locorum præcipua argumēta: & eorum collocationes per omnes causæ partes.*
  - *4. Non omnia præmasticet, sed præcipua: & præscribat, quæ in discipulorum sint officio, domi agere & elaborare: & inde in scholas afferre declamantum: in quibus puritatem verborum obseruarunt: sententiarum ponderа non neglexerunt: ordinis rationem habuerunt: decorum respexerunt: quod in omnibus eloquentiæ partibus retinendum est.*
  - *5. Comparata facultate aliqua: & firmatis viribus declamatorum: coronam admittat eorum, qui audiant & iudicium atque censores ad suum tribunal aduocet: qui tanquam res ageretur seria: ita de facultate declamantis iudicium faciant: & honoris sit inter eos, qui dicunt, magna contentio.*

FINIS. EPIGRAM-

EPIGRAMMATA ALIQVOT COLLEGARVM SCHOLAE THORVNIENSIS.

AD IOANNEM STVRMIVM V. CL.

Iuppiter, vt memorant doctissima pectora vates,
Saturni fugiens, matre iubente, manus:
Cum puer esset adhuc, nec adhuc puer, vbera dulci
Suxit Amaltheæ turgida lacte Capræ.
Illa Iouis nutrix habuit duo cornua, cunctis
Commendata sua fertilitate viris.
Fudêre Ambrosiam permistam Nectare: mirum:
Nec mirum: hoc habuit munere Capra DEI.
Huic Iouis altrici, Vir præstantissime STVRMI,
Et mihi vel patris suspiciende loco,
Quos de discendi, quos de ratione docendi
Scripsisti, absimiles haud reor esse libros:
In quibus omnigenos, gratissima pabula mentis,
Fructus est doctis, est reperire bonis.
O benè te meritum, vel iniquo iudice Momo:
O benè de multis (res manifesta) Scholis.
Quod tibi pro tanto referemus munere munus:
Quæ fuerit meritis gratia digna tuis:
Iuppiter altricem clara splendescere luce,
Stelliferaq; domo iussit habere locum.
Mente tuam memori famam super astra feremus,
Cœruleas donec Vistula voluet aquas:
Vtemurq; tuis, cœptum DEVS, opto, secundet,
Indoctos contra barbariemq; libris.

M. Caspar Frisius Thorunensis.

αἰνιγματῶδες

COMPLECTENS AMPLISSIMAS aliquot Scholarum vtilitates.

Nata parit matrem, matremq; tuetur & ornat:
Nomine nil melius: nil quoq; peius habet.
Nil minus est illa: nil maius & amplius illa:
Omnia stant illa stante: cadente cadunt.
Pauper & heu lacero miseranda vagatur amictu,
Et tamen immensas continet orbis opes.
Orbis Atlante ferunt, vel ab Hercule pondera ferri:
Vana crepant vates: hæc graue portat onus.
Hæc est porta poli: non quam Plato senserat esse:
Siue tuam Cancer: seu Capricorne tuam.
Sed quam sopitus meminit vidisse Iacobus,
Lassus Amygdalinam quando premebat humum.
Hæc sine luce iacet: lucem tamen omnibus affert:
Et cùm non viuat: viuere cuncta facit.
Templa fide, sed & arte domos, sed & adiuuat vrbes:
Templa, domos, vrbes, arte fideq; iuuat.
Hæc veterem dulci Paradison imagine reddit:
Hæc plantas VITÆ: COGNITIONIS: alit.
VIVET, & à Recto poterit DISCERNERE Curuum,
Qui plantæ fructus huius & huius edet.
Quattuor & vastum permanat fontibus orbem,
E quibus hæc haurit vita Salutis aquam.
Adde quòd hîc etiam DEVS exauditur, vt illic,
Vnde vetus per eam ceu renouatur EDEN.
Hanc odisse patet multos: contemnere plures:
Sed Nemesim tergo barbara corda gerunt.
Scilicet & laudant (res est certissima) laudant.
Iunonis veluti grex puerilis auem.

Sed felix

Sed felix, quisquis laudat, fouet, erigit, auget,
Præmia quæ capiet, nomine tecta latent.
Infelix, quisquis Cynicorum despicit ausu,
Poena manens istum, nomine tecta latet.
At tu deformis simul & pulcerrima salue,
Omnia quæ languens languidiora facis.
Salue spreta malis, sed honoratissima sanis,
Omnia quæ florens floridiora facis.

M. Huldricus Schoberus Lubenensis.

EIVSDEM,
PHILOMVSI et PIETATIS LITERATÆ DIALOGISMVS.

Ph. Quæ Dea? *P.* sum Pietas. *Ph.* qualis? *P.* limata per ARTES.
Ph. Quanta? *P.* bonis ingens. *Ph.* quo fata Patre? *P.* DEO.
Ph. Quid geris in terris? *P.* Virtutibus impleo vitam,
Et loca, quæ teneo, plena Salute, beo.
Me sine nulla domus, Respublica nulla uiresci:
Me sine Relligio relligione vacat.
Ph. Quid gaudes? *P.* quia luce noua perfusa nitesco.
Ph. Ergo priùs fueras indiga lucis? *P.* eram.
Ph. Quando? *P.* Superstitio miserum quo tempore mundum
Complêrat tenebris pernicioſa suis.
Ph. Dic vbi sis adeunda? *P.* domum circumfero mecum,
More leuis conchæ. *Ph.* quæ domus illa? *P.* Scholæ.
Ph. Ergo Scholis incluſa sedes? *P.* sedeoq; vagorq;
Non semel exilium triste coacta pati.
Ph. Cur? *P.* ab Auaricia sumtus minuente repellor,
Perdita quæ perdit mœnia, templa, domos.
Ph. At nunc te recipit præclara TORVNA? *P.* recepit.
Ph. Munere mota tuo? *P.* Munere mota meo.
Ph. Quale sit hoc, aperi. *P.* dos est precioſior omni
Vel stipe vel precio. *Ph.* quæ tamen? *P.* alma SALVS.
Ph Quid sibi vult habitus? quid vult puriſsima vestis?
P. Mundicie soleo simpliciore capi.
Ph. Quid Charis & Nemesis? *P.* Suauis cognoſcor amicis:
Sed si deſpicior, sum metuenda malis.
Ph. Cur Diadema geris? *P.* rerum Regina salutor.
Ph. Cur manus hæc Laurum continet, illa Roſam?

P. Me Rosa formosam, Laurus docet esse perennem,
Et consuêsse meis ferre perenne decus.
Ph. Antè noua dixti te luce nitere, quis illam
Vir dedit? *P.* ingenio maximus, arte grauis.
Ph. Quis precor iste? *P.* rogitas? toti notissimus orbi
STVRMIVS, in cuius ceu iuuenesco libris.
Ph. Multa viro debes? *P.* fatcor: nec pauca patronis.
Ph. Et quibus? *P.* inprimis hîc tribus usa fui:
Quos ego (nec prohibet veneranda Modestia) dicam:
Impia sim Pietas, si reticere velim.
Me BERVS & MOLLERVS amant, STROBANDVS honestat,
Cuius & impensis ista recusa vides.
Ph. Quid tamen ista docent? *P.* vbi sim quærenda. *Ph.* quid inde?
P. Quæ via quærenti sit capienda, docent.
Ph. Vin' sequar? *P.* haud renuo: sed si properantiùs ardes
Esse PIE SAPIENS, hæc lege scripta. *Ph.* legam.

ALIVD EIVSDEM.

Vtilis est Ignis, nebulas & frigora pellens:
Vtile piscosas est Mare propter aquas.
Nec minùs est nobis Terrarum commodus Orbis:
Nec minor vtilitas Aëris esse solet.
Quis Solis, quis aperta Poli non commoda sentit?
Commoda quis cunctis hæc negat esse locis?
Vtilior doctrina libris elucet in istis
Igne, Mari, Terris, Aëre, Sole, Polo.

ALIVD.

Site delicia capiunt peramabilis horti,
Hæc lege facundi scripta diserta viri.
Hæc te Pierij ducent Heliconis in hortum,
Hortum, qui flores fertq; tulitq; duos.
Alter in his PIETAS, DOCTRINA vocabitur alter.
Nil, reor, his iunctis suauius Orbis habet.
Hinc tibi Sedulitas & Gloria læta corollam
Perpetuam, Pubes ô Studiosa, paret.
M. Iacobus Zölnerus Thorunienſis.

PIA

Tum fructus capiuntur ampliores,
Crœsi diuitijs beatiores,
Pellucens ubi riuulos profundit
Ternos fonticulus, ferax & auri,
Tardo qui saliant, fluant, rigantes
Flexu floridiora prata agellos.
Æquali ratione sic Scholarum
Musarumq; Palatium politum
Præclara emolumenta fert tulitq;.
Hinc fructus capiuntur ampliores,
Crœsi diuitijs beatiores.
Nam dum perpolit hoc gregem tenellum,
Ceu diues rutilusq; fonticellus,
Terrarum fluuijs rigando ternis
Reddit, ceu Paradisus esset, Orbem:
Diuisæ his operæ celebriores:
Vnus Templa petit sacratiora,
Alter Iustitiæ meat per ædes,
Postremus placido alluit Penates
Cursu sæpè laboriosiores.
Hìc summo studio iuuant fouentq;,
Qui Christi veneranda verba pandunt:

Qui Christi ueneranda verba discunt.
Qui Astreæ reuerenda iussa tradunt:
Qui Astreæ reuerenda iussa seruant.
Qui iusta ratione res parabunt:
Qui iusta ratione res tuentur.
Dignos ergo viros honore tales
Vel quiuis bonus esse iudicârit,
Haud grates minimas q̃, promereri,
Qui doctos & idoneos libellos,
Quêis formanda rudis iuuenta, condunt.
Hos inter Clarij chori Camœnæ
Primas attribuêre Tulliano
Præstanti eloquio, valenti & amplo
Rerum vsu, benè STVRMIO diserto.
Huius scripta, aliquot modò libellis
Quæ dispersa fuêre, quæ seorsim,
Vnum in fasciculum coacta nunc sunt,
Ex quo tecta paratiora Ludi,
Ex quo limina & eruditiora,
Gaudet Latoides habere Apollo:
Vt gratas tenera imbibat iuuentus
Cum sancta pietate disciplinas:
Et Pandionias vt hæc Athenas Vincant

Vincant, Maſsiliamq́ iure Graiam.
O factum benè, factum & eleganter.
Hic magno liber vſui eſt futurus.
Huc huc accelerate vos Magiſtri,
Quos cura & ſtudium probè docendi
Ætatem docilis tenet iuuentæ,
In vera pietate literata:
Huc huc accelera tenella pubes,
Quæ ſummam methodo decentiore
Venari cupis eruditionem,
Ornatam pietate literata,
Parnaſsi ut iuga doctiora ſcandas.
Doctum STVRMIVM honoribus colamus.
Huic dignas peragendo ritè grates:
Linguæ eſt gloria STVRMIVS Latinæ,
Quem virtus, meritum ſui laboris,
Fulgens gloria, nobilesq́ Muſæ,
Ad coelum lepido vehunt triumpho.
Dextro Mercurio paremus omnes
Hoc tam nobile opus: quis ære paruo
Mercari vtilius poteſt volumen?
Quo lecto vigilantiore cura,
Quo lecto ſtudio flagrantiore, Fructus

Fructus percipientur ampliores,
Cræsi diuitijs beatiores.

M. Ioannes Huebnerus Thorunienſis.

ALIVD.

Ecce repubeſcunt STVRMÎ præclara IOANNIS
Scripta, celebratis concelebrata viris.
Qui, decus eximium, ſummis virtutibus auctus
Inter Pierium ſplendet honore gregem.
Cuius in ore ſcatent facundæ flumina linguæ,
Flumina, quæ vegetant corq; animumq; bonis.
Quem referent Charites meritorum laude perennem,
Viſtula dum piſces, dum vehet aſtra Polus.
Huius tu grandi precij monumenta putabis,
Qui tibi, vel pueris conſuluiſſe cupis.
Ergo decet uſtas, STVRMI, tibi dicere grates,
Te decet à nobis laude decente vehi.
Namq; tuo merito doctas reuireſcere Muſas,
Cumq; pijs Muſis docta Lycea patet.
Ergo tuas iterum laudes iterumq; canemus,
Cumq; pijs Muſis grata Lycea canent.

Gregorius Vorbergius Laubenſis.

ALIVD.

Qui modò ſub lucem docti redière libelli,
Haud poterunt digni poſteritate, mori.
Hos celebres etenim reddet celeberrimus author,
Et ſua quæ ſecum commoda magna trahunt.
Viuite vos culti per ſecula longa libelli:
Creſcet, credo, breui tempore veſter honos:
Qui meritis equidem ſemper præſentibus æquus,
Aequior à ſeclo ſed veniente venit.

Georgius Oppelius Cantor.

ALIVD

ALIVD.

Non reget armatas feliciter ille phalanges,
Nec Ducis egregij nomen adeptus erit:
Qui non antè feri tentarit prælia Martis,
Strauerit & forti corpora multa manu,
Ac sciat, aduersas quonam conamine turmas
Frangat, & hostiles depopuletur agros:
Non secus, Aonidum qui Dux auet esse probatus,
Hunc cum barbarie bella ciere decet,
Hunc spectare decet, quibus Ignorantia telis,
Et Ruditas perimi cum Feritate queat.
Hoc pulchrè fecit Clarissimns ille IOHANNES
STVRMIVS Aonij Duxq́ caputq́ gregis.
Huc igitur, quicunq́ sapis, vestigiat orque,
Et lege, quæ tanti dat tibi Musa Viri.
Hic, quo docta modo possis aperire Lycea,
Vir grauis egregia dexteritate docet.
Adde quòd ostendit formamq́ viamq́ docendi,
Cuius commoditas est manifesta bonis.
Hæc tu nocturnis manibusq́ reuolue diurnis,
Commoda qui paruo magna labore petis.

Martinus Rethelius Domnauensis.

Errata.

fol. ✠✠ 3 *pag. auersa. versu* 27. *pro, omnis harum splendor illarum &c. lege, omnis huius splendor illorum &c.*
fol. ✠✠✠ 3 *versu* 16 *pro* γεομετρεῖ *lege* γεωμετρεῖ.
fol. ✠✠✠✠✠ 3 *pag. auersa versu penult. pro aliqua, lege, aliquot.*
pag. sequente pro 9967 *lege* 9976.
fol. ✠✠✠✠✠✠ 3 *pag. auersa versu* 24 *pro, hosce posteriores an priores, lege, prioresne an hosce posteriores.*
pag sequente versu 17. *pro Architectura, lege, architectus.*
Si quæ præterea in hoc primo Tomo, quæ pauca vel nulla esse speramus, reperientur, ea prudens lector facile corriget.

Excusum TORVNII Borussorum
Anno Domini clↄ cl LXXXVI.

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS.



Institutiones
Literatae

1.